UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

Visual Library

Th. 2387 b.

9. I
29.

PRAXIS CVRÆ PASTORALIS PRÆCIPVE CIRCA Repentina & Generaliora.

Authore IOAN. BAPT. BERNARDINO POSSEVINO, MANTVANO,

ADDITIONIBVS, NOTISQVE AVTHORIS, nec non ANDREÆ VICTORELLI *Bassanens. Doct. Theol. Veteribus & nouis ad singula Capita repositis, aucta.*

Huic vltimæ Editioni accessere insuper alia vtilia, Pastoribus & Curam Animarum agentibus scitu necessaria.



Collegij soc. Iesu Paderbornæ 1669

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus PETRI HENNINGII,
sub signo Cuniculi, 1645.

Adm. Rdo & Eximio Domino, D.

MATTHÆO HOEN

SS. THEOL. DOCTORI,

INSIGNIS COLLEGIATÆ ECCLESIÆ ad S. Andreæ Canonico, ac ibidem Decano meritissimo, Parochialis D. Pauli Pastori vigilantissimo, Domino & Mecænati suo Colendo.



Dm. Rde atque Eximie Domine, Quemadmodum fontes salientes, si multum aquę auferatur, nõ tantùm non minuuntur, sed dulciores etiam multò redduntur; sic similiter nobilis ille animi habitus Scientia non decrescit docendi officio, sed magis etiam magisq; fit dulcior: nonnumquam etiam augetur, si in discipulos

pulos & familiares transferatur. Quod quam verum sit, in T. adm. R^da & Eximia D^ne. satis fit manifestũ, sicut enim ex diuersis vocibus constat Chorus, ita variarum disciplinarum mixtura Tua excellens constat Eruditio, quam olim in Iuuentute in celebri Montis Gymnasio feliciter hausta, eandem in eiusdem diuersarum Classium Discipulos per multos annos successiuè transfundere non dubitasti, in qua functione ita laudabiliter Te gessisti, vt illa eadem præclara Tua scientia instar fontis ita in Te creuerit & aucta sit, vt non tantùm supremam in SS. Theo-

logia

logia Lauream in hac florentiſsima Vniuerſitate magna cum laude aſſecutus, verum etiam in Canonicum ad S. Andreæ, ac eiuſdem Collegij nunc Decanum, in Paſtorem D. Pauli iam pridem feliciter electus & aſſumptus fueris, quam Curæ Paſtoralis Prouinciam cum Parochianorum ſalute indies procuranda, per multos annos ita gnauiter adminiſtraſti, vt nunc etiam Senior & quaſi Signifer quidam inter huius Vrbis Paſtores iure meritò appelleris; Quod eruditionis culmen ſuo iure quodãmodo exigere videbatur, vt in generalis Studij almæ huius Vniuerſitatis Pro-

tectorem ac Magnificum Rectorem communi suffragio à Senatu Academico insuper electus, illud idem sublime munus non sine laude omnium & acclamatione non per exiguum tempus administraueris.

Hæc sunt, PRAESVL AMPLISSIME, & multa alia Tua in Rempubl. Colonienſem & in me promerita, quæ me impulerunt, vt dum hunc Libellum à Doctiſſimo Viro Ioanne Baptiſta Poſſeuino Mantuano, Archipresb. Collegiatæ & Parochialis Eccleſ. Caſtri-noui Portuenſis Diœceſis, primùm compoſitum, Tuæ functioni non inconuenientem, vide-

videlicet de OFFICIO CVRATI, denuo in lucem emittere cogitarem, T. Adm. Rdæ & Eximiæ D. humiliter offerre ac dedicare proposuerim, non ideo quod ea, quæ in illo continentur salutis procurandæ documenta, T. D. ignorare existimem, verum propterea, vt præclaro Tui nominis ornamento hic Tractatus pro OFFICIO CVRATI decoratus, obseruantiæ erga Te meæ aliquod indicium, licet exiguum, existere possit. Te itaque, quod superest, Eximie Magister & Patrone apprimè colende, ea qua par est obseruantia, obnixè rogatum velim, vt chartaceum hoc munu-

sculum in debitæ obseruantiæ & grati animi symbolum, serena fronte suscipere non dedigneris: quod si, vti spero, impetrauero, beneficij loco habebo, Deumq; rogabo, vt Adm.R. & Ex. D. T. saluam & incolumem diutissimè conseruet, vt nobis omnibus, vti hactenus laudabiliter semper factum, ita ad multos annos in posterum adiumento & ornamento esse possis. Coloniæ Agrippinæ, ipso festo SS. Apost. Philippi & Iacobi, Anno 1645.

Adm. R. & Eximiæ D. T.

Paratissimus Parochianus

PETRVS HENNINGIVS.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO F. Francisco Gonzagæ F. Episcopo Mantuano

Andreas Victorellus Felicitatem.

LIbrum *de Officio Curati à Ioanne Baptista Bernardini Posseuino, Viro docto, ex probatorum Doctorum sententijs conflatum, & iussu Tuo, Illustriss. ac Reuerendissime Antistes superiori anno in lucem emissum, cùm legissem, probaui orbi cognitam prudentiam, Zelumq; tuum, probaui Auctoris consilium: & dedi operam, vt fructuosam lucubrationem plures Sacerdotes agnoscerent, & manibus tererent. Inter legendum nonnulla, (quæ quispiam appellabit adimenta,) vt vsui meo deseruire possent, ex grauissimis Moralis Theologiæ Scriptoribus notaui: quæ probi, doctiq; amici assentationis hostes, Parochis, alijsq; Confessiones excipientibus vtilitatem, Posseuino, quem honore sum prosequutus, iucunditatem allatura, existimarunt: ea verò Patauinus Bibliopola, qui tunc repetitam eiusdem libri editionem parabat,*

rabat, ita à me petijt, vt nullum negationi locum relictum mihi esse censuerim. Prodit in vulgus Parochorum studio seruiens, præclaro Tui nominis ornamento decoratus, obseruantiæ erga Te meæ locupletissimus testis, libellus: quem, si grauissimis ijsq; assiduis, pro grege isto tuo, tibi oculis ipsis cariori, Diuinæq; gloriæ propagatione, occupationibus distentus, percurrere, legendo, non poteris; lætabor tamen, cùm illi Episcopo dicatum esse, quem magis dignæ Christiano Episcopo virtutes, quam insignes nobilissimæ Familiæ splendor illustrat, in Christianiq; orbis theatro exhibet suscipiendum. Foueat, augeatq; Deus in Te munera sua; teq; pro Mantuanæ tuæ, vniuersæq; Ecclesiæ bono egregiè desudantem, fulciat, & ad grauissimos eximij muneris labores diutissimè tolerandos, idoneum efficiat. Vale. Patauij 14. Calend. August. 1611.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO.

OCcasione oblata à Sacr. Trident. Concil. *Sess. 23. cap. de Reform 1.* verbis illis : *Cùm præcepto Diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbiq; Diuini prædicationẽ, Sacramentorum administrationẽ, ac bonorum operum exemplo pascerẽ, pauperum, aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere*, &c. Institutus est breuis hic Tractatus pro *Officio Curati*, loco dicto Concilij presse, sed tamen expresse delineato, & pro præcipuis generalioribus & repentinis casibus in eo officio occurrentibus, ita vt quatuordecim Capita illius, respondeant conditionibus à Concilio ibi requisitis, modo sequenti.

INDEX

INDEX CAPITVM.

pag.

CAP. I. De Residentia. *Oues suas agnoscere.* 1

II. De Sacrificio. *Pro his Sacrificium offerre.* 21

III. De Prædicatione, *Verbiq; Diuini Prædicatione.* 23

IV. De Doctrina Christiana. 62

V. De administratione Sacramentorum in genere. 72

VI. De Baptismo. 121

VII. De Pœnitentia, & primò sanorum. 153

VIII. De Communione in genere. 240

IX. De Extrema Vnctione. 277

X. De Matrimonio. 293

XI. De Prudentia Curati, *Ac bonorum operum exemplo.* 341

XII. De officio Curati extra Sacramenta. 359

XIII. De Moribundis. 405

XIV. De Mortuis. 415

XV. Monita ad rectum studium Casuum Conscientiæ. 427

LIBER

LIBER
DE OFFICIO CVRATI VEL PAROCHI.

CAPVT I.
DE RESIDENTIA.

SVMMARIVM.

1. An Curatus residere teneatur & quo iure.
2. Strictiores resident Curati, quam Episcopi.
3. Quæ faciant bonam residentiam.
4. Quot dies, vel quot horæ faciant malam residentiam.
5. Si moriatur infirmus curat: absente.
6. An Curat. maneat semper domi.
7. In quo loco de nocte habitet.
8. An residendum per alium.
9. Quando populus dicatur pati per non residentiam Curati.
10. An excusetur si difficilia faciat per alium exequi.
11. An non exercens officium suum bene resideat.
12. Causæ iustæ absentiæ.
13. Necessaria curato in absentia etiam iusta.
14. Licentia absentiæ quantum durat.
15. Quando Curatus absit sine substitutione vicarij.
16. Curato quando omnino non potest abesse.
17. Etiam cum periculo vitæ non absit.
18. Curatus non absit pro recreatione.

19. *Curatus absente quem det Vic.*
20. *An stipendium necessarium substituto.*
21. *An necessaria licentia pro absentia bimestri.*
22. *Curatus absens an lucretur fructus.*
23. *An absens sine licentia sed cum causa perdat fructus.*
24. *Licentia per mendacium an valida.*
25. *Quando possint retineri fructus male percepti.*
26. *Quibus restituendi sunt fructus.*
27. *Causa grauis pro licentia.*
28. *An capitulum det licentiam absentiæ.*
29. *An ordinarius Episcopo inferior dare possit licentiam.*
30. *An peccatum sit dare aliquid pro licentia.*
31. *Fructu beneficij qui.*
32. *Pœnæ non residentis.*
33. *Pœna debetur ante condemnationem.*
34. *Quantum de fructibus amittat non residens.*
35. *An hæc pœna sit moderanda.*
36. *An acquirere per concursum pinguiora beneficia liceat.*
37. *An adipiscens benef. non intelligat residere propter cœli inclementiam.*

QVÆSTIO I. *An curatus teneatur residere, & quo iure?*

RESPONSIO Secundùm communiorem sententiam inconfesso esse. Curatum teneri ad residentiam, & quidem de iure diuino, quidquid dicant aliqui. Audi Concil. Triden. *sess. 23. cap. 1. de reform. Cum præcepto Diuino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est.* Et post pauca addit; *Quæ nequaquam ab*

ijs præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilãt neq; assistunt &c. Vbi per verbũ *assistunt*, tollitur omnis quçstio de seruitio præstando per mercenarium. Ex quo loco euincitur residentiam Curati esse de iure Diuino. Nec obstat, quod Concil. ibi loquatur de Episcopis, quia eodem capite infra habet omnia, quæ dixerat superius de Episcopis, intelligenda esse etiam de Curatis. Subscribit Azor. *Inst. p. 2. l. 7. c. 4. q. 1.*

Imò Curatus sciat, Spiritum Sanctum, qui ibi per Con. loquutus est, maiorem, & exactiorem residentiam expetere à Curato, quam ab Episcopo: concedit enim Episcopo absentiam trimestrem, Curato verò bimestrem.

2. Qvæst. *Quæ requiruntur ad bonã residentiã?*

Resp. Conc. ibi requirere duo. Primum, vt Curat. verè residcat. Secundum, vt id agat personaliter, & in propria Ecclesia. Igitur vt residentia sit bona, debet Curat. ita residere, vt populo in officio suo bene seruiat; cum autem continuò sit opus populo suo Curato, residentia debet esse continua. Sic. Caiet. *22. q. 185. ar. 5.* qui licet loquatur de residẽtia Episcopi, tamen, quo ad residentiam, quæ dicuntur de vno, intelliguntur etiam de altero, ita Sot. *de iust. lib. 10. qu. 3. ar. 1. ante resp. 1. arg.* Azor. *Inst. 2. p. lib. 7. c. 4.* Iacob. autem de Graff. *decis. aurea p. l. 2. c. 97. n. 57.* concedit paruo tempore abesse, non efficere, quominus dicatur cõtinuè adesse, & vult cõtinuè verificari dicta modificatione, quæ sunt vera iuxta dicẽda.

Si tamen Curatus rationabiliter iudicauerit, puta quia nullus infirmatur, posse abesse per aliquas horas, licitè aberit, etiã si nullũ substituat,

cõsuetudo optima legum interpres ita declarat etiam apud timoratos. Abesse verò tota die, quando nullus infirmatur, rarò in anno, nec laudo, nec vitupero. Abesse autẽ per duos, aut tres dies nullo infirmante, & nulla alia causa iustificante, habet valdè de rationabili esse mortale, propter multa, quæ possunt eo tempore euenire, maximè in oppidis, vbi non est alius Sacerdos à Curato. In ciuitatibus verò erit, maius, minusue peccatum, ratione periculi, & damni possibiliter euenturi, cui tamen facilius, quàm in oppidis potest obuiari. Et si contingat Curato rationabiliter absenti, aliquem è parochis suis mori sine Sacramentis, quæ verè recepisset, si Curatus adfuisset, puta quia, vel infirmus, vel domestici ea petebant, non peccabit, quia rationabiliter abfuit.

3. Qvæst. *An Curatus debeat semper manere domi, vel sufficiét manere intra limites sua Parochiæ, vt si fuerit, vel in venatione, aut piscatione, vel in domibus amicorum, vel alibi?*

Resp. Certum esse Curatum debere sollicitudine præesse, cum autem hoc sit, cum diligenti, & sollicita cura præstare, quæ sunt muneris sui, dicendum videtur, debere talem sui copiam facere, vt indigẽtes non careant necessaria ope; attamen nõ ita arctatur, vt debeat manere quasi in compedibus, vt notat Sot. *loc. dicto:* ideo si nullus infirmetur, & modo dicto absit rarò, credo satisfacere: si verò in absentia sit multus, maximè dum habet infirmos graues, non credo excusari, quia hoc est malè fungi officio, ad quod benè fungendum residentia iubetur. Sil. resid. à

prin-

prin. Potest enim fieri, vt requiratur ab infirmis, & non repertus, illi moriantur sine Sacramentis.

Si tamen Curatus non maneat domi, sed intra limites suæ curæ, & relinquat domi commissionem, vndè cito euocari possit nuncio, aut sono campanę non credo peccare in mala residentia, etiam si habet infirmos graues, & hoc sæpè agat, quia commodè possunt iuuari. Sed si nec sonus campanæ, nec Nuncius potest ad eum peruenire tam citò, vt contingere possit ægrum sine Sacramentis mori, puta quia Curatus multum distat ab Ecclesia, & hoc frequenter agit, non excusarem ratione periculi possibilis.

Si verò degit in parochia quidem, sed multum distat à domo, rationabiliter tamen putat, quia eo ad excipiendam confessionem iuerat, vel ad componendam pacem, aut ad aliud simile agendum, & interim infirmus moriatur sine Sacramentis, quæ petebat, non peccat: quia rationabiliter abfuit.

4. QVÆS. *An Curatus saltem de nocte, teneatur habitare in domo suæ Ecclesiæ, quando eam habet, vt ex vicinitate Ecclesiæ valeat facilius Sacramenta administrare? vel an sufficiat habitare in paterna, vel cognatorum domo, sita tamen in parochia, propter honesta seruitia, & sui maius commodum?*

RESP. Domum Ecclesiæ esse populo commodiorem, ideo in multis Episcopatibus Curati iubentur eam habitare: si tamen alibi habitauerit modo dicto, sciente & tacente Episcopo, non est, quod scrupulis angatur, quia credo sufficere

habitationem prefixam, vt vocatus faciliter munus suum obeat, & non referre, sit, necne Ecclesiæ, quia ita sufficienter prouidetur necessitati populi.

5. QVÆST. *An sufficiat residere per alium æquè, vel etiam fortè magis idoneum?*

RESP. Conc. ibi habere, tenere residere personaliter, ideo hoc modo, & non alio satisfaciet muneri suo, etiam si populo per alium æquè benè, & fortè melius seruiatur. Ratio est, quia Conc. ibi requirit industriam personæ; quæ per alium non potest suppleri.

6. QVÆST. *In quo casu dicatur populus verè pati per absentiam Curati, & ideo Curatus mortaliter peccet?*

RESP. Cùm non potest habere Sacramenta, vt dicitur, *c. 5. n. 7.* & cũ caret Missa, vt dicitur *c. 2. n. 2*

7. QVÆST. *An excusetur Curatus, si residet quidem sed tenet Cappellanum, & ad quietem relinquid illi omnia ardua, puta surgere de nocte, audiri multas confessiones, & similia?*

RESP. Excusari, ita communi consuetudine declarante, sic tamen se gerat, vt si vocetur etiã nominatim, & expectatur, & nolit ire, non excusarem saltem à graui veniali, cum comitate, & beneuolentia debeat respondere amori populi sui. Et quis scit an forte infirmus habeat aliqua, quę libens conferret cũ Curato, & cõmunicare Cappellano renuit? &, (si placet meũ consiliũ,) sit in hoc facilis, nec personarum acceptator, sed pauperes, ac diuites æquè adiuuet. Subleuatur enim vehementer, & hilarescit subditus benignitate sui superioris. Et vtatur Cappellano, non vt homi-

homine, qui portet pondus diei, & æstus, sed vt socio laboris. Et si sapit, intelliget, quantum laboris adimet Cappellanus etiam tantundem præmij, & gloriæ sibi auferri.

8. QVÆST. *An Curatus residens quidem, sed non exercens officium suum, satisfaciat præcepto residentiæ?*

RESP. Non satisfacere, nec in foro exteriori, nec interiori, cũ vtrobiq; sit punibilis: ideo peccat mortaliter, vel venialiter, pro qualitate culpæ. Sil. *resid. à c.* Sot. *de iust. libro 10. q. 3. art. 1.*

9. QVÆST. *Per quot, & quas causas Curatus possit abesse?*

RESP. Per quamlibet sequentium. *Prima* est Christiana charitas. Azor. *2. part. li. 7. c. 4. qu. 4.* ad hanc reducit cùm quis abest, ad iuuãdam aliquam priuatam Ecclesiam, ad dirimendas lites, controuersias, & odia. *Secunda* est euidens communis necessitas. Idem huc reducit, cùm quis ad tempus abest ob morbum euitandum, ob bellũ, hostium incursus, pestem sæuientem, aëris intemperiem, odium Principis, vel populi: deniq; ob vitæ, vel salutis, vel libertatis periculum ad tempus euitandũ. *Tertia* est obediẽtia, quæ maioribus debetur, puta Papę, vel Episcopo. Idẽ huc reducit, cùm quis abest, vt pareat Papæ, vel eius Legato, vel Episcopo obsequium, & officium iustum, ac debitum imperanti, quale esset, ad visitandã prouinciam, vel diœcesim, vel ad pacem componendam. *Quarta* est euidens Ecclesię; cui præfectus est, necessitas, vel vtilitas. Idẽ huc reducit, cũ quis abest ad synodũ generalẽ, vel prouincialẽ, aut diœcesanam ritè, & legitimè vocatus.

Huc etiam reducit, cum quis abest pro lite Eccl. vel pro obtinenda à superiore reformatione in varijs emergentibus. Et hæ 4. causæ assignantur ibi à Conc.

10. QVÆST. *An quãdo Curat. abest iusta de causa, siue cum licentia, siue absque ea teneatur relinquere substitutum, qui pro se populo seruiat?*

RESP. Teneri, ita Conc. loco dicto, qui tamen substitutus debet approbari ab Ordinario, cum debita assignatione mercedis, vt dicitur inf. nu. 20. & ita Conc. ibi. Hæc autem licentia absentiæ, quoad durationem est arbitraria Episcopo, & durabit in quantum est necessaria ad proficienda negotia, pro quibus concedit.

11. QVÆST. *An Curatus aliquando possit abesse sine licentia, & substitutione vicarij?*

RESP. Posse per aliquos dies, cum causa est vrgens, & non patitur dilationem pro obtinenda licentia, puta quia hostiliter petitur, & non habet quem substituat, quoad recurrat ad Episcopum pro licentia, & pro Vicario substituendo. Sil. *resi. quæst. 3.* Azor. *lib. dist. cap. 4. qu. vlt.*

12. QVÆST. *An detur vnquam casus, in quo Curatus per nullam causam omnino possit abesse?*

RESP. Dari, & esse, cùm populus ex illius absentia notabiliter læditur, quia nullo suo periculo probabili, non solum, sed nec certo, excusatur à deserendo populo; ideo in peste, & similibus tenetur omnino remanere, si nõ habeat alium, qui pro ipso seruitium præstet. S. Thom. *22. qu. 185. ar. 5.* Sot. *de iust. lib. 10. qu. 3. art. 4.* Conc. 1. quod licet ibi loquatur de Episcopo, tamen vt diximus, eadem conueniunt etiã curato, Nauar.

man.

man.ca.25.n.133.not.20. Tol.*Inst.lib.5.ca.4.n.3.* In casu verò, in quo repentina vrgeat discessio ob repentinum incommodum, vel periculum, tunc Curatus legitimè poterit discedere, etiam si in loco non habeat, quem substituat, & non adsint infirmi, vel si adsunt adest alius, qui potest conferre Sacramenta necessaria, saltem pœnitentiam: vel si non adsit alius Sacerdos, infirmus tamen commodè possit expectare alium Sacerdotem aliunde accersendum. Si tamen ista omnia deessent, & periculum instaret, discedente Curato, aliquem moriturum sine pœnitentia, vel Curatum ipsum occisum iri, si non fugeret, Curatus tenetur subire quoduis periculum potius, quam deserere talem infirmum, iuxta dicta cum S. Tho.

13. Qvæst. *An Curatus pro animi recreatione possit abesse?*

Resp. Hic esse sermonem, non de absentia aliquarum horarum, quia de ea dictum est enim 4. Nec de absentia 6. vel 8. dierum, quia de illa dicitur in sequ. sed esse sermonem de absentia longiori, & videtur dicendum posse abesse omni anno per 2 menses, siue continuos, siue interpollatos, quia Conc. *loc. d.* hoc modo concedit Episcop. & verificatur etiam de Curato, & ita intelligit Azor. *loc. d. 9.*

14. Qvæst. *An Vicarius, seu substitutus relinquendus à Curato, possit ab ipso relinqui inconsulto Episcopo, dummodo sit idoneus, & admissus in illo Episcopatu pro administratione Sacramentorum?*

Resp. Non posse, dicente Conc. [Vicarium

neum relinquat ab Ordinario approbandum? Si tamen abest per sex, vel octo dies, posset talem substituere sine Episcopo, ita declarante consuetudine vniuersali, nisi Episcopus per suas constitutiones inhibeat. Aduertat tamen, quòd substituat admissum pro administratione omnium Sacramentorum in toto Episcopatu, quia nihil ageret, si substitueret admissum ad quædam Sacramenta, vel ad certum genus personarum solùm: iuxta dicenda *ca. 5. num. 51.* vide etiam *c. 7. num. 5.* Vicinus Curatus benè relinquitur, quia licet non habeat ordinariam iurisdictionem nisi super gregem suum, tamen est ita admissus, vt ei aliqua iurisdictio delegari possit, sicut de antiquo iure poterat, vt colligitur ex Conc. Tri. *sess. 23. c. 15. de ref.*

15. QVÆST. *An quando Curatus abest iusta de causa, teneatur in conscientia assignare substituto partem fructuum pro debita mercede, ita disponente Conc. ca. dicto.*

RESP. Si substitutus, vel Vicarius voluerit seruire gratis, non teneri, quia, quòd merces assignetur, est, ne populus patiatur defectu seruitutis, quæ faciliter obtinetur, vbi adest merces, & in casu nostro cessat ratio mercedis, & per consequens ratio legis.

16. QVÆST. *Num Curatus pro absentia duorum mensium debeat habere licentiam Episcopi, an licentia eo ipso concedatur à Conc.*

RESP. Nau. *ca, 25. nu. 121.* dicere non requiri. Idem tenet Azor. *2. p. l. c. 4. qu, 10.* Alij dicunt requiri, dicente Conc. Ita tamen, vt quandocunq; eos, valet, Curatos, Causa prius per Episcopum cogni-

cognita, & approbata abesse contigerit, &c. Tolet. *Instit. lib. 5. cap. 5.* Leonardus Lessius *de iust. lib. 2. c. 34. dub. 29. num. 159.* vult Concil. in hoc non esse receptum. Tu verò sic practica: obtine prius licentiam, quia licet in conscientia absque ea sis tutus inhærendo opinioni Nauarri, tamen cum ea etiam coram hominibus liber euades. Et qui abest per dictos duos menses, siue cum licentia, vt vult Tol. siue absque ea, vt vult Nau. & Azor. Item qui abest vltra dictum tempus, sed cum licentia in scriptis, fructus beneficij lucratur, quos alias amitteret, ita, & cum hac limitatione concedente Conc. loco dicto.

17. QVÆST. *An curatus, qui abest vltra bimestre cũ iusta causa, sed absq; licentia in scriptis, quã per ipsum non stetit, quo minus haberet, peccet, & in conscientia fructus amittat?*

RESP. Non peccare, nec credo amittere fructus, quia cum non sit in aliqua culpa, non est æquum debere aliquam pœnam.

18. QVÆST. *An si curatus habeat quidẽ licentiã, sed per mendaciũ, & absentiæ fructus percipiat, an possit eos sibi retinere, vel restituere cogatur?*

RESP. Ex Concil. requiri duo ad iustitiam absentiæ, nẽpe causam iustam, & eius approbationem, vt acquirantur fructus in absentia, & cum sit falsa prima, erit etiam inutilis secunda, maximè cum tota non acquirendorum fructuum dependeat à causa iusta. Ideò credo hunc teneri ad restitutionem talium fructuum, licet factum nõ sit punibile in foro exteriori, cum ab illa, licet falsa, licentia protegatur. Silu. *Dispensatio à cap.* Azor. *2. p. li. 6. c. 10. q. 3. quæres. 3.*

19. QVÆST. *An Curatus, qui est pauper, & debet restituere fructus malè perceptos in absentia possit eos sibi retinere?*

RESP. Posse, maximè de consilio Confessarij & in casu restitutionis, posset eos dare propin quis suis pauperibus, dummodo tamen sint eiusdem loci, in quo percepti sunt, quia Concil. ib ait: Fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci, quod benè notandum. [Licet Lud. Lopez *in Instructorio 2.p.c.95.q.1.* teneat cum Nau. ibi citato, sufficere, si cõuertantur ad libitum in causam piam

20. QVÆST. *Quanam erit causa grauis, quæ requiritur à Conc. ibi, pro licentia vltra bimestre?*

RESP. Illa, quæ ab ordinario iudicabitur talis. Et communiter sunt causæ dictæ supra *num.* 11. & aliæ ad ealdem reducibiles.

21. QVÆST. *An Collegium Canonicorum, sede Episcopali vacante possit dare licentiam absentiæ, quam posset dare Episcopus, si adesset?*

RESP. Azor loco dicto affirmare.

22. QVÆST. *An locorum Ordinarij Episcopo inferiores, vt Abbates & alij similes habentes iurisdictionem, possint dare talem licentiam?*

RESP. Azor. *c. dicto qu. 4.* posse. Excipit tamen licentiam septennij pro studio, quam vult solum Episcopum posse dare Curatis: sed, & credo Ordinarios nulli subiectos, & habentes auctoritatem quasi Episcopalem, in hoc æquari Episcopis, cùm subditi istorum non habeant alium Episcopum.

23. QVÆST. *An peccatũ sit dare petita ab Episcopo, vel Vicario, pro dicta licentia, quando nolint eã aliter dare, etiamsi Conciliũ ibi velit dandã gratis?*

RESP.

Resp. Non esse peccatum, quia hoc est redimere vexationem.

24. Qvæst. *Quid intelligatur nomine fructuum, quos Curatus absens lucrari non potest?*

Resp. Fructus esse in triplici differentia, quidã dicuntur naturales, qui sunt, quos spontè natura producit, vt poma, & similes: quidam vocantur partim naturales, partim artificiales, vt segetes, vinum, lana, & similes: & quidam vocantur industriales, quales sunt, qui percipiuntur ex mera industria hominis, vel eius labore, vt prædicando, Sacramenta administrando, & similia agendo: Igitur naturales solùm, & naturales, & artificiales restituuntur, alij non, nam & Nau. *c. 17 n. 94.* censet industriales esse, ac patrimoniũ. Sub hoc nomine etiam veniunt omnes fructus beneficij, qui communiter dicuntur incerta, vt acquisita pro sepultura, baptismo, & similibus, quę nunquã comprehenduntur nomine fructuũ.

25. Qvæst. *Quæ est pœna non residentis sine causa legitima?*

Resp. *Primò.* Peccatum mortale. Conc. Trid. ibi, & Bulla Pij IV. *In suprema.* Et toties erit mortale, quoties; iuxta ea, quę dicta sunt, aliquid in hac re graue esse, boni ac prudentis viri arbitrio iudicatum fuerit.

Secundò. Pœna extraordinaria Episcopi.

Tertiò. Amissio fructuum beneficij pro rata temporis absentiæ de facto amittendorũ, absq; alia declaratione. Et prohibetur compositio pro fructibus malè perceptis. Et si absentes per edictum citati, ait Concilium ibi etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum relinquit

Ordinario per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque iuris remedia, etiam vsque ad priuationem compellere; nihil hanc exequutionem impediente. Azor. *l. dicto ca. 6. q. 2.* Et nota, quod amissio fructuum incurritur de facto, & debetur fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci, etiam ante vllam iudicis condemnationem.

26. Qvæst. *Quos, seu quantos fructus beneficij amittat non residens?*

Resp. Concilium ibi habere, non facere fructus suos pro rata absentiæ, ita vt possit dici, si beneficiarius, qui abfuit, habet singulis mensibus triginta, & abfuerit diebus decem teneatur restituere decem.

Dices Fortè ista pœna, seu restitutio poterit moderari, cò modo, quo ex sapientum consilio moderata est Bulla Pij V. ex primo Lateranensi Concilio, quæ afficit non recitantes officiũ post sex menses ab adepto beneficio, ad similem restitutionem, cum vtriusque eadem videatur ratio pœnæ?

Resp. Et dico primũ ex Lud. Lopez *Instru. 2. p. ca. 95.* Qui omitteret pensũ horarũ ad paucos dies, puta octo, vel decẽ, non teneretur aliquid restituere, eo quod nec famulus alicuius domini, si parũ deficeret à debito seruitio, nõ propterea tã acerbè puniretur, & fit multũ probabile longè minus puniturũ Deum tam magnum Dominũ.

Dico secundò: Verè esse constitutionem illam obligare ad restitutionem pro rata fructum, pro matutino omisso medietatẽ, & pro omnibus aliis horis aliã medietatem, pro singulis verò horis sextam

sextã partẽ fructuũ respondentem die illo. Verũ est etiam Tol. *instit. l. 2. c. 12. n. 5.* Limitare hãc restitutionẽ: vult enim faciendã esse pro ratione tertiæ partis fructuum. Verbi gratia omittit quis officium vna die, & eadem lucratur nouem iulios, tenetur restituere tres. Verum est præterea Henrique. *li. 13. c. 13. n. 2.* velle Episcopum, & Curatũ, pro omissione omniũ horarum vnius diei, restituere quintam partem fructuũ respondentem, vt est dictũ; omnem alium beneficiariũ restituere tertiã partem. Lopez etiam loco dicto scio velle, beneficiarios habentes beneficia cum sola obligatione recitandi horas, omittentes horas, teneri restituere iuxta supradictam Constit. Pii V. alios verè beneficiarios, qui vltra obligationem officij, tenentur etiam ad aliud, puta ad celebrandum, teneri ad restitutionem tertiæ partis fructuum respondentium, vt est dictum.

Ex quibus dico tertiò. Cùm, quæ dicuntur de horis, possint conuenire residentiæ, nam, & Nauarr. *c. 24. nu. 122. not, 5.* quo ad restitutionẽ, facit ista paria, speculatiuè fortè posset de vtriusque eodem modo teneri, tamen practicè non credo bonum, extendere sensum dictæ Constitutionis nam, & moderatio prædictorum Auctorum non est ab omnibus recepta. Non recipit eam Nauarr. *nu. dicto*, Azor. *Instit. 2. p. l. 10. c. 14. q. 2.* Leon. Lessius *de iustitia, li. 2. c. 34. n. 208.* qui est vltimus vbi ait obseruandã dictam constitutionẽ, vbi vsu est recepta, concordat dictis De Graffijs *l. 2. c. 51.*

An verò sit consuetudo legitima in contrarium pro modificatione restitutionis, iuxta sententiam eam modificantium, nescio.

Habet

Habet multum de probabili, restitutionem prędictam posse limitari iuxta limitationem dictæ constitutionis, quia Curatus non residens, habet præter onus residentiæ etiam officij onus, quod non meretur priuationem iusti stipẽdij, eo quod non residens, mereatur non facere fructus suos: cùm sit æquum, illum quidem perdere, quæ debentur residenti, sed non quæ debentur officium, seu horas persoluenti.

27. QVÆST. *An sit contra bonam, residentiam acquirere per edictum, dicimus vulgariter, per cõcursum meliora sacerdotia?* v. g. *statim atq; quis audit positam sub edicto curam pinguiorem, an possit illam quærere, relicta priore; & hac denuo relicta acquirere aliam pinguiorem eadem via; & sic in infinitum pinguiora sacerdotia venari?*

RESP. Non esse contra bonam residentiam, dummodo verè resideatur: esse tamen contra rectam rationem: dum enim consequutus est beneficium sufficiens, non vacat vitio quærere pinguius: sed etsi collatori constaret de prauo effectu, non dubito, quia talia agens haberetur omni indigno indignior.

28. QVÆST. *An tuta adeptio beneficij, in quo est Cœlum insalubre, & qui adipiscitur, intelligit non residere obtenta tamen licentia?*

RESP. Si Cœlum sit adeò insalubre, & per neminẽ ibi possit, aut soleat resideri, putà quia parochij alio commigrarunt, ita adipiscente non peccare. Si verò delicatiores nõ resident: sed hoc præstant homines Cælo assueti, vel alij idonei mercede conducti; siquidẽ residentia per hos cõtinuò præstatur, nescio quomodo excusandus: sibi

sibi enim imputet, quia tale beneficium adeptus est: si enim noluit residere ad quid sedem occupauit? Si autem intellexit non residere per duos menses à Conc. Trid. concessos excusabitur: si verò inclementia Cœli prohibet à residentia solum per aliquot menses, & interim de Vicario ideoneo prouidet necessitati populi, & beneficiarius aliquo tempore residens vtilius curat parochiam suam alio semper residente (quod credo de nusquam contingentibus) excusabitur à residentia per legitimam licentiam: vt dicitur supra *n. 12.* Sil. *resid. q. 7.* Et si concurrente alio idoneo, & residere valenti, iste concurrat, & beneficium acquirat, sciens de qualitate alterius pariter concurrentis sine dubio apud homines euadet impunè; non vero apud Deum: ratio est, quia isti deest possibilitas exequendi officium suum, qua stante, & sciente alterius aptitudinem peccat quærens beneficium.

A. VICTORELLI

Ad Caput I. NOTÆ.

1. EPiscopis, Parochisque (hi quoq; sunt Animarum Pastores) residentiã, Diuino iure iniunctam esse, docent Driedo, Caiet. Miranda, Nauarr. alijque plures doctissimi viri; inter quos Sot. *de nat. & gratia, ac de iustit.* Couar. *lib. 3. var. resol. cap. 13.* Greg. de Val. *tom. 3. dist. 10. qu. 3. p. 5.* Lessius *de Iust. lib. 2. cap. 34. D. 29.* Rodriquez. *p. 2. ca. 35.* Fauet. Syn. Trid. loco ab Auctore citato, sed non decernit. Fauent diuinæ Litte-

Litteræ. [*Cognosce vultum pecoris tui, & greges tuos diligenter considera* Prouerb. 27. *Attendite vobis, & vniuerso gregi.* Act. 20.] Aduersantem Ambrosij Catharini sententiam, tract. de Residentia, nonnulli amplexi sunt.

Greg. de Val. non sine probabili ratione, animarum Pastores ad residentiam, etiam naturali iure, obligatos esse, arbitrantur; quia, suscepto munere, iure eodem, vnusquisque recte fungi debet: at Pastores, sine residentia, suo munere recte fungi non possunt. Hoc ipsum docuit Caranza de Miranda, in controuersia de Residentia Trid. explicata.

Non solum Conc. Trid. industriam personæ requirit, in Parochorum munere; sed etiam sacri Canones, summa digni veneratione. [Qui Parochialem habet Ecclesiam, non per vicarium, sed per se ipsum illi deseruiat.] Cap. extirpandæ de præb. Pastores sunt tanquam anima. Vicarij tanquam membra in Corpore. Qui tamen Pontificis Summi dispensatione, sine dolo, & mendacio impetrata, non resideret; lethalis culpæ reus non censeretur. Inferiores Episcopi in hac re non dispensant.

10. Quiescere Parochum, cui in vinea Domini laborandum, & Sacerdoti Vicem gerenti, sine iusta causa, omnia onera grauia relinquere, vacabit culpa? Hoc auctor; si apertius loquentem audire volueris, non affirmabit. Residentia, iure Diuino, præcepta est: vt est probabile, ius diuinum, aut naturale nulla consuetudo tollere potest. Cou. *lib. 1. var. resol. libr. 17. n. 8, lib. 3. cap. 13. n. 9.* Residentia non

solum

solum inter oues habitationem indicat; sed Pastorale munus, sed vigilem curam, sed diligens Sacramentorum, & Diuini verbi ministerium. Per se ipsum, Parochum Ecclesiæ suæ deseruire debere, tradit Pontifex *cap. extirpanda de præb.* & Trid. Concil. sess. *23. cap. 1. de reform.* animarum Pastoribus diuino præcepto mandatum, dicit; vt residentes, agnoscant oues, pabulo Sacramentorum, & Diuini verbi prædicatione pascant; & paulo post, vt eas in iudicio, & veritate pascant, & regant. Sacerdos Vicarius sit Parocho grauis laboris socius. Parochus pascat, & regat suo studio, quantum potest, sibi subiectos homines. Quod si vellet, genio solum indulgere, honore, & opibus Ecclesiæ potiri, sine vlla Cura, & labore, fructus, qui pro cura, & onere Pastorali exhibentur, suos non faceret: vt mihi quidem videtur; non residet enim qui, cum debet, & potest, non seruit Ecclesiæ: si segniter oscitanterque Pastorale munus obeas, nihil refert an adsis, vel absis, Soti testimonio *li. 10. q. 3. art. 1. de iust. & iust.* V. etiam Rodriquez *p. 2. cap. 35.* At inquies, sum indoctus parochus; munus meum vir doctus exercet; eius ego fretus doctrina, & diligentia, cutem curo, genio indulgeo, libris, & cuiuis pastorali sollicitudini nuntius remisi, & remitto, in dies diligentius suauibus amicorum colloquijs, venationi, aucupio piscatui, conuiuijs, ludis delector: in his tempus terens beneficij fructus, sine vllo conscientiæ aculeo percipio. O te miserum, quem tartareus premit hostis; qui à via salutis aberras, qui iniuste

iniuſte percipis fructus non tuos; quos, ſi ſaluus eſſe volueris, reſtitui à te oportebit. Redi ad cor, frater, redi ad bonam frugem, agnoſce infernas tenebras quibus obuolueris; relinque, ſperne, deteſtare inutilia colloquia, conuiuia, venationes, ludos pernicium animæ tuæ afferentes: ſacra ama, & ſtudia, lege bonos libros, & eos præcipue, qui conſcientiæ officia tradunt, conſule pios, doctoſque viros; & pro viribus enitere; vt oues tibi traditas bene regere, ſacramentorumq; adminiſtratione, verbi Dei pabulo bonorum operum exemplo paſcere queas. Bonas tuas cogitationes, deſideria, ſtudia, conatus, mirum in modum, Deus clementiſſimus adiuuabit: teque per viam ſalutis incedentem, ſolabitur: & bene morientem æternæ gloriæ corona cumulabit. Si te ad bonam non receperis frugem; ſæuiſſimam æternæ mortis pœnam non effugies & mendax breuium tuarum voluptatum lux, in veras æternarum miſeriarum tenebras conuertetur. Vide quæſo, quæ Sotus *de Reſidentia libro 10 qu. 3. a. 12.*

De cauſis abſentiæ Gregorius de Val. diligenter, & Leſſius L. C.

Sacra Card. Congregatio declarauit (Paulo Comitolo teſte, lib. q. 60. Reſponſorum moralium) Parochum in ſua Parochiali Eccleſia graues inimicitias gerentem, de licentia Epiſcopi per annum abeſſe poſſe. Epiſcopi poterant Parochis concedere, vt, cauſa ſtudij Theologici vel ſacrorum Canonum, per aliquot annos à reſidendo excuſarentur: nunc verò, vt Congreg. Card. declarauit, hæc facultas ab Epiſcopi con-

concedi non potest. V. Sa. V. *Residentia num.8.*

33. Non residentem, sine iusta causa, non facere fructus suos, Conc. Trid. *l.c.* decretum est restituere debere, ante condemnationem, affirmant, & vere Val, Sa. *l ca.* & alij, contra Nau. Restitutionem huiusmodi, diuino quoque, & naturali iure præscriptam esse, docet, loco citato, Valentia; nec abnuet Caranza.

Parochos, per duos primos menses, sine licentia Episcopi, abesse posse, affirmat Nau. *cap. 25. n.121.* negat Lessius, *loco citato.* De residentia Pastorum egregie Franciscus Turrianus vir doctissimus. De irregularitatibus non residentium in proprijs Ecclesijs, Alphonsus Viualdus *cap. 8.* Supplementi ad Candelabrum Aur.

35. De restitutione, ob horas canonicas non recitatas Petrus Aragon. *de Iust. q.83. a.13.* Petrus Nau. *li.2.ca.2.de Restit.n.180.* Greg. de Val. *tit. 3. D.6.qu.2.q.10.in fine.*

Parochum non Sacerdotem, à die collati beneficij Nauar. à die possessionis obtentæ. Flam. Parrisius, & Azor. *tom.1.libr.10.c.4.mor.* Inst. horarias preces persoluere debere, arbitrantur.

CAPVT II.

DE SACRIFICIO

SVMMARIVM.

1. An Cur. sacrificet pro populo.
2. Curatus quoties sacrificet.
3. Aliter ordinatio, aliter præceptum obligat.
4. An Cur. applicet Missam, & cui.
5. An Curatus possit facere celebrare per alium.

6. Cur.

6. Cur. raro celebrans, an excuſetur.
7. An Cur. bis celebret eodem die.
8. Curatus quantum expectabit pro dicenda Miſſa.
9. An celebret ſine Miniſtro, & quando.
10. An interrumpenda Miſſa, & reaſſumendo.
11. An interrumpenda ſit Miſſa, & diſcedendum ab altari.
12. Quid aget Cur. quando poſt Can. interrumpat Miſſam.
13. An poſſit ſuperſedere in Miſſa.
14. Pœna Miſſam interrumpentis.
15. An Cur. excommunicatus ſtans in altari poſſit confiteri.
16. An Miſſa dicenda non dicto Matut.
17. Rubrica Miſſalis an ſub mort. obſeruanda.
18. Curatus cum non poſſit legere. Carract.
19. Curatus quantum dat celebranti proſe.
20. An Curatus det pitantias diminutas alijs.
21. Curatus diues an poſſit accipere ſtipendium pro dicenda Miſſa.
22. An Cur. poſſit transferre in alium diem dat ſtipendia.
23. An poſſit celebrare pro minima ſtipe.
24. An Curatus pauper poſſit plura ſtipendia accipere pro vno ſacrif.
25. An Curatus poſſit accipere plus ſolito pro dicenda Miſſa.
26. An poſſit admitti Sacerdos ignotus.
27. An particulæ conſecrandæ ſint.
28. Sacerdos conſecrans minores particulas quibus ſint infirmi communicandi.
29. Quæ Cur. denunciet ex altari.

30. *An detectio vitij vagabundi licita.*
31. *Denuntiatio si iubeatur sit per scripturam.*
32. *An Curatus obediat Episcopo sub mortali.*
33. *Munditia rerum sacrarum.*
34. *Corporale quomodo conseruatur mundum.*
35. *Calix quomodo mundetur.*
36. *Missas insolitas fugiat Curatus.*
37. *Non benedicat Cur. vestes sacras.*
38. *Notandum circa vestes sacras.*
39. *An eat ad altare cum baculo.*
40. *Indecentiam in gestu euitet.*
41. *Cum cantator Passio an Sacerdos teneatur recitare totum.*
42. *Si Sacerdos in die Natiuit. sumpserit post primam. vel secundam Missam.*
43. *Cum Sacerdos non possit Missam cœptam perficere.*
44. *Si inter Sacrificandum Eccles. polluetur.*

1. QVÆST. *An Curatus teneatur sacrificare pro populo?*

RESP. Teneri de iure Diuino. Cum præcepto diuino (ait Conc. Trident. *sess. 23. capit. de reform.*) [*mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, &c.*]

Aduertendum tamen in aliquibus Curis, esse etiam Collegiatam, & penes Curatum esse administrationem Sacramentorum, onus verò celebrandi apud Capitulum, tunc cum Capitulum succedat in onere celebrandi, Curatus erit liber, & Capitulum tenebitur celebrare.

2. QVÆST. *Quoties Curatus teneatur sacrificare?*

RESP

Resp. Sermonem esse, quando de nulla obligatione per tabulas Ecclesiæ constat, & dico in iure non esse determinatum ex Nauarr. *cap. 25. numer. 134* Tamen Concil. Trid. *sessione. 23. cap. 14. de reform.* ait; *Curet Episcopus, vt ij* (loquitur de Sacerdotibus) *saltem diebus Dominicis & Festis solemnibus: si autem Curam animarum habuerint; tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Igitur tenebitur celebrare quoties necessarium fuerit populo, quod erit omnibus diebus Festis: quoties danda est benedictio nuptialis, quæ datur cum Missa; quoties est consuetudo sepeliendi mortuum cum Missa, & hoc sub mortali, quia deficit in re graui [Non celebrare verò secundum consuetudinem Curatorum eiusdem loci, non credo obligare sub mortali, quia consuetudo, quæ dependet à mera liberalitate, qualis est hæc non obligat. Rebellus de obligationibus *p. 1. libr. 1. quæst. 5. nu. 27.* & omnes. Verum est tamen, quod si Episcopus modum præscripserit, Curatus tenebitur obedire Sot. *de Iust. libr. 9. quæst. 3. ar. 1.* & hoc sub mortali. Nauarr. *capit 25. numer. 88.* Henr. *lib. 9. c. 23. num. 2. glos. G.*

Sed aduertendum, An sit Episcopi ordinatio vel præceptum, quia præceptum obligabit, ordinatio verò non item sub mortali.

3. Quæst. *An Curatus, vel Capitulum, quod stat loco Curati, vt est dictum* nu. 1. *teneatur applicare Missam populo, quando de nulla obligatione non constat?*

Resp. Sotum *de iust. libr. 9. quæst. 3. articul. 1.* in medio dicere, cum teneri ad celebrandum quoti-

quotidie, si redditus aliter sint sufficientes ad ipsum alendum, sin.ter, vel quater in hebdomada, pro qualitate reddituum ad iudicium Episcopi. Tol. vero *Inst. li. 5. c. 5.* ait sufficere, si celebret diebus Dominicis & Festis, & aliquot etiam ex diebus alijs, & tunc secundum opinionem Doctorum tenetur applicare populo Missam. Sed quia est aliud teneri ad dicendum Missam, vt eam audiant parochiani, aliud verò teneri ad offerendum pro ipsis, & ex vno aliud non infertur, melius est, quod concludit Francis. Suarez *tomo 3. disp. 86. sec. 1.* Nullam in hoc certam regulam dari posse, sed consulendam esse consuetudinem, aut si de ea nihil certi constat, Episcopum debere in hoc certum aliquid statuere, quod si hoc non faciat, prudenti arbitrio parochi relinquendum. [Nunquam tamen credo ad hoc obligatum sub mortali, cum non constet de tali obligatione, vel per tabulas Ecclesiæ, vel præceptum. Episcopi, quia in præiudicium tertij non est inducenda obligatio, nisi per claras probationes, quales non sunt hic, sed sint potius coniecturæ, licèt rationabiles.

4. Qvæst. *Quando Curatus tenetur celebrare, an possit facere celebrare per alium?*

Resp. Posse qui nullibi contrarium prohibetur: intellige pro vna, aut altera vice, quia si hoc esset ad longum tempus, & ad otium, non credo excusaretur, iuxta dicta *cap. 1. n. 10. & 11.*

An verò Curatus, qui per alium facit celebrare quoties opus est, possit ipse celebrare solum quoties tenetur alius quilibet Sacerdos non Curatus, nec aliqua obligatione adstrictus?

Resp. Nauarr. *cap. 25. nu. 88. &* Azor. *1. p. libr. 10. cap. 24. qu. 1. vlt. quæsit.* Excusare à mortali c um, qui ter in anno celebrat, dum nulla alia obli gatione tenetur, dummodo sit sine scandalo. A vix potest esse sine scandalo in Curato residēte quia si non sederit, videtur inesse minor caus scandali.

5. Qvæst. *An Curatus possit bis celebrare u dem die ingruente necessitate, etiam non sumpt purificatione, per casus recensitos à Summistis.* Sil Missa. 1. q. 7. *Nauar* cap. 25. numer. 87. *So.* in dist. 13. quæst. 2. ar. 2. argum. 3. *& alijs, & an h possit auctoritate propria, stante tali necessitate?*

Resp. Sotum ibi docere non esse in vsu pluri eadem die celebrare, nisi in Die Natalis Dom ni, & quando Curatus habet duas Ecclesias, quibus vterque populus solet habere suā Missa De Graff. *1. p. lib. 2. c. 40. num. 3.* tenet cum So Azor. item *1. p. Inst. libr. 10. c. 23. q. 8.* & addit p se prętęrea bis celebrare, cū sepeliendus est m tuus, qui sine Missa non sepelitur, puta quia consuetudo, & præterea etiā in omnibus casib recensitis à Summistis, vbi est raritas Sacerdot maximè si accedat Episcopi consilium, Cre dicendum, Tunc posse dici duas Missas, quan ibi sit talis consuetudo, quod si nulla sit consu tudo, non dicerem, nisi consulto Episcopo. R tio est, quia ista sunt iuris positiui, & in illis co suetudo dat, & tollit iurisdictionem, & casus n merati à Summistis in desuetudinem abierun

6. Qvæst. *An Curatus teneatur manere ieiu nus vsque ad horam congruentem celebrandi?*

Resp. Sil. *Sacerdos num. 2* Armil. *ibi affirman*

Cred

Credo distinguendum. Debere manere, cum est verisimile futurum casum, per quem debeat celebrare, puta quia quis agonizat, & in illo loco statim à morte, si sit hora competens, celebrare faciunt pro mortuo. Cum danda est benedictio nuptialis, quæ datur cum Missa. Cum communicandus sit infirmus, & non adsint particulæ, nisi consecrentur à parocho. Sed iste vltimus casus de rarò potest contingere, cum in Curatis communiter particulæ conseruentur pro viatico. Item tenetur manere ieiunus vsque ad horam ordinariam loci pro Missa, & hoc in diebus Festis, maximè in villis vbi necesse est expectare parochianos suos venientes ad Missam. Intellige omnia, quando Curatus est solus in loco, & non habet alium, per quem possit necessitati facere satis.

7. QVÆST. *An Curatus possit sine ministro celebrare?*

RESP. Azor. *1. p. li. 10. c. 29. qu. 3.* posse cum grauis necessitas premat, & citat *gloss.* communi cõsensu probatã. [Grauis autem necessitas credo erit, quando ipse tenebitur celebrare, vt est dictũ *nu. 2.* Si verò Curatus sit in loco, vbi nullum ministrum habeat, qui respondere sciat, & celebret absque necessitate, dummodo habet, qui vrceolos ministret, & sit mas, non fœmina, poterit ipse sibi respõdere. Sil. *miss. 1. quæst. 2 no. 2.* So. *distinct. 13. quæst. 2. ar. 5. colum. ante finem.* Azor. *cap. dict. qu. 2.* & tam Sotus, quàm Azor. non admittunt fœminam, etiam in necessitate. Videtur autem, quod possit sibi respondere, nam *rub. Missalis recogniti à Clemente VIII. cap 4.* ritus

seruandi in Missa habet, si minister, vel qui in-
terſunt celebranti non reſpondeant ad Kyrie e-
leiſon, ipſe ſolus nouies dicat, & cum quæ di-
cuntur de Kyrie eleiſon, poſſunt etiam intellig
de Pſal. *Iudica me Deus*, &c. & de alijs, quia om
nium eadem ratio, tutò videtur dicendum vt ſu
prà. Et ſi adſit, qui ſciat reſpondere, ſed non va
leat miniſtrare vrceolos propter chiragram, v
aliud impedimentum, ipſe Curatus poterit ſi
miniſtrare. Deducitur ex Henriq. *libr. 9. cap.*
nu. 5. qui hoc concepit, quando cœpta Miſſa, p
er qui miniſtrabat diſceſſit, puta vt quæren
vinum, vel aliud, & expectatus per aliquam m
ram rationabilem non reuertitur; nam in vtr
que caſu par eſt ratio ſibi miniſtrandi, conſul
rem tamen pro viribus ab hoc abſtinere, & n
condemnarem de peccato Curatum, qui ita, e
am ſæpè ageret, dum eſſet in loco, in quo n
adeſſet aliquis qui ſciret reſpondere, nec aliun
poſſet haberi, quia rectè poſſet dici iſtam nec
ſitatem nõ habere legem: Et Suarez *tom. 3. qu*
83. diſp. 88. ſect. 2. in fin. in defectum miniſtri
ſcientis reſpodere docet, Sacerdotem poſſe p
ire dicendo, quæ veniunt reſpondenda, & mi
ſtrum ſequi recitando verba Sacerdotis.] Et
quis habeat miniſtrum, qui malè reſponde
puta multa in notabili parte omittat, vel cor
ptè proferat, celebret, & non curet, quia cum
error iſte frequens, maximè inter idiotas, hac
nus de illo dubitantem non vidi.

8. QVÆST. *An Curatus poſſit interrump*
Miſſam?

RESP. Miſſam interrumpi, aſſumatur, quan
di

dicta Epistola aduenit Episcopus, vel Princeps, qui vult Missam. Azor. *1. lib. 10. cap. 32. quæst. 3.* At Henriq. *lib. 9. cap. 30. num. 3.* extendit etiam dicto Euangelio, & quando etiam aduenit multitudo iter faciens. Quanti verò faciant multitudinem, credo non esse scrupulosè opinandum. Pro decem ego reassumerem, cum nulla iniuria fiat Sacramento: & credo tuto posse reassumi ab offertorio citra. Ratio est, quia quæ præcedunt offertorium, non sunt de necessitate sacrificij quod constat offertorio, consecratione & consumptione. Et intra dictũ locum poterit reassumi toties quoties adfuerit, vel superuenerit causa excusans, vt est dictum, quia stante dicta causa iusta, semper iustus erit effectus. Sed ad hoc necessaria prudentia, & non reassumerem vltra primam vicem, nisi causa superueniens esset maior prima aliàs vix cessaret scandalum, aut ad minus admiratio, & ab vtroque pro viribus cauendum.

9. Qvæst. *An interrumpenda vnquam Missa, & discedendum ab Altari, puta, pro confessione morientis, vel pro baptizando puero moriente?*

Resp. Tentanda prius omnia, ne discedatur ab Altari. Si Sacerdos est ante canonèm, potest discedere, *rubri. Miss.* de defectibus in ministerio occurrentibus. Si est post canonem non debet interrumpere Azor. *1. p. libr. 10. cap. 32. quæst. 1.* qui vocat hanc opinionem communem. Tol. verò *inst. lib. 2. cap. 9. num. 9.* concedit Missam posse interrumpi, quando verisimile est Sacerdotem occidendum, si voluerit eã perficere, puta hoste

inuadente vrbem, Ecclesia ruente, & similibus? Consulerem vt tamen, Curatum, antequam discederet, admoneret populum de necessariâ causa discessus, ne scandalizaretur, vel grauiter admiraretur.

In isto tamen casu hostis, vel periculi, potest statim Sacerdos se communicare, relictis reliquis, & discedere. Quod si hoc non potest, poterit discedere, & ferre Sacramentum in corporali; Quod si nec hoc potest, discedat. Tolet. *ibi.* Se & si fuerit aggressus, poterit defendere, cũ moderamine inculpatæ tutelæ. & si non excedendo dictum moderamen, occideret aggressorem, deberet Missam perficere, siue esset ante, siue post consecrationem.

10. QVÆST. *An Missa possit interrumpi sup sedendo, & non discedendo ab Altari. Verbi grati incipere eam hora competenti, & dicta Epistola ex pectare ad aliquas horas venientem, & cum venerit perficere eam?*

RESP. non posse, quia Missa est dicenda continuata, & non potest interrumpi, nisi vt est dictum *num superiori.* Qui verò supersederet ad breue tempus, non credo peccaret, ratione paruitatis actus. Interrumpitur autem quando in Missa habetur Concio.

11. QVÆST. *Quæ pœna sit interrumpentis Missã*

RESP. Si ante offertorium interrumpitur, vt re assumatur, nullum peccatum, quia permissum. Si interrumpatur sine causa, peccatum esse mortale, & interrumpentem posse excommunicari. Idem si interrumpatur post canonem, sine causis excusantibus, vt est dictum *n.* 12. & talis po-

test

test excommunicari, licet non sit excommunicatus, vt quidam volunt. Azor. *1.p. li.10. cap.32. quæst.1. & 2.* Sed Henriq. *li.9.ca.26.nu.3 gloss. Q.* vult esse suspensum.

12. QVAEST. *An Curatus, qui ad Altare recordatur se excommunicatum, vel in mortali, debeat vocare confessarium, cum eum habere possit, & cõfiteri, cum id sine infamia possit, vt in* MISSA *cantata euenire potest?*

RESP. Sil. *Euch.2.quæst 7. affirmare,* De Craff. *1.p.li.1.ca. 12.nu.8.* dicit debere vocare confessarium, Henriq. autem *lib.8.cap.46.num.3.* negat, quamuis commodè, & sine scandalo possit vocare. Ratio est, quia Conc. Triden. *sess. 3. c. 7.* ait teneri ad confitendum huiusmodi, quàm primum potest percepta communione, & non distinguit, si possit, vel non possit tunc habere copiam confessarij. Cùm qua contritione Curatus in mortali, & quoties celebret: vide *c.5. num. 39.*

13. QVAEST. *An Curatus possit dicere Missam non dicto matutino?*

RESP. Cum vrget causa posse, puta, quia pulsata campana, recordatur se non dixisse matutinum, cum magnus vir aduenit volens Missam, cum sepeliendus est mortuus, qui petit Missam, & cum adest omnis alia rationabilis causa, quæ reducitur ad necessitatem. Sil. *mis. 1. q.6.no.4.* Azor. *Inst.lib.10.c.28.q.17.1.par.*

An hoc idem, possit causa nulla vrgente?

RESP. So. *dist.13.quæst.2 ar.2.in fine, & de iust. lib.10.quæst.5.ar.4.concl.1.* affirmare, alios verò negare, sed nec habent improbabilem opi-

nionem Soti. *Rubric. miss. Pij V.* habet *Missa* di-
catur saltem dicto matutino, At Missale recog-
nitum à Clem. VIII. habet saltem matutinum
cum laudibus absolutum. [Cum tamen Cura-
tus non sit suæ libertatis, & possit illi sæpè man
contingere casus vt pro quo debeat celebrare
expectare sit illi odiosum, si sapiens, credo illud
rectius acturum, si in sero præcedenti, dixer
matutinum.

An verò non obseruare rubricas Missalis
peccatum, Azor. *1. p. lib. 10. c. 29. q. 6.* ait ex rubri
cis non posse aliquid certi statuere: affert tame
duas opiniones, vnam affirmantem esse mortu
le, alteram negantem. Suarez verò *tom. 3 qua*
83. *sect. 3. in fine*, vult esse mortale: quia in Bul
Pij V. Missalis habeatur Mandantes, & strictè
virtute sanctæ obedientiæ præcipientes: Et Ci
cil. Trident. *sess. 22. cap. de obseruandis in celebr*
tione Missarum præcipiat idem, sed Suarezi
specificat esse mortale cum additur aliquid no
tabile; maximè si addatur in his, quæ publicè d
cuntur, & periculosius esse addere, quam omi
tere. At Bulla Pij V. & locus Concil. præcipiu
prælatis; Tutior est sententia Suarez, sed no
improbabilis contraria negans ista sub præc
pto proponi.

14. QVÆST. *An Curatus, qui propter impedi*
mentum temporaneum, vel etiam perpetuum, pu
quia non potest legere officium, eò quod habeat ca
racteres paruos, sed non impeditur legere in Missa
li habenti caracteres grandiores, an possit dicer
Missam absque quod dixerit officium?

RESP. Affirmare So. *de iust. li. 10. q. 5. ar. 4.* Cõc.
Azor

Azor. *Inst. p. 1. lib. 10. cap. 28. q. 18.* Tol. *Inst. lib. 2. c. 14. nu. 2.*

15. QVÆST. *Qua hora ante diem possit Curatus dicere Missam pro communicando infirmo,* vide c. 8. nu. 28.

16. QVÆST. *An Curatus, qui facit per alium celebrare teneatur dare stipem pro ratione reddituum beneficij?*

RESP. negatiuè Henrique *lib. 9. cap. 22.* sed sufficere si det secundum consuetudinem loci

17. QVÆST. *An Curatus, qui habet multas pitantias distribuendas pro Missis, possit, de illis diminutis, aliquid sibi retinere?*

RESP. Sot. *de iust. li. 9. q. 3. ar. 1.* Nau. *c. 25. nu. 91. not. 24.* concedere, dummodo iustum stipendium detur mercenario. Istum autem tunc est, cũ datur secundum consuetudinem loci. Suarez. *to. 3. q. 83. disp. 86. sect. 2.* At ego consulerem abstinendum, quia habent nescio quid negotiationis vel certè sordiditatis: excusarem tamen, si ita esset consuetudo scita, & tolerata, vt potest esse in aliquibus Ecclesijs, in quibus sit magnus concursus Missarum dicendarum, vt euenit, vbi sunt aliquæ sanctorũ imagines miraculosæ, vel vbi, propter populi deuotionem, magnus est concursus.

18. QVÆST. *An Curatus diues ex beneficio, vel patrimonio possit accipere stipendium pro dicenda Missa ad alterius nutum, eo die, quo non obligatur pro suis, vel alijs offerri?*

RESP. So. *de iust. lib. 9. qu. 6. ar. 5.* Nau. *cap. 23. num. 101. no. 9.* & citati à Suarez *to. 3. qu. 83. disp. 86. sect. 3.* posse: imò etiam posse paciscì, ac si nihil haberet, quod negare sine causa Caietanum,

& Nau. Suarez ibi affirmat. Ab hoc tamen abstinendum, quia vix potest esse sine scandalo. So. *ibi.*

19. QVAEST. *An Curatus possit stipendium accipere pro ea* MISSA, *quam alteri applicare tenetur?*

RESP. Suarez *qu. dist. sect. 3. in prebat. 3. concl.* posse, cum parochi sciant Curati obligationem & ea non obstante, ita à Curato exigunt Et non solum Curatus hoc licite recipiet à suis, sed etiã ab externis. Porrò parochi sufficienter dicentur scire Curati obligationem, si communiter de ea re sit notitia in Parochia, vel Episcopus per publicum mandatum obligationem præscripserit.

20. QVAEST. *An Curatus, accepto stipendio die quo possit sacrum facere pro solo dante possit sacrificium transferre in alium diem, in quo teneatur pro alio offerre, & eodem sacrificio satisfacere vtrisque cùm dans sciat Curatum obligatum aliquoties in hebdomada offerre pro alijs?*

RESP. Si non constiterit clarè dantem velle sibi, & alteri eodem sacrificio satisfieri, teneri Curatum celebrare die non impedito. Ratio est, quia ex communi omnium hominum sententia, qui dat, intelligit accipere vtilius; quò potest beneficium, cuius causa dat. At vtilius est pro vno celebrare, quam pro duobus simul. Si tamen Curatus aperiat danti onus suum, & dans voluntariè acquiescat, poterit Curatus eodem sacrificio satisfacere danti, & obligationi sui officij. Porrò notet Curatus clarè onus suum aperire; & si ita declarato dans acquiescat, tutò aget sacrificando pro duobus. Dicere autem, orabo pro

tè,

tè, cùm idiota sit, non est oratio concedens? Curato vnico sacrificio satisfacere duabus obligationibus, quia hoc non explicat facturum sacrũ pro illo solo cui dicta verba profert iuxta dantis intelligentiam.

21. QVAEST. *An Curatus diues teneatur dicere Missam pro solo dante stipem, cum est diminuta, & non iuxta consuetudinem loci?*

RESP. Non teneri, quia cum stipendium non sit iustum, nec Curatus de iustitia tenebitur, melius est tamen celebrare.

22. QVAEST. *An Curatus pauper possit pro vnico sacrificio accipere duo iusta stipendia?*

RESP. Non posse. Suarez *qu. d. disp. 86. sect. 4.* poterit tamen accipere duo, & plura stipendia, quæ simul sumpta non excedant vnicum iustum stipendium, nisi voluntariè promiserit totum sacrificium donanti vnum illorum stipendiorum diminutorum Suarez *ibi.*

23. QVAEST. *An Curatus possit accipere pro dicenda Missa stipendium maius solito iusto?*

RESP. Posse etiamsi sit diues, dũmodo nõ petatur, & largitio sit omnino libera: accipiens potest credere, quod superfluit, liberè dari, sciente donante, quale stipendiũ sit iustũ, & ordinarium.

24. QVAEST. *An Curatus in sua Ecclesia admittat Sacerdotem ignotum ad celebrandum, sine literis commendatitijs sui Episcopi?*

RESP. Conc. Trid. *sess. 23. ca. 16. de reform.* dicere. Non admittantur ad celebrandum ignoti, sine literis sui Ordinarij. Sic posset practicari, obseruare cõstitutiones proprij Episcopi, quæ si nõ adsunt, & tales admittũtur, possunt admitti, ma-

ximè celebrantes ex deuotione: quia in istis vi
quicquam mali posset inesse. Si verò celebra
volentes quærunt stipem, ego non admitteren
nisi de licentia Episcopi, vel Vicarij.

25. Qvæst. *An quando consecranda sunt pa
ticulæ debeant ad offertorium cum Hostia offer
an sufficiat eas consecrare, absque quòd offera
tur?*

Resp. Et dico vidisse offerri, & non offerri,
si vis esse offerendas, credo sufficere si sint in
tari tempore offertorij, cum animo eas cons
crandi suo tempore.

Rubrica verò Missalis Clem. VIII. de def
ctibus occurrentibus celebrationi, *c. 3 nu. 4.* vu
omnino faciendam oblationem, vel realem, v
saltem mente conceptam, quando prosequen
sit Missa post defectum compertum in materi
At potest concordari, oblationem non esse
essentia sacrificij, vt vult Suarez, sed de integri
tate, vt dicit Rubrica Missalis. Rubrica Missali
tutior.

26. Qvæst. *Si sacerdos celebret, vt multos com
municet infirmos; & ante consecrationem aduer
tit, particulas non esse numero sufficientes; nec suf
ficienter posse prouideri communioni singulorum
per partes earundem; an tunc possit curare adferri
nouas particulas ad sufficientiam, & eas consecrari
absque offertorio?*

Resp. posse cùm secundum Suarez *tom. 3. qu
83. disp. 75. sect. 3.* illa oblatio non sit de essentia
tamen tutius est, eas iterum offerre solas; decen
tius verò offerre oblatione mente concepta.

Nota tamẽ propter difficultatem contingen-

tem

tem in collectione fragmentorum dum locantur super corporale, melius esse particulas ponere in pyxide, etiam cum consecratis, & tempore consecrationis dirigere intentionem super non consecratas. Si tamen ita semper egeris, periculum est, ne antiqua fragmenta corrumpantur, dum nunquam renouantur. Igitur potest fieri, vt est dictum rarò, & cum cautela, ne fragmenta inueteralcant.

27. QVÆST. *Quomodo se habeat curatus in denunciandis ex altari?*

RESP. Denuncianda esse in duplici differentia. Quædam enim denunciat absque alia licentia, seu iussione, & quędam non debet denunciare absque Episcopi licentia.

Quæ denunciat absque licentia, sunt item in duplici differentia. Quædam enim tenetur denunciare, vt dies festos, matrimonia celebranda, & dies ieiuniorum. [Et deficiendo in istis, credo peccare mortaliter, quia deficit in re graui, quæ sub mortali populus tenetur scire.] Alia denunciat sine iussione, sed non tenetur, vt res amissas, seu inuentas; Desideria pia particularium, puta quod quidam velit fabricare in Ecclesia, si populus adiuuet, & similia. In quibus bonum est, parochum esse facilem, dummodo nimia denunciatio similium, non reddat officium contemptibile: [Ideò prudens arbitrabitur; deficiendo verò citra damnum verisimile tertij, non peccabit plusquam venialiter, cùm omnia sint de materia leui: si verò ex denunciatione omissa verisimile sit damnum graue sequutum tertiò, (quod de rarò potest contingere) erit

mortale, quod bonus, & prudens arbitrabitur.]

Quæ verò non denunciat absque Episcopi licentia sunt, Citationes, & præcepta, & similia iudicialia, excommunicationes, & indulgentias etiam Papales. [Ratio est, non quòd similia manantia à Papa robur suum sortiantur à placito Episcopi, sed quòd Episcopus examinet, an sint falsa, & quod talis sit vsus vniuersalis, alioquin multi deceptores pro voto multa agerent. Resignationes beneficiorum. Azor. *2. p. lib. 7. cap. 24. quæst. 8.* Quæstuarios etiam non commendat, qui vero sint quæstuarij, vide Sil. *quæstuarij*. Conc. Trid. *sess. 21. c. p. 9. de refor.* hæc autem intellige cũ hac limitatione, si quærunt pro suo particulari victu non potes eos prohibere, nec Episcopi vnquam eos prohibent, si verò quærunt pro collegio, puta, *pro Hospitali, Conuentu aut Ecclesiâ.*] Episcopi votum est necessarium, ex Conc. *ibi*: In hoc tamen obseruã constitutiones tui Episcopi, quia in quibusdam Episcopatibus admittuntur ad quęstum vtroque modo sine licẽtia. Et si non prohibueris, dũ non habueris aliter in mandatis ab Episcopo, nõ peccabis. In vniuersum tamen alios mendicantes est melius prohibere, quia occasione istorum fideles nõ ita veraciter miserentur indigentibus. Silu. *Quæstuarij per totum.* Si autem aliter habueris in mandatis, iussa exequere, & diligenter caue, quia sæpè videbis quosdam malè ferizatos varia simulatione fideles decipere. Ex hoc genere sunt, qui quærunt pro locis ignotis, pro locis valdè remotis, ad quæ nõ est credibile oblata

deferri;

deferri; *Ballarini, Schiaui, fuggiti di galera, & Iudei Baptisati Hæretici cõuersi.* & alij varijs nominibus nuncupati, qui quærunt pro redemptione suorum apud Turcas captiuorum. Vide eorum literas commendatitias, quæ si sint confectæ à multis annis, habeas illos suspectos, nam hodie vagabundi hoc modo negotiantur. Nunquam tamen prohibeas, quin victum quærant. Et omnia dicta intelliguntur ita practicanda, vbi non adest Episcopus, nec Vicarius, vt in oppidis, quia in Ciuitatibus relinquenda est Cura Episcopo. [Eodem modo prohibeas, qui mendacio ferunt aliquas imagines deosculandas, sed & obserua constitutiones tui Episcopi. In aliquibus Episcopatibus iubentur Curati huiusmodi ab istis auferre.] An idem agendum sit cum regularibus ex quatuor ordinibus mendicantibus, & alijs eorum priuilegio gaudentibus cùm pro religione quærunt, Consule Episcopum, & iussa exequere, si nihil habes contra, bene permittis, dummodo verè sint regulares, non vagabundi.

28. QVÆST. Fortè, *an sit peccatum detegere occultum vitium vagabundi, verbi gratia, vagatur quis verè otiosus, an sit peccatum detegere istius simulationem, qua se pauperem fingit?*

RESP. So. *de iust. li. 5. qu. 10. ar. 2. & in medio,* & Lessius. *de iust. li. 2. c. 11. dubio 10. not. 63.* dicere, quando simulatio est cum damno tertij non posse sine peccato occulte vitium talis aperire. Videtur dicendum; si simulatio sit sine damno tertij, puta, quia iste quærens verè pauper est, & nequit, nisi ficta paupertate viuere, malũ esse eius simu-

simulationem aperire. Si verò iste quidem pau-
per, sed potest suo labore viuere, at otio illo tor
pescit, credo tutè posse detegi. Ratio est, qui
isti sunt in causa, vt fideles postea non miseriam
tur verè indigentibus, & ita eos damnificant.

Deinde Conc. Trid. *sess. 23 c. 7. de refor* matri
mon. habet Magistratus etiam seculares hortu
tur (loquitur de Concilio) vt eos (id est vagi
bundos, quales sunt dicti) seuerè coerceant, (
Concil. non tam strictè ista hortaretur, si esset
tolerabilia. Præterea isti sunt pessimi Christiani
blasphemijs, ludo, & vitijs peioribus pleni, &
diceres inter eos inueniri aliquos, qui sapiant
hæresim, fortè non errares, nam & vidi in qui
drageſima non carentes cibo edere carnes. A
hæc, sæpè ita fingunt extremam necessitatem
vt eos videntes non leuiter credant obligaria
eos succurrendos, & alij multum versantur in ac
cipiti, luctante, & reluctante conscientia, quo
non rarò vidi, quòd certè non est leue damnum
tertij.

Nota. In omni denunciatione, quæ faciend
est iussu Episcopi, habendam esse facultatem
scriptis, & reponendam ad verificandas denun
ciationis commissiones, si vnquam opus fuerit.

29. Qvæst. *An quando Episcopus iubet aliqu
denunciare, Curatus teneatur obedire sub mor
tali?*

Resp. Teneri, cùm res sint seriæ, & in dubio
Curatus debet iudicare eas serias, & obedire.
Sil. obedientia, *q. 7.*

30. Qvæst. *Qua mundicia Curatus cum vesti
bus, & instrumentis sacris sacrificabit?*

Resp.

Resp. Nullam mundiciam in seruitio Dei esse, respectu Maiestatis illius sufficientem, à peccato tamen excusabit ea, quæ per Episcopum fuerit approbata, & non est vltra scrupulis vacandum, quia non est credibile Episcopum in hoc deficere. Si nihil decernat, mundicia est sufficiens, qua boni vtuntur. Certe vituperabile, est, habere camisum sordidiorem induso sordido, corporale sordidius sudario immundo mappas Altaris propria tobalia. At quia sæpè contingit ob paupertatem Ecclesiæ carentis corporalibus, ipsa corporalia vsu nigrescere ex frictione patenæ, dum fragmenta colligantur.

Dum igitur nequiueris munda habere, accipe scissuras illas, quæ supersunt ex hostijs aptatis, & illis frica nigredinem illam, & auferetur. Sed validus operabitur interior pars mollis panis ordinarij. Porrò si scrupulis vrgeris, antè frictionem, poteris super sacrarium excutere corporale, vt si fortè insint fragmenta, decidant in loco mundo. Sed nec hoc necessarium credo, sicuti nec in sacrarium reponere micas illas, quæ ex frictione nigredinis superfuerunt. Poteris, & vti corporali nunc ex vna, nunc ex altera parte inuersa, vt mundum habeas, nec idem scrupulis cedendum, nec pro versione fragmenta, si quæ insint, decidant, quia credo merum scrupulum: nam, & quando lauantur, si fragmenta insit, decidunt, & tamen nullus dicit excutienda prius corporalia in loco mundo.

Potest etiam euenire, vt Calix continuo vsu exterius sordescat, poterit & ita sordes abluere, Laua lixiuio calido, & inde smigmate, deinde aqua

aqua pura iterum laua, pone ad solem, vt exsi
cetur, deinde panno lineo albo absterge, & co
tanquam nouus. Et hoc sufficit semel in anno.

Caueat Curatus, quando veniunt Missæ inso
litæ expeditione alicuius dicendæ, puta, qu
sunt Missæ, vel de sancto ignoto; vel ad rem, q
superstitionem sapiat, vt contigit mihi sem
petij enim quidam certas Missas vnam pro or
nibus in aquis submersis, aliam pro omnib
necatis, aliam pro stultis, & alias quasdam sim
les: tunc Curatus interroget, & videbit ad supe
stitionem tendere, sicut accidit mihi: cum en
nouitas rei me afficeret, & interrogassem
quid cuperet tales Missas respondit petens,
filius meus, qui est in carcere habeat tortura
de qua dubitabat, & ita caruit Missis. Et tu fac
militer.

Caueat etiam Curatus, ne benedicat vest
sacras, ne decipiatur, eo quod in Missalibus
rum benedicto reperiatur. Imò nec hanc fac
tatem potest dare Episcopus simplici Sacerdo
ita mihi respondit Congregatio Rituum, sub
lustrissimo Cardinale de Aragonia, Anno 160
Ita etiam tenet Sil. *benedictio q. 3.* Nauar. *cap.*
nu. 84. Et si reficiendæ essent, caueat ne destru
ita, quod primam formam mutent, ita vt du
sunt destructæ, sint in tali forma, quòd eis
non posset in Missa, nam tunc benedictione
amittunt, ita multi Doctores.

Porrò quia potest fieri, vt Curatus ruralis mu
tum laboret pro obtinenda benedictione dict
rum vestium, cùm multum distat ab Episcop
& tædio illius laboris, vel non resarciat fructu

vel non faciat nouas; quorum alterum si benedictio facilè haberetur, non efficeret. Sciendum ordines mendicantes hanc facultatem habere; vt patet ex illorum priuilegijs: totum autem negotium facile euadere; cùm regulares mendicantes per castella sint frequentes.

31. *An verò possit Curatus, qui habet planetam nouam, & non potest curare benedici, quia longè distat Episcopus, supponere nouam non benedictam veteri benedicta, vel eam illi insuere, & tunc postquam celebrauerit cum vtraque, denuo nouam à veteri separare, & vti noua tanquam benedicta?*

Resp. Me vidisse ita actum, sed qua ratione nescio, hoc vnum scio hactenus non inuenisse simili vsu benedici, & ideo affirmare Curatum non posse agere, vt dicitur, credo tutum.

32. Qvæst. *An Curatus valde debilis possit, sacris vestibus indutus, ire cum baculo ad Altare pro celebratione, cùm aliter illo nequeat ire?*

Resp. Tol. *Inst. l. 1. c. 58. n. 2.* Sacerdotem sine baculo non valentem ambulare esse irregularem, durante dicta impossibilitate, ideò non debere sic ad Altare accedere: si verò si quidem debilis, sed ægre, sine baculo possit Altari accedere, non esse irregularem. At omnia incommoda superantur, si Curatus se ad Altare sacris vestibus induat, & non refert quomodocunque ad Altare accesserit, dummodo dum est ibi, sine baculo possit officio suo fungi.

Occasione dictorum meminerit Curatus abstinere à portatione baculi in publicis processionibus, à portatione pileoli linei in Ecclesia, dum sacras vestes induit, dum eiusdē indutus in publi-

cum

cum procedit, à deiectione brachiorum, &
omni alio simili indecenti gestu.

33. Queret aliquis, *quando solet cantari passio*
hebdomada maiori, an celebrans si sit vnus è
bus, qui cantant, teneatur legere totum, an su
ciat, dicat partem propriam cantatam?

Resp. Henrique in summa affirmare suffice
si dicat partem cantatam.

Quod verò rubrica Missalis recogniti
Clem. VIII. ante passionem Veneris sanctis
beat, celebrans legat summisse omnia; nõ eui
cit ad hoc teneri, si fuerit vnus de cantantibus
tamen legerit nihil mali ageret. Et quæ dicu
tur de die ven. sunt etiam intelligenda de a
diebus in quibus recitatur Passio.

34. Qvæst. *An Curatus, cui in loco est sol*
& in die Nat. Domini sumpsit purificatione m
prima, vel secunda Missa, incaute, possit dicere
liam, vel alias Missas eiusdem diei; etiamsi non
ieiunus, cum, si non dixerit, sui sint carituri sol
Missis, & causetur scandalum, vt saltem admi
tio, & ab vtroque sit cauendum?

Resp. Non posse Silu. *Euch. 3. qu. 6.* & be
scandalum tollitur, si de contingentia popul
admoneatur.

35. Qvæst. *An si in Ecclesia Curati aliquis S*
cerdos celebrans moriatur, vel morbo impediat
perficere Missam, captam, peracta iam consecrati
ne, saltem alterius speciei, an teneatur Curatus
perficere, etiamsi non sit ieiunus, cum alius Sac
dos ibi non adsit?

Resp. Nau. *c. 25. nu. 86.* affirmare. So. verò *di*
13. q. 2. ar. 6. vult teneri si adsit scandalum.

Suar

Suarez *to.3.disp. 85.sect. 1. in fine*, ait teneri non ratione præcepti Ecclesiastici per *ca.1. quæst.1.* cùm nihil ibi habeatur. Censuimus conuenire, vt in eo casu sit liberum alteri Episcopo, vel Presby. consecrationẽ exequi officij cœpti, &c. Sed eo quod hoc sit rationi consentaneum, cum ad munus sacerdotis pertineat, ne sacrificium maneat imperfectum: dicendum videtur hoc esse certum, posse tale sacrificium perfici etiam à non ieiuno, Omnes. An verò teneatur de præcepto, non concordant Doctores, vt patet ex dictis. Rubrica Missalis de defectibus in ministerio occur. in Missali. Clem. VIII. *ca.10.nu,3.* habet per alium, sacerdotem explendam Missam. At per multas rubricas Missalis non obligat ad mortale vt est dictum *n. 16.* ergo nos hæc in hoc casu. Hæc conuenientia rationis Suarez placet, quia canon expresse liberum relinquit, & cùm non distinguat, quare distinguemus nos? maximè in materia pœnali, & de re mortali. Valde rationabile videtur Curatum non cogi: sed & valde rationabile est, non relinquere sacrificiũ imperfectum, & cum res sit facilis, non est tanta coarctatione, & disputatione digna. Dato autem, quod Curatus velit sacrificium prosequi an teneatur, statim, vel an hoc possit etiam post moram? Resp. Henriq. *lib.9.de Missa c.23.gloss.* enim posse eadem, vel sequenti die, Suarez verò, & So. loco dicto, annuunt prosequendum statim, quia habenti si Sacerdos adsit, dum aduenit casus dictus indigens perfectione sacrificij: & hoc tenerem.

36. QVÆST. *Quid agendum, si Ecclesia excre-*

ecretur effusionem sanguinis, vel seminis humani

Resp. Si erat consecrata per Episcopum re concilietur per Episcopum pro vt in Rubrici Si verò erat solùm benedicta reconciliari potel per simplicem Sacerdotem aqua benedicta ord naria per eum aspersa, & hoc fieri potest etia Episcopo non consulto. Azor. *2.par. l. 9. ca. 5. q.* At si per tempus vacat, bonum est prius Episco beneplacitum expetere.

A. VICTORELLI

Ad Caput II. Notæ.

Nvllum in hoc, &c. placet quidem Doctiss mi Suarez opinio Parochum in multis Sa crificijs offerendis liberalem esse, a quum & tutum est.

7. Casus nonnulli recensetur à Suarez (*titul. in 3.par. 5.* Thomas *disp 80. sect. 3.* sed non admi tuntur.

Sacerdos non ieiunus, secundam, eodem die Missam celebrare nequit, etiam si vinum tan tum, aut aquam, quæ sumpto sanguine, sum consueuit, deglutierit, *cap. Ex parte de celeb Miss.*

Plurium Parochiarum casum, tantummod in vsu esse, scribit Suarez, & tunc, tres etiam Mi sas, eodem die, ab eodem Sacerdote, necessitat id postulante, celebrari posse.

9. Fœminas longè absentes ab altari sacerdo sacrificanti, in necessitate, respondere posse, a bitratus est Suarez (D. 88. *sect*) vt Monialesi solẽni Missa canendo, respondere cõsueuerun

16. Mi

16. Matutinis horis nondum recitatis, sacrum facere, letbale peccatum esse, alij aiunt, alij negant. Hos ergo facile sequor, cum Suar. D. 82. Soto; & alijs. V. Comitolum *lib. 1. q. 50.* R. mor. contraria sententia tutior, & quibusdam probabilior: non sane, Soto insigni Theologo.

In vesperis huius diei, vna, vel duabus ante solis obitum horis, matutinas sequentis diei horas recitare potes, iusta de causa; si loci consuetudine hoc receptum. Consule Azor. *to. 1. l. 10. cap 9. mor. Inst.*

19. Iustum Missæ stipendium est id, quod lex statuit, vel consuetudo De qua re Suarez: *tit. 3. in 3. par.* S. T. D. *20. sect. 2.*

Sacerdos bonis patrimonialibus diues, pro missis iusta stipendia accipere potest: etiam ab Ecclesiasticis: cùm eum beneficij titulus ad sacrum, speciali intentione, faciendum non obligat. V. Suarez *li. c. sect. 3.*

Pauper Sacerdos plura iusta stipendia, prout iusta lex, aut communis æstimatio statuit, accipere, iuste nequit; si extremam necessitatem non patiatur. Ex Nau. *c. 25. nu. 9.* & Suarez *sect. 4. lib. 1.*

CAPVT III.

DE PRÆDICATIONE.

1. Curatus tenetur pradicare.
2. Curatus an pradicet per se.
3. Quando pradicet per alium.
4. An Curatus unquam excusetur à pradicando.
5. An

5. *An Curatus det alteri licentiam prædicandi.*
6. *An det licentiam exhortandi.*
7. *Pœna non prædicandis.*
8. *Curatus quando prædicet.*
9. *Si populus nolit prædicatores.*
10. *Quomodo prædicabit Curatus.*
11. *Prædicatio quantum durabit.*
12. *An quo loco prædicabit Cur.*
13. *Quid prædicandum erit.*
14. *An prædicet subtilia.*
15. *Disputare de fide laicis prohibetur.*
16. *An mortale prædicare in mortali.*
17. *An mortale mentiri in prædicando.*
18. *Quomodo interpretanda Sacra Scriptura.*
19. *An Doctor possit Sac. Scripturam interpretar*
20 *An interpretanda sit præter communem sensu patrum.*
21. *Qui sensus nō sunt contra, sed præter scriptu*
22. *Quæ peccata in prædicatione admonenda.*
23. *Admonitio in prædicatione de quibus faciend*

QVÆSTIO 1. *An Curatus teneatur præ care?*

RESP. Sotus *de Iust. li. 10. qu. 1. ar.* 3. 'parum tra medium, in Conc. Trid. disputatum fuisse, hoc munus: videlicet prædicandi, esset iniu gendum Curatis, & tandem concludit supe sessum in determinatione. Ēt parum supra vu Curatum teneri solum docere populum Artic los Fidei, Decalogum, & Orationem Domi cam. *At conc. Trid. sess. 5 c. 2. de refor.* habet, v sermo est de Curatis, pascant populum salutar bus verbis, annunciando cum breuitate, & fac litate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & vi tu

tutes, quas sectari oportet. *Et sess. 22. c. 8. de sacrificio Missæ*, dicit frequēter, curam animarum gerentes inter Missarum celebrationem, exponant ex ijs, quæ in Missa leguntur. *Et sess. 23. ca. 1. de refor. ait*: Cùm mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre verbiq; diuini prædicatione, &c. Et licet ibi loquatur de Episcopis, tamen inferius intelligit omnia etiam de Curatis. *Et sess. 24. c. 7. de refor. loquens de parochis, ait:* Exponant sacra eloquia, & in lege Domini, populum erudiri studeant. Ex quibus omnibus locis euincitur Curatum teneri prædicare. Ita Tol. *inst. l. 5. c. n. 7.*

2. Qvæst. *An Curatus teneatur prædicare per se, vel sufficiat prædicet per alium?*

Resp. Tol. *vbi supra*, non esse necessariū prædicet per se, sed sufficere, si id faciat per alium. At Conc. *Trid. 5. c. 2. de refor.* ait: Per se, vel per alios legitimè impediti, pascāt salutaribus verbis. Credo distinguendum. Prædicare vna, aut altera vice per alium, vt abundātiori doctrina, vel modo consoletur populum, videri bonū: prædicare verò semper per alium, ad quietē credo malū, & non satisfacere officio suo. Prædicare etiā semper per alium ex inhabilitate, credo excusabile, si sic tolleretur ab Episcopo, ipso sciente; vniuersaliter tamen credo posse saluari opinionē, Tol. de prædicāte per alium, quia licet hoc nō videatur conforme verbis Concilij, tamen concordat eius menti, quæ est populum instructum iri.

3. Qvæst. *An Curatus vnquā excusetur à prædicando, etiāsi velimus, per Concil. loco dicto teneri?*

Resp. Excusari, quando est legitimè impedi tus si non habet quomodo per alium possit prædicare, quia vel redditus non sufficiunt, vel dee persona idonea. Ratio est, quia impossibilium nulla est obligatio. Sed si habere quidem pote idoneum, & habet redditus sufficientes, & tame in illo loco, vel parochia Episcopo sciente, non contradicente, parochi, etiam si non si legitimè impediti, non prædicant, si hoc eu niat in Ciuitate, vbi Episcopi communiteri stituunt prædicatores aliquos, vel ipsi regulat de licentia Episcopi prædicant, excusabitur C ratus à prædicatione, quia tales Prædicator censentur deputati ab Episcopo pro toto pop lo, & per consequens pro omnibus Curatis. tunc Curati iuxta Concil. Triden. censebun legitimè impediri, vel à iussione Episcopi ficc stituentis, & interpretantis istam legem, eti si velis esse Diuinam; Vel quia sic vtilius geri negotium populi. In oppido verò, vbi, silen Curato omnes silent, sine dubio Curatus, n per se, nec per alium prædicans, peccabit mor liter. Ratio est, quia deficit in re graui, ceden in graue populi incommodum. Nec hunc Cur tum credo excusari conniuentia Episcopi, cu de iure Diuino Curatus ad hoc teneatur, vt pa ex Concil. Trid. loco allegato, *sess. 23. c. 1. de refo*

4. Qvæst. *An Curatus possit dare licentia alteri prædicandi in sua parochia?*

Resp. Conc. Trid. *sess. 5. ca. 2. de refor.* velle, e iam regulares debere admitti à suis Superior bus, & ab Episcopo loci, aliàs interdicit eos pr dicatione.

Sed

Sed, An semel approbatus ab Ordinario possit admitti à Curato sine alia licentia? Videant Curati Constitutiones suorum Episcopatuum, & eas obseruent: quod si nihil prohibetur, poterit Curatus dare licentiam prædicandi Prædicatori iam admisso. Nau. *ca. 25. n. 141.*

QVÆST. fortè, *An qua dicũtur de prædicatione, intelligãtur ꝑ omnia etiã de exhortatione publica?*

RESP. Et citra Constitutionem Episcopi, credo non intelligi, nam confraternitatibus laicorum exhortationes fiunt, & nunquam requiri Episcopi placitum audiui Exhortationem autem intelligo, dum ad populum habetur sermo extra pulpitum, vel locum solitum pro concionibus, aut si fiat in loco solito, puta ex Altari, fiat habitu distincto ab eo, quod assumitur in prædicatione, ita vt habitus, & locus videantur distinctionem ponere; nam materiæ, & verborum vtrorumque eadem est ratio.

5. QVÆST. *Qua pœna teneatur Curatus ad prædicandum?*

RESP. Cum Concil. loco dicto inquit esse præceptũ Diuinum, si excessus erit notabilis, credo, peccaturũ mortaliter, cum erret in re magna, in magnũ populi præiudiciũ: Si verò omittat vna, aut altera vice, nullũ, vel leue peccatũ erit: quia paruitas rei in omni materia excusat. Præterea incurras pœnas à Conc. Trid. taxatas *sess. 5. c. 2. de refor.* Quę sũt sensuræ, & aliæ arbitrariæ Episcopo, & assignatio tãtę mercedis alteri, qui prædicet, quæ sit honesta, etiam si Curatus sit exẽptus. Si verò sit sub Abbate, & Prælato Regulari, & Prælati sint negligentes, Metropolitanus, in cu-

ius diœceſi eſt Curam, poteſt prouidere omn
appellatione, reclamatione recurſu, ſeu exem
ptione poſt poſita Conc. ibi.

6. QVÆST. *Quando Curatus prædicabit?*

RESP. Conc. Trid. *ſeſſ. 5. c. 2. de refor.* ſaltē diebu
Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, *& ſeſſ. 24. c.*
de refor. ait ſingulis diebus Feſtis, vel ſolemn
bus. Credo ſufficere, ſi prædicet pro conſuetud
ne loci, Epiſcopo ſciente, & non contradicent

Sed ſi populus nolit prædicationem audire, &
hoc conſtat Curato, quid aget?

RESP. Si (quod eſt impoſſibile) totus popul
ſit deprauatus, poteſt Curatus ſine peccato tac
re; quia ratio prædicandi eſt, vt paruuli petent
panem habeant, qui eis frangat. Imò tunc debe
ret tacere, quia non ſunt proijciendæ margarit
ante porcos. De Graff. *2. p. l. 3. c. 22. nu. 6.* Sed cu
hoc ſit impoſſibile, prudenter aget Curatus,
rarius prædicauerit, vt populus non laſſetur,
expetentes ſermonem auidius eum excipiant

Et ſi diebus illis valde implicetur confeſſion
bus audiendis, cātando ſacro, publicis proceſſi
nibus, præcedenti nocturna vigilia in ſeruit
moribundi, & ſimilibus occupationibus, quæ vi
ſinunt aliud agere, an tūc excuſetur, cū vere no
poſſit. Sed ſi poteſt, an cum magno labore? Bre
uitatem excuſabit laſſitudo. Sed, ſi verè, præ laſſi
tudine non poteſt ſe præparare, vel non habe
tempus recolendi præparata. Excuſabitur, qui
difficilium eſt eadem ratio, & impoſſibilium.

7. QVÆST. *Quomodo prædicabit Curatus, ho*
eſt an declamatorio modo, vt Concionatores, vt
quo modo?

RESP.

Resp. Posse, si velit, declamatorio. Cæterum Concil. Trid. *sess. 5. c. 2. de reform.* ait de Curatis, annunciandoq; eis, cum breuitate, & facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oportet. Communiter ex Altari loquitur. Seruandus est mos loci.

Aduertat Curatus inter dicendum neminem lædat, nedum priuatum, multo minus Magistratus seculares, vel Ecclesiasticos, sed de omnibus honestam mentionem faciat, tantum abest, vt stulta libertate aliquem lædat. Reprehendat liberè, sed saluo honore omnium. Neminem nominatim in publico colloquio nominet, quia est odiosum: sufficiant necessaria, dicat nomine suppresso. Aliter autem agens posset, & meretur castigari ab Episcopo.

8. Qvæst. *Quanto tempore durabit prædicatio.*

Resp. Conformandum se alijs Curatis, & cum sit res arbitraria, relinquitur prudentię Curati, iuxta necessitatẽ populi, nec credat aliquis post longam orationem facundius loquutũ fuisse B. Ioanne Apostolo, qui in singulis concionibus, hoc vnum intonabat. Diligite filioli.

9. Qvæst. *Si Curatus habeat magnam Ecclesiam, & vocem debilem non correspondentem Ecclesiæ, an teneatur loqui ab altari; vt est mos illi Ecclesiæ, an è pulpito, vel alia parte viciniori populo, vt audiatur?*

Resp. Si Ecclesia sit magna, & populus paruus loquatur, eo loco solito, admonito populo, vt accedat, & si non accesserit, non curet, quia cum peccet ex malitia, non imputabitur Curato. Si

verò populus multus, & Ecclesia magna, & vo
debilis, nec aliter potest audiri à populo, loqua
tur è viciniori loco, & pro audientia aptiori. Se
si iste Curatus nolit moueri loco solito? Si im
pedimentum vocis sit perpetuum, non excus
rem, nam tenetur loqui, vt audiatur, quia loqu
& non audiri, idem est, ac tacere. Si verò impe
mentum vocis est ad tempus, loquatur e lo
solito, ad euitandum nouitatem.

10. QVÆST. *Quid prædicabit Curatus?*

RESP. Conc. Trid. *sess. 5. cap. dicto*, ita habe
vitia, quæ eos declinare, ac virtutes, quas sect
oportet, vt pœnam æternam euadere, & Cœl
stem gloriam consequi valeant. Ideo Curat
etiam si sit magni talenti, meminerit semper
eulcare vitia generaliora grassantia in loco,
ea pro viribus vellere, & in hac totus incumb

11. QVÆST. *An Curatus predicet subtilia?*

RESP. Conc. Trid. *sess. 25. c. 7. de reform.* dice
postponendas inutiles quæstiones, *& sess.*
Procœmio de Purgatorio, prohibet apud ru
tractari difficiliores, & subtiliores quæstion
Et certè citra periculum damni, non erit abs
veniali, quia vanum; præsupposito non ade
aliquam causam iustificantem, cum periculo
ró damni, erit mortale ratione damni. Tam
non erit abre, vbi habuerit populum capace
quædam altiora appositè tangere. Sed caue
quia scientia inflat, charitas verò ædificat.

Cæterum multa reperiuntur conducentia
facilem modum prædicandi, & exhibentia qu
materiam, vt explanationes Epistolarum,
Euangeliorum diuersorum Doctorum, int
qu

quas potest adscribi paruus liber, qui circumfertur nomine Nicolai Gallerij, cum verè sit Antonij Possevini Societatis Iesu Auunculi mei, mihi certo constat, & stylus clarè indicat, Latinè primùm, & deinde Italicè sæpè impressus.

Præterea quintus Index Summæ S. Thom. Augustini Hunnæi, qui pro omnibus Festiuitatibus exhibet materiam decerpendam ex summa S. Thom. pro Epistolis, & Euangelijs currentibus.

Et si Curatus laboret magna dicendorum penuria, poterit loco prædicationis (intellige in Oppidis inter rudiores, ne ministerium irrideatur, si res agatur cum sapientioribus) legere aliquam partem libri spiritualis, puta Granatæ, Gersonis, vitæ Sanctorum, & similium, & breui consideratione, electis deducta expedire se, & fructuosè aget.

12. Studeat Curatus euellere ex parochia sua (si adsit) abusum illum, quo sæpe seculares in foro, & in publicis apothecis; quod maximè fit in Oppidis disputant de Fide, vel sermones de ea cũ altercatione suscipiunt, & admoneat eos peccare mortaliter, vt notat Caiet. in summa verbo, Disputare, & Nauarr. *c. 11. nu. 26.* Et si ibi Curatus interrogetur de aliquibus, quæ non sint ad rem, respondeat, se domi daturum responsum, qui interrogat, cũ est persona capax doctrinæ: Si verò sit rudis, bellè se extricet, & non satisfaciat quæsito, cum non est res necessaria, sed curiositatis, vt res tam excellentes, quales sunt Theologales, tractentur pro sua dignitate. Nam alias videbis nasci rixas vnoquoq; mordicus suam opinionẽ defen-

defendere volente, & sæpè opiniones falsas, aliquando hæreticas defendente.

13. QVÆST. *An sit peccatum prædicare in mortali & quale?*

RESP. Caiet. *3.p. qu.64.ar.6.in res. ad 1.arg.* velle esse mortale, *& 22.quæst.187.* Videtur non concordare cum dictis in summa de Prædicatorum peccatis, vbi videtur inuenire citra contemptum non esse mortale. Nauarr. *c.35.n.14* dicit mortale. Armilla etiam prædicatorum peccata. §.2. idem habet cum Caiet. Tolet. autem Inst. *l.1.c.87.* dicit non esse mortale prædicare in mortali reuerenter, & sine contemptu, quod puto coincidere cum dicto Armillæ. Sotus tamen *d.1.qu.5.ar.6.* in confirm.2. concluf. distinguit, esse mortale, quando prædicator est publicus peccator, quando verò est occultus, & prædicat cum reuerentia, & sine contemptu, nullum esse peccatum.

14. QVÆST. *An mentiri in prædicando sit peccatum, & quale?*

RESP. Mortale esse mentiri in omni illo, quod assumitur, seu dicitur qualecumq; sit, vel ex Scriptura Sacra, vel vitis Sanctorum, vel ad mores, ad docendum, instruendum, persuadẽdum, vel monendum auditorem, ita Silu. mendacium. *qu.3* Caiet. in summa prędicatorum peccata, Armilla eodem verbo §.3. Nauarr. *ca. 25.nu.141.* etiam si dubia prædicentur assertiuè. Caiet. *ibi.* Ideò si inter dicendum occurrat aliquid, non dicat nisi ea, de quibus est tutus ita esse: vt dicit. Mentiri vero circa citationes, puta Isaiæ pro Hieremiæ, capitis decimi pro quinti, & similibus ex defectu memo-

memoriæ nullum est peccatum; ita mentiri, ne verecunderur, leue erit, quia ista non sunt mendacia in doctrina. Iidem ibi.

Ideo dubia dicenda sunt pro dubijs, & certa pro certis.

Si tamen quis mentiatur assumens dictum sapientis verum, & assumens esse Scripturæ, non credo mortale, quia non præiudicatur veritati, maximè si hoc dicat ex quadam surreptione, & etiam cum quodam dubio, fit, nec ne Scripturæ.

Si verò fabulæ, & facetiæ dicantur, Nauar. & Caiet. & Armil. ibi volunt esse veniale. Si verò prædicentur impertinentia, & mentiatur, non erit peccatum mortale nisi ratione scandali. Caiet. & Armil. *ibi.*

Prædicare autem ad pompam, & inutilia, aut historias, & gesta Romanorum, & similia, est cum Caiet. ibi grauissimum peccatum: ni tamen ista dicantur ad maiorem declarationem, non est mortale. Armil. *ibi.* §. 4. Sed tu dic, nec esse veniale, quia & Apostolus allegabat dicta poetarum, sic etiam multi Sancti dicta diuersorum Sapientum.

15. Qvæst. *Quomodo Curatus interpretabitur Sacram Scripturam?*

Resp. Concil. Trid. *sess.* 4. de editione sacrorũ librorum dicere, Nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam

contra vnanimem consensum Patrum, ipsa Scripturam Sacram interpretari audeat.

16. Qvæst. *An si Curatus fuerit Doctor Theologiæ possit Sacram Scripturam interpretari aliter quam dicit Concilium?*

Resp. Negatiuè, quia ita Concil. clare loquitur.

17. Qvæst. *An Curatus possit Sacram Scripturam interpretari, non quidem contra, sed præter vnanimem consensum Patrum?*

Resp. Azor. *1. parte, Instit. lib. 8. c. 2. quæstione* Posse, quia Concil. non prohibet erui alios sensus, sed sensus Scripturæ, & consensui patrum contrarios.

18. Qvæst. *Qui sensus erunt non contra, sed præter consensum Patrum?*

Resp. Azor. ibi dare exemplum in hoc loco Scripturæ: *Generationem eius quis enarrabit?* Patres intelligunt generationem æternam Domini nostri Iesu Christi, & temporalem ex matre. Sensus præter hunc est quod alij intelligant dictum locum pro sæculo, quasi velit dicere; homines illius sęculi quis enarrabit? Igitur dicimus sensum non esse Scripturæ contrarium, sed præter, cùm talis est, quod salua fide, potest consistere, & sit tanquam fundamentaliter, seu radicabiliter in Scriptura. Optimum est non recedere à communi sensu, & si fiat, promatur tamquam res propria, non aliorum.

19. Qvæst. *An Curatus teneatur admonere peccata, in quibus sui viuunt, nescientes esse peccata, & non sit spes emendationis?*

Resp. Si ignorantia sit legis positiuæ, & non sit

spes

spes emendationis, non teneri. Azor. *2. p. lib. 12. Inst. cap. 15. q. 4.* Si verò sequatur ex ista ignorantia damnum tertij, teneri: si autem damnum sit in se solo non teneri Azor. *cap. dist. quæstione 4.* Si tamen timeretur scandalum pusillorum melius esset tacere. Sil. Scand. *quæst. 3. not. 2.* Sot. *vt infra in resp. ad auctoritates* Ambrosij, Pauli, & Gregor. At si admoneret, non peccaret, quia Concil. Triden. *sess. 5. cap. 2. de reform.* ait Curatum debere admonere vitia, quæ populus tenetur fugere.

Si verò ignorantia sit contra legem naturalem vel Diuinam, tenetur admonere, quia & populus tenetur ea scire.

2o. Porrò admonitio sit de certis esse peccata mortalia, & non de his, quæ sunt sub varijs opinionibus, nisi admoneat certa pro certis, & dubia pro dubijs. Item admonitio sit ne cõmunioribus, quia rarò, & prudenter particularia, quæ sunt in vno, aut altero, tanget, & si tetigerit non videtur maius peccatum, fortè, quam imprudentiæ, cùm non sit spes emendationis.

Sed quid sit melius admonere, vel silere, cùm non sit spes emendationis? Casus nõ est credibilis, cùm impossibile sit totum vnum populum esse deprauatum, & ideo melius est admonere, quia Curatus tenetur instruere ignorãtes in his, quæ sunt contra legem naturalem, & Diuinam, reliqua quæ sunt contra leges positiuas, cùm nõ sint in damnum tertij, credo melius silenda, cùm non speratur emendatio, quia cùm peccantes excusentur bona fide, non est quod Curatus tantum curet de illorum instructione. Sot. *d. 19.*

quæst. 2. ar. 4. in solut. 2. argumentum in dubio præcipuè præpositione secunda.

A. VICTORELLI
Ad Caput III. Notæ.

SI Parochus per se, vel, si legitimè fuerit i
peditus, per idoneum ministrum salut
bus verbis plebes sibi creditas pro sua, &
rum capacitate, docendo, quæ scire omni
necessarium est ad salutem, ab Episcopo mo
tus trium mensium spatio, nõ pascat, cogi po
rit censuris, aut alias, ad Episcopi arbitriu
Concil. Trid. *sess. 5. c. 2. de reform.*

Parochus, ratione officij, & iurisdictionis,
diuino præcepto debet gregem pascere salu
ribus verbis. Indicat Syn. Trid. *sess. 23. c. 1. de re*
tradit Suarez *tit. 3. D. 16. sect. 3.* in fine.

2. Ex inhabilitate, &c. Si inhabilitas studio
diligentia auferri possit: Parochus vtroq; vti
bet, vt populum sacris monitis instruere quea

14. Prædicare in mortali quidam putant
niale crimen, S. Tho. *in 4. d. 19. qu. ar. 2.* ad qu
mortale existimauit: quod numquam expre
retractauit. Non esse mortale, probat egreg
Suarez, *tom. 3. quæst. 6. sect. 3. in fine*, post Ioa
Medina C. *de pœniten. ti 1. qu. 5.* Hoc sensit Ro
driq. *par. 2. cap. 24.* & Sa. V. Prædicare. In quem
locum, *& in c. 85. l. 1.* Instruct. Tol. breues addi
notas.

Concione tamquam profana declamation
abuti, lethale facinus. Suarez *libro cap.* cum com
muni: lethalis præterea culpa valdè infructuos
scien-

scienter afferre, aut non vera in fidei, vel morum doctrina, vel in miraculis, aut Sanctorum vita. Sa. libr. cap.

Recte concionandi munus egregium, sublime, vtile; sed arduum, & difficile. Parochus non indoctus. S. Augustini de doctrina Christiana, Lodouici granatensis, Augustini Valerij Veronæ Episcopi libros de Rhetorica Ecclesiastica, Diuinum Oratorem Lodouici Carbonis, cum fructu lege; nec non instructiones ad Concionatores, & Parochos suæ Diœcesis Illustrissimi, & Reuer. Ioannis Fontanæ Episcopi Ferrarien-sis.

Cœlesti ope nobis est opus: vt tantum munus rectè exerceamus: Deum rogemus, vt mentem, & linguam fœcundet, ac regat, honoremque ne quæramus. Vnam Dei gloriam, & animarum salutem, tota mente intueamur, captemus. Sacra autem hæc dicta attentis animis cogitemus.

Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos 2. Cor. 5. est vox Apostolorum, virorumque Apostolicorum.

Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Dan. 12.

Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cœlorum. Mat. 5.

Si Parochus nec valde doctus, nec eloquens sit: non ideò prætermittat plebem sibi creditam erudire Xauerij monita concionatoribus vtilissima, etiam Parocho proderunt. Ex ijs hæc: *Non seipsum, sed Christum crucifixum concionator prædicet. Concionatoris præcipuum munus est Audi-*

tori delictorum suorum quam maximum incuteret dolorem, & certissimis, sempiternisque inferorum supplicijs ante oculos propositis eum à flagitijs deterrere. Satanæ quoque artes, atque insidias aperire, eademum pro concione serere; quæ vulgi quoque imperiti intelligentia potius quam admiratio excipiat. Ex Turse. lib. 6. c. 16.

CAPVT IV.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit Doctrina Christiana.*
2. *Sub pœna sit docenda.*
3. *Modus bonus recte docendi Doct. Christ.*
4. *An sit necessario docenda Doct. Christ.*
5. *Quis eam doceat.*
6. *Quando docenda.*
7. *Quid ager cum adultis in docendo.*
8. *Sub quomodo sit docenda Doct. Christ.*
9. *Hebes & rudis quid credat.*
10. *Ignorantia quæ excuset.*
11. *Quæ rudimenta fidei sint de necessitate discenda.*
12. *An ignorantes rudimenta fidei arcendi à Sacramentis.*
13. *Forma Doctrinæ Christianæ quæ.*
14. *Practicæ in docendo Doct. Christ.*
15. *Vbi docenda sit Doct. Christ.*
16. *Quantum durabit Doctrin. Christian.*

1. QVAESTIO. *Quid intelligatur nomine Doctrinæ Christianæ?*

RESP. Rudimenta Fidei, quæ secundum Sotum sunt, Symbolum Apostolorum, decem Præcepta-

cepta, & Oratio Dominica, hæc enim sunt necesse scire, reliqua, quæ circumferuntur in libellis Doctrinæ Christianæ, sunt ad bene esse. Præter hæc Concil. loco dicto requirit, vt doceatur obedientia erga Deum & parentes.

2. QVÆST. *An Curatus teneatur sub mortali docere istam obedientiam?*

RESP. Cum Concil. capit. dicto velit compellendos eos, ad quos spectabit, per censuras Ecclesiasticas, & Azor. Instit. *libro 3. 1. part. capit. 6. quæstio. 3.* dicat leges illas Ecclesiasticas, quæ iubent cum comminatione censuræ, & hæ obligare sub mortali, licèt Caietan. in Summa, clericorum peccata non concedat. Ideò videtur dicendum, Curatum ad hoc teneri sub mortali, secundum Azor, vel saltem sub graui veniali cum Caiet. Porrò aduertet Curatus non sufficere, si docuerit sola rudimenta Fidei, nisi & hanc obedientiam doceat. Cæterùm ista obedientia docenda est diligenter, ita Concil. ibi. At sufficienter docetur, si doceatur Decalogus explicitè, quia in ipso includitur obedientia Dei, & parentum.

3. Ideo nota, ne cures solùm pueros addiscere Catechismum, sed cura per interrogationes quoquo versum in omni præcepto factas, verè intelligant, quæ memoriæ mandauerunt, & ne recitent, sicut psitaci, quod vt plurimum euenit. Eodem modo interroga, & instrue de articulis Fidei; quod benè cedet, si alijs; & alijs verbis de re eadem interrogaueris, verbi gratia, Tertius Articulus habet D. N. natum ex B. Virgine Maria, interroga, qui fuerit virginis, & an idem vir fuerit pater Christi, & ita de singulis, vt verè percipiant, quæ recitant.

QVAEST.

4. QVÆST. *An necessario doctrina Christiana sit docenda?*

RESP. Concil. Trident. *sess. 24. cap 4. de reformat. habere.* Episcopi, diebus saltem Dominicis & alijs Festiuis, pueros in singulis parochijs Fidei rudimenta, & obedientia erga Deum, & parentes, diligenter ab ijs, ad quos spectabit doceri curabunt. Ex quibus verbis dicendum necessario docendam.

5. QVAEST. *An Curatus teneatur ad hoc?*

RESP. Concilium ibi non specificare. At deficiente, qui eam doceat, videtur Curatus tenere cùm ipsius sit instruere ignorantes in hac re S. *de iustit. libro 10. quæst. 1. artic. 3.* Et praxis vniuersalis ita interpretatur. Si tamen aliter prouisus fuerit in loco, vbi degis, poteris obseruare institutum, vel constitutionem. Sed & si te interseris (modeste tamen) rem præstabis summa modestia dignam.

6. QVAEST. *Quando docenda Doctrina Christiana?*

RESP. Communiter doceri in Dominicis prandio. Tu obserua consuetudinem loci. Et si non docetur, & hora dicta non est opportuna prudens relictam horam eligere opportunam potest.

7. QVAEST. *Si Curatus ruri non habet pueros auditores, quia non possunt, vel nolunt conuenire & adulti etiam ignorant rudimenta Fidei, quid aget?*

RESP. Si pueri, & adulti vocati conueniunt ita agat, maximè cum adultis. Reperiat aliquem vicinum illorum, & isti de consensu adulti trad-

adultum

adultum illum, vt commodè illum doceat necessaria. Vel ipse Curatus inter Missarum solemnia, eo tempore, quo dies Festos annuntiat, hortetur populum submissè repetere, quæ ipse clarè, & altè dixerit, & tunc recitet Orationem Dominicam, Aue Maria, Symbolum, Decalogum, & reliqua, quæ solent docere in Doctrina Christiana, & ex cõtinua repetitione populus necessaria memoriæ tradet: Multum conferet, si curaueris per Magistrum scholæ (vbi adest) scholares ista addiscere.

8. Qvaest. *Sub quo modo docenda est Doctrina Christiana.*

Resp. Sub modo, quod est scienda explicitè in articulis Fidei, saltem ijs quas Ecclesia publicè proponit, celebrat, aut docet, vt est Articulus Trinitatis, videlicet esse vnum Deum, & tres personas, Christum D. N. natum esse de B. Virgine Maria, conceptum ex Spiritu sancto, passum, crucifixum, sepultum, à mortuis resurrexisse, & in cœlum ascendisse: In Ecclesia esse Sacramenta conferentia gratiam; sine Baptismo neminem posse saluari; Deum esse datorem gloriæ, improbos perpetuò inferno puniri, & per consequens animam esse immortalem, & in Sacramento Altaris esse verum Christi corpus. Azor. *Instit. 1 part. libro 8. capit. 6. quæstione 2.* Et hoc modo etiam Doctrina Christiana est docenda.

9. Qvaest. *Quid agendum cum rudi, & hebete, qui non potest omnes articulos Symboli capere, an sufficiat si credat implicitè quidquid credit Ecclesia?*

Resp. Sanctus Thom. *22 quæst. 2. articul. 5. Syl-*

uest.

ueſt. *Fides 3. quæſtio. 3.* Nauarr *capit. 11. numero* *Azor. Inſt. 1. part. libro 8. cap. 6.* Tollet. *Inſtitut. l* *4. cap. 2. numero 10.* dicere, ſufficere ſi iſte cred explicitè Articulos ſymboli, quia reliqua in il implicitè includuntur. Si verò fuerit tam obt ingenij, vt non poſſit omnes capere, ſuffici capiat aliquos clariores, reliquos verò credat, credit Eccleſia. Azor. *c. dicto quæſt 6.* Credere rò explicitè, eſt credere, vt ſonant verba Artic li, Azor. *capit. dicto quæſtion. quinta.*

10. QVAEST. *An ignorans iſta excuſetur à p* *cato?*

RESP. Diſtinguendo. Aut ignorat omnes ticulos omnino, & quoad ſenſum & quoad v ba, aut ignorat tantum aliquos, ſed principali res ſcit, ſaltem quoad ſenſum ſi non quoad v ba. Si ignorat omnes omnino Articulos Fid excuſatur à peccato, cum ignorantia eſt inc pabilis, puta, quia à puero fuerit male educa abſque vlla prorſus cura & ſtudio ſciendi res dei vel quòd parentes non habuerit, vel qu habuerit, ſed negligẽtes, aut ignaros, vel quòd agris, & ſiluis tanquam pecus, vel bellua fue educatus, vel quòd fuerit commoratus inter fideles, & Deum ignorantes. Azor. *Inſtit. 1. pa libro 8. cap. 6. quæſt. 7. & libro 1. capit. 13. quæſti* 2. Difficile tamen eſt inter Chriſtianos dari iſta ignorantiam omnimodam omnium articul rum Fidei. Azor. *Ibi. Tol. Inſtit. lib. 4. cap. 2. nu ultimo.*

Si verò ſcit aliquos principaliores Articulo & aliquos ignorat, ſi per eum non ſterit, quom nus neceſſarios ſciret, excuſabitur à peccato. S

etiam excusabitur, si crediderit aliqua falsa ita edoctus, cum per ipsum non steterit, quominus veritatem sciret: sicut etiam excusatur, si putans credere vera, credat falsa, puta Deum habere corpus, & similia. Azor. *Inst. lib. edicto cap. 6. qu. 8.*

11. QVAEST. *An omnes Christiani teneantur discere memoriter rudimenta Fidei?*

RESP. Azor. *Inst. 1. parte lib 8. cap. 7. qu. 5. & 6.* afferre duas opiniones, vnam affirmantem, alteram negantem, & Nauarr. *c. 11. nu. 18. not. 7.* vult obligationem esse sub veniali, Azor verò ibi negat, vllo præcepto, quemquam ad hoc teneri, monet tamen ad discenda. De necessitate tenetur omnis Christianus scire saltem eorum substantiam, verbi gratia, hoc modo: Non esse peiurandum, furandum, occidendum, mechandum, &c.

12. QVAEST. *An Curatus teneatur arcere à Sacramentis ignorantes dicta?*

RESP. Azor. *Inst. 1. parte lib. 8. ca. 8. quæst. 5.* Si nesciuit ista ignorantia inculpabili, puta quia, vel nescierunt se debere ea scire, vel si de hoc sunt admoniti, caruerunt Magistro, qui eos doceret, vel quia curis distenti nequiuerunt vacare illis addiscendis, vt est dictum num. 10. non sunt à Sacramentis arcendi, quia inculpatè ignorarunt. Si verò semel, aut iterum fuerunt admoniti, licet id non præstiterint, non tamen sunt arcendi à Sacramentis, dummodo sint paratí in posterum addiscere. Si autem sæpe admoniti, neglexerunt ea memoriæ mandare, non sunt admittendi ad Sacramenta nisi prius iussa præstiterint. Quod si id fieri nequeat, tunc Curatus

aptioni,

aptiori, quo poterit, modo eos instruet & de
de Sacramenta conferet. Sed, & Curatus pote
pœnitentiam iniungere, vt ea addiscant. Pon
ita potest practicari. Qui pollent memoria c
gãtur addiscere in forma ordinaria; qui verò m
moria carent, sufficiet imperare vt addisc
quoad substantiam: nam vidi senem sexagena
um, per multos annos continuè exercitatum
recitatione Symboli Apostolici per minist
um nepotis, & nunquam potuisse perfecte ill
memoriæ tradere.

* Bona, & fructuosa practica est non adm
tere ad matrimonium ista ignorantes, sicut
contrahendam compaternitatem baptismi,
hoc vinculo ea memoriæ mandent.

13. QVAEST. *Sub qua forma dicentur bene*
cta rudimenta Fidei?

RESP. Communiter doceri libellis, vulgo
ctis Doctrina Christiana nec refert siue Lati
siue vulgares sint, dummodo pueri substanti
credendorum vere memoriæ tradant.

Pro lingua Latina, qua expediret se mina
stas, saltem grandiores, vti optimus est Ca
chismus paruus Canisii. Pro vulgari Italica vt
Catechismo per Episcopum tibi præscripto.
nullus præscribitur, habes duplicem magnum
paruum, vtrumque optimum Italice scriptum
Cardinali Bellarmino iussu Clementis VIII.

14. QVAEST. *Quæ sit bona practica in Doctri*
Christiana?

RESP. Hæc Allicere munusculis pueros, & e
amsi opus sit grandiores, & omnibus semper l
nitate, & facilitate reddere se beneuolum, qu
ista attrahunt omnes. No

Non despiciat ministerium quasi vile, etiamsi sit nobilissimus, & doctissimus. Si hac tentatione vrgetur, legat Ioannem Gersonem 2. parte suorum operum de Catechismo consideratione prima. Vel si malit, *cap. 6. libro 4. biblioteca selecta* Antonij Possevini, vbi multa vtilia videbit, quæ omnem tentationem dissoluent. Et, si sapio, iudico ex opere huic rei tributo, manare maximam partem profectus spiritualis. Ratio est, quia nullum violentum durabile, & quæ instillantur pueris hoc modo sunt tanquam, vt ita dicam, naturalia sensim imbuta, & conuersa in mentes animas & ita transeunt in eam firmitatem, quam habet natura. Præterea sæpè contingit, pueros in hoc exercitio audire, quæ nec grandiores audiunt à Prædicatoribus, & benè imbuti, cum paruuli, & ipsi filios suscipiunt eos benè instruunt, & ita quasi iure hæreditatis in posteros transit timor Domini. Et semper consilium amplecterer intromittere me, in mea Cura in hoc exercitium, etiam si rectè per alios exequeretur.

Ratio est, Quia sicuti Dominus familiæ bonum iudicat totam familiam secundum genium suum esse instructam, sic bonum erit populum ad genium Curati euadere aptatum, quia ita Curatus faciliter multa perficiet, quæ alias maiori cura absoluenda venient, præcipuè cùm docuerit hac occasione modum confessionis faciendæ, abstinendi à multis populi sui particularibus defectibus, de quibus nullus melius instruet, quàm Curatus.

Videbit enim qui consilium hoc sequutus fuerit, breui multa bona parta, præcipuè contra blas-

blasphemiam iuramenta consuetudinaria, superstitiones, & similia, maximè cum grandio masculi, & fœminæ assistunt, & liberè ad dic interrogationes faciunt, & videas Doctrin non penetrare cerebrum, sed medullas ossiu & hoc maximè inter rudes in Ciuitatibus, Castellis. Et erit valdè è re, docere puellas, c tus, vt dicitur [Canzoni Spirituali,] vt eis ass tæ, desinant à varijs cantilenis prophanis, & credibile est valdè Deo displicere.

15. Qvæst. *Vbi est docenda Doctrina Chris na?*

Resp. In loco solito vbi degis. Si assign non sit locus, quia non est docta à tuo Antece re, locus aptus est Ecclesia.

16. Qvæst. *Quantum durabit Doctrina C stiana, seu Eruditio Rudimentorum Fidei?*

Resp. Non præscribi tempus à Conc Communiter durat per horam plus, minusve intra horam non poterunt omnes præ multi dine, vel obtusitate doceri? Genericè omne hora possunt doceri, & si per impossibile possent, sufficere docere per dictum te pus, sic interpretante communi consuetudin

Et si magna sit multitudo docendorum, C ratus belle introducat aliquos timentes De mares, & fœminas instructos, & onere inter los distributo, ita vt mares maribus, & fœmi fœminæ assignentur, faciat se adiuuare. Et si met Societatem Doctrinæ Christianæ, doc omnes de Indulgentijs dictæ Societati à va Pontificibus concessis. Et si istos iuuantes pos habere, melius est ipsum discurrendo inuigila

sup

super mares omnes, quam aliquorum particularium curam gerere: est enim fructuosius.

A. VICTORELLI
Ad Caput IV. Notae.

5. NEgligentia docendi fidei Symbolum, Dei præcepta, Dominicam Orationem, Nauarri iudicio, lethalis est; ita etiam *Sà. Parochus numer. 5. quem legas.*

10. *Gregor. de Valentia tit. 3. dist. 1. qu. 2. p. 4. cum communi sententia*, docet, omnes, rudes etiam, Incarnationis Christi mysterium (quoad illos Humanitatis articulos, quos publico ritu Ecclesia celebrat) explicitè credere debere; & idem asserit de augustissimo Trinitatis mysterio lib. c. p. 3.

Emmanuel Sà. V. Fides sententiam multos ab explicita cognitione Incarnationis & Trinitatis ignoratione excusari, tradentem improbare non audet: sic videtur sensisse *Bart. Medinal. 1. cap. 14. 55. 2. Instructione conf.* sed hanc alij sententiam (erroneam a Bannes appellatam, loco citato inferius) reijciunt. Omnes fidei articulos ab omnibus explicitè credendos, & tria Sacramenta, Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam, sciendumque, Deum esse orandum, & Decalogi præcepta cognoscenda censuit Bannes *in 2. 2. q. 2. art. 8.*

Si articulorum fidei, diuinorum præceptorum, orationis Dominicæ substantiam rudis intelligat(satis est, etiam si verba non percipiat. *V.* Lopez *parte 1. ca. 41.* Val. Sà. *loco citato.*

Petrus

Petrus Nauarrus *libr. 2. cap. 4. de restitutio n. 109.* docet, debere omnes, sub mortali, artic los fidei scire, vel eos saltem, quos solemni ri Ecclesia celebrat: addit, orarionem Domi cam, præcepta Ecclesiæ, & Sacramenta, dece autem Dei præcepta omnibus fidelibus cogni esse, arbitratur. Parochi nisi intra duos mens die adeptæ possessionis in manibus Episcopi, Vicarij publicam Fidei professionem facia non faciunt fructus suos. *Conc. Trid. sess. 24. c. de reform.* Doctoratus insignia suscepturi, p fessoris liberalium artium quarumcumque, e am priuatim sumentes, emittere debent Fi professionem, ex decreto Pij IV. *Iniunctum,* 1564. *V. Summam Bullarij Steph. Quarant. dei professio; vbi constitutionem & formam pro sioni Fidei &c. def.*

9. Q
10. A
11. A
12. Q
13. C
14. S
15. P
16. P
17. N
18. P
19. P
20. P
21. A
22. V
23. A
24. Q
25. P
26. C
27. A
28. P
29. co
30. P
31. Q
32. A
33. P
34. C

CAPVT V.

DE ADMINISTRATIONE SA cramentorum in genere.

SVMMARIVM.

1. *An Curatus teneatur administrare Sacram.*
2. *An teneatur inquirere indigentes Sacram.*
3. *An sub peccato teneatur offerre Sacra.*
4. *Quid sit petere Sacramenta.*
5. *An inuitis & freneticis sint danda Sacr.*
6. *Quid agendum cum domestici petant pro eo q male vixit.*
7. *An Sacramenta danda sint toties, quot petuntur.*
8. *Quando Cur. potest negare Sacramen. s peccato.*

9. Qua

9. Quale peccatum reddere ſe exoſum in adminiſtratione Sacramen.
10. An peccet cur fugiendo laborem in adminiſtratione Sacram.
11. An Cur. aliquid accipiat pro Sacramen.
12. Quibus neganda Sacramenta.
13. Communio quando negatur.
14. Suſpicio qua ſufficiat.
15. Petere communionem publice, & priuate quid.
16. Peccator publicus quis.
17. Notorium quid. & quotuplex.
18. Peccatores publici qui.
19. Per quos actus quis fiat publicus peccator.
20. Peccator publicus, an communicandus.
21. An communicandus in morte.
22. Vſurarius publicus, an communicandus.
23. An Cur. non iubens reſtitutionem ipſe teneatur reſtituere.
24. Quomodo repellendus peccator publicus à communione.
25. Peccator occultus an communicandus.
26. Cum infirmo bona practica.
27. An compellendus peccator occultus ad communionem in paſchate.
28. Pœnitentia nemini bene diſpoſito neganda.
29. In articulo mortis quomodo abſoluatur excommunicatus. (nicatos.
30. Breuis practica pro abſolutione erga excommu.
31. Quando danda cautio.
32. Abſolutio in morte excommunic. occulti, & notorij.
33. Hæreticus abſoluendus in morte.
34. Cenſuratus in morte, & quomodo abſoluendus.

35. Sub qua forma absoluendi censurati.
36. Quomodo agendum cum peccatoribus publi
in morte.
37. Curatus censuratus an possit absoluere alii
in articulo mortis.
38. An Cur possit absoluere aduenam.
39. Curatus an possit commutare vota non su
40. Peccator an sit statim absoluen.
41. Extrema vnct. an negetur peccatori pub
vel occulto.
42. Matrimonium peccatori publico an p
Curatus denegare.
43. Quomodo Cur. properet in admin. Sacram
44. Si vocetur, dum administrat aliud Sacram
45. Cur. quomodo de nocte festinet.
46. An teneatur curare semiuestitus.
47. An currere debeat vt festinet.
48. An necessitate sint seruanda solita solennitu
49. Curatus an sit in gratia in administrati
Sacram.
50. Curato an sit necessaria contritio.
51. An per singula Sacram habeat contrit.
52. Quoties Cur. peccat administrando Sacram
peccato mortali.
53. Modus habendi contritionem.
54. An sit peccatum in mortali tangere Sacram
55. Quoties in mortali celebrandum absque c
fessione.
56. Curatus excommunicatus, an celebret.
57. Curatus excommunicatus quomodo celeb
sine confess.
58. Quomodo Cur. administret Sacramen.
59. An omnibus digitis possint Sacramenta adm
nistrari.

60. An Cur. dum actu fertur poſſit Sacramen. adminiſtrare.
61. An Cur poſſit dare licentiam adminiſt. Sacram
62 Quando reiterando Sacram. irriterab.
63. An conditio in forma explicetur neceſſario.
64. Sacramenta an dentur in tempore interdicto, & ceſſatione.
65. An teneatur ſub peccato miniſtrare eo tẽpore.
66. Qualis debeat eſſe articulus mortis.
67. Si error in prolatione formæ.
68. Vbi ſunt danda Sacramenta.
69. An danda Sacramenta cum periculo vitæ.
70. Diſſenſio vitæ Curati in periculo.
71. Quando Cur. excuſetur non dare Sacrament.
72. An proteſtatio nolendi ire de nocte excuſet Curatum.
73. An peccet Curat. ſe non defendendo.

1. QVÆST. *An Curatus teneatur adminiſtrare Sacramenta?*

RESP. Teneri, de iure diuino *Concil. Trident. ſeſſ. 23 cap. 1. de reform.*

2 QVÆST. *An Curatus, teneatur, quærere indigentes Sacramentis, vel ſufficiat ea dare ſi petantur?*

RESP. Tol. *Inſti lib. 5. cap. 5 num. 6. not. 8.* affirmare de infirmis in morbo periculoſo, exhortando illos, ad ea ſuſpicienda, Angelus *verò confeſſio 3. quæſt. 34.* Silu. *Confeſſor. 1. quæſt. 18.* Sotus *diſt. 18. quæſt. 4. artic. 2. ad 2. argum.* Nauarrus *capit. 25. num. 233.* dicunt ſufficere ſi dentur petenti.

At credo rectè poſſe diſtingui. In infirmitate veram opinionem Tolet. in ſanitate verò opi-

nionem Tolet. in sanitate verò opinionem
geli, & aliorum, & in vtroque casu, cum est p
babile, si Curatus Sacramenta offerat recipi
da, aliter non, cum tamen adsit necessitas re
piendi, vt in morte, & Paschate. Ratio est: q
ista obligant ad modum correctionis frater
qui est vt dicitur.

3. QVÆST. *An Curatus teneatur sub pec*
offerre Sacramenta in casu dicto?

RESP. Teneri, cum est probabile sua exho
tione ab illis sacramenta recipiendo eo tem
re, quo illa recipere debent, cum aliàs non r
perent, & in hoc deficiens credo quod pe
mortaliter, citra verò illud tempus, non cr
Curatum obligari ad hoc sub peccato.

4. QVÆST. *Quid est petere Sacramenta?*

RESP. Esse ea petere explicitè, vel implic
benè viuendo, qui tales in morte dicuntur
tere.

5. QVÆST. *Si qui malè vixit non petat, su*
mestici, quid agendum?

RESP. Curatus accurrat, disponat ad con
tionem, & petitionem Sacramenti, si annuit,
iamsi nihil omnino loquatur, absoluat ad cau
lam inquantum potest, & infirmus indiget.
infirmus abnuit, nullatenus det Sacramenta.
omninò non petit cum possit, idem agat. Si n
potest signum aliquod affirmationis ostende
nec ostendit de præsenti, vel de præterito n
darem Sacramenta, quia necesse est, vel petiu
se, vel benè vixisse, vt est dictum. Benè vixis
verò dicitur, vt ait Suarez *tomo 3. disp. 69. sect. 2.*
de quo non constat priùs fuisse in statu pecc
mo

mortalis; præſumendus eſt enim bonus, qui malus non probatur. Si autẽ conſtet, peccaſſe mortaliter, oportet quod conſtet, vel fuiſſe confeſſum ſi potuit, ſaltem ſigna contritionis dediſſe, ad quod probandum ſufficit vnicus teſtis fide dignus.

6. QVÆST. *An danda Sacramenta inuitis?*

RESP. Non danda, ſi habent vſum rationis. Omnes. Freneticis verò reluctantibus communio nequaquam danda, cum adeſt periculum expuitionis, vel vomitus, aut alterius irreuerentiæ. Si ceciderint in amentiam, dum iacerent in peccato mortali, etiamſi nullam irreuerentiam oſtendant, non ſunt danda ſacramenta.

Extrema vnctio freneticis, qui non venerunt in freneſim in ſtatu peccati mortalis, eſt danda, etiam ipſis reluctantibus: ſunt enim ligandi, vel quod eſt decentius tenendi, excluſis laicis, ne ſcandalizentur, & ſi non poſſunt excludi, ſunt informandi de validitate actus, ne ſcandalizentur. *Henriq. lib. 3. c. 13. nu.* 1.

* Freneticis, & amentibus à natiuitate baptiſmus dandus eſt, vt dicitur. *c. 6. q. 15.* His vero, qui venerunt in freneſim, vel amentiam dandus eſt, ſi dum eſſent ſanæ mentis, cum petierunt. Silu. *Baptiſm. 4. quæſtio. 2. & S.* Thom. & dummodo, cum ceciderint in amentiam, non fuerint in cõplacentia peccati mortalis, vt eſt dictum, & tunc dandus eſt eo modo, quo dictum eſt dandam eſſe extremam vnct. & hoc agendum quotieſcunque non ſperatur recepturos vſum rationis, quia ſi de contrario ſit ſpes, melius eſt expectare vſum rationis. Suarez *tomo 3. q. 68. diſp. 24. ſect. p.* ad

probandum autem quod petierint, sufficit v
cus testis fidelis Suarez *ibid.*

Matrimonium, an possit solemnizari per C
ratum in persona frenetica, quæ ante frene
consensum præstitit, habet de probabili po
quia consensus semel datus, censetur dur
quoad reuocetur, Henriq. *lib. 11. c. 4. n. 4.*
non admitterem, nisi consulto Episcopo.

Pœnitentia, id est, an possit absolui fren
cus, qui ante ostendit signa contritionis, vel
tijt confessarium. Henriquez ibi affirmat p
absolui. Sed cum iam emanarit decretum
mentis VIII. contra confitentes per Nunci
sub excommunicatione, & talis modus voc
à Sot. *dist. 18. qu. 2. art 5. colum. 4. circa 1.*
confiteri per Nuncium, credo non posse abs
nisi saltem Confessarius dicta signa viderit
ss. vbi ista melius deciduntur.

7. QVÆST. *An Curatus teneatur dare sa*
menta toties, quoties petuntur?

RESP. Et intelligo quæstionem de pet
canonicè, qui nullo impedimento teneatur
tur dico Sot. *distinct. 1. quæst. 5. articul. 9. prop*
4. sibi contrarius, dist. 18. qu. 4. art. 2. ad 2. arg.
uarr. *cap. 35. num. 131.* Azor. *1. part. lib. 2. cap.*
quæst. 10. Tolet. *Instit. lib. 5. nu. 7. not. 6.* ten
debere toties quoties petuntur, etiam ex
deuotione, & hoc videntur innuere sub mor
aliqui ex dictis, licet non omnes. Quidam ex
saret Curatum, qui non audit confessiones e
qui bis qualibet hebdomada vult confiteri, Si
verò confessor. 1. quæst. 18. Angel. confessio. 3 qu
34. distinguunt, debere dare sub mortali, qu

ties qui petit, tenetur ſub mortali recipere, quod erit in morte ſecũdum aliquos, & in Paſchate, ſecundum aliquos, & in Paſchate, ſecundum omnes.

Vide, an iſta diſtinctio placeat, Curatum teneri dare Sacramenta, toties quoties petuntur, ſub mortali, quando qui petit eſt in Paſchate, aut morte: At ſi communicatur ex deuotione, tunc teneri ſub mortali, quando ſi non dederit, qui petit non habet alium, à quo recipiat; ſi verò habet à quo poſſit recipere, & recipiat, non teneri ſub mortali: quia ſi Curatus teneretur ſub mortali, teneretur ratione damni notabilis, quod parochianus ſuſtinet, at cum nullo damno afficiatur ſub diſtinctione dicta, videtur etiam Curatum non peccare mortaliter ſacramenta non conferendo.

8. QVÆST. *An ſaltem Curatus vnquam poſſit ſacramenta negare ſine peccato?*

RESP. Poſſe etiam ſecundum ſententiam Soti, & aliorum, quando habuerit cauſam rationabilem. Cauſa talis erit: Infirmitas, laſſitudo grauis collationem ſacramenti impediens tempus non aptum, vt ſi fœminæ de nocte velint confiteri etiam in Eccleſia, coniungere in matrimonio, vel dare alia ſacramenta contra prohibitionem Epiſcopi, & ſimiles cauſæ arbitrariæ, quæ vt ſiut validæ, debebunt eſſe rationabiles.

4. QVÆST. *An ſit peccatum, & quale non quidem negare ſacramenta, ſed reddere ſe difficilem, & aſperum ſi petantur?*

RESP. Peccatum eſſe tale, quale eſt ea negare: nam iſta difficultas tranſit in naturam formæ ve-

ræ negationis sacramenti. Si tamen opport
dederit, nunquam credo mortale, nisi ratio
scandali.

10. QVÆST. *An peccet Curatus, non quidem*
gando sacramenta petentibus, nec se exhibendo
ficilem, sed declinando laborem propòsse, cum a
tamen administrandi omni petenti?

RESP. Esse quidem peccatum, sed non c
vltra veniale: est enim effectus exiguæ cha
tis, dummodo tamen sui sacramentum
piant.

11. QVÆST *An Curatus possit aliquid re*
pro administratione sacramentorum?

RESP. Dignum operarium mercede sua
men nihil petat, aliàs posset habere specie
moniæ, vltro verò oblata sine dubio poteri
ciperè, etiamsi pingue habeat beneficium.

Si quæras, quid melius accipere, vel non
pere? Credo dicendum, sapere maiorem, p
ctionem non accipere, nam & Apostolis g
Euangelium ponebat, cum tamen *Thess. 2.*
diceret, non quasi non haberemus potestat
sed vt nosmetipsos formam daremus vobis
imitandum nos. Ita enim decebat principia
scentis Ecclesiæ authenticare. Sed & si quis
oblata reciperet, tanquam charitatis donari
vt ad fouendum populi sui deuotionem, m
omnis suspicio auaritiæ præcideretur, quis
cusaret?

Si pergis quærere, An saltem malè ageret
ratus, qui nolens oblata recipere, introduce
hanc consuetudinem in præiudicium sui succ
soris? Dic, quod non, quia non esset censend
introd

introducere consuetudinem, nam quæ sunt meræ facultatis, seu libertatis, non præscribuntur, & ita non induceret consuetudinem, vt passim omnes Doctores. Ergo tuto non recipiet.

12. Qvæst. *Quibus debeant negari Sacramenta?*

Resp. Omnia Sacramenta negari amenti à Natiuitate, excepto baptismo, vide cap. de bapt.

Item omnia negantur ei, qui est in statu peccati mortalis: quia non sunt danda Sacramenta canibus. Vide de singulis. Quis autem dicatur status peccati, *vide num* 15.

13. Communio negatur publicè, & priuatè peccatori publico eam petenti, quando peccatū est ita publicum, quod nulla tergiuersatione valeat celari. *Vide ca.* 12. *num.* 3. S. Thom. 3. *parte, quæst.* 80. *art.* 6. Silu. *Eucharist.* 3. *quæst.* 5. *nu.* 2. Sot *distinct.* 12. *q.* 2. *art.* 6. Nauarr. *c.* 21. *nu.* 55. Henriq. *li* 8. *c.* 56. Tolet. *Institut. li.* 2. *c.* 28. *nu.* 9. *& omnes.*

Suspectus verò suspicione violenta, puta quia visus fuerit solus cum sola in loco apto ad fornicandum, æquatur peccatori publico, sed & hoc debet adesse, quod suspicio sit publica, quia Ecclesia non iudicat de occultis. Silu. *iudicium. qu.* 3. Isti enim communio negatur. Silu. *vt infra.*

* Si tamen iste sit in morte, & negat delictum, & alioquin præbeat signa bonæ dispositionis non videtur negandum illi Sacramentum, quia ista videntur magni ponderis ad deponendum suspicionem, Suarez *tomo* 3. *quæst.* 80. *disputat.* 67. *sect.* 6. *in fine.*

Suspicio verò probabilis non sufficit pro neganda communione, ideo communicandus. Sil. *Euch.* 3. *q.* 5. *not.* 3.

Petere autem communionem publicè est stare linteo Altaris, vel petere coram alijs. Petere priuatè, est petere à Curato solitarie, vel stante ministro. Henriq. *l 8. cap. 59. nu. 1.*

14. Porrò peccator publicus est, qui notoriè est talis. Notorium autem est duplex. Iuris, & facti. Iuris est, quod est per confessionem in iudicio, vel per sententiam iudicis, vel per legitimos testes conuenientes. [*Lessius de iust. libr. 2. cap. dub. 13. num. 73.*

Notorium facti est duplex. Primo, quando in iniquo est sparsa fama, & hoc non facit notorium. Henriquez *libro 8. capit. 56. num. 1.* Licet aliqui affirment & excusent à restitutione fame per tale notorium æsæ. Secundo, quando factum est ita notorium, vt maior pars Collegij, vel viciniæ id sciat: quod quidam restringunt ad decem personas, alij ad decem. Silu. *notorium quæstio 4.* Nauarr. *verò capit. 25. num. 73.* ait tunc sufficere vel decem personas facere notorium, cum sit maior pars viciniæ, vel Collegij, & tunc est notorium, licet tota ciuitas nesciat, & respondet rationibus Silu. quinque verò nunquam sufficere notorium. Henriquez ibi videtur idem tenere. Sotus verò *distinct. 12. quæst. 1. art. 6. colum. n. 2.* vult non posse dari certam regulam, seu numerum facientem notorium, sed tunc notorium dici certò, cum nulla tergiuersatione valeat celari. [*Lessius de iust. li. 2. c. 11. du. 13. nu. 74.* Videtur concordare Soto, nam habet, notorium facti esse, quod factum fuit tali loco, & cum talibus circumstantijs, vt cuiuis potuerit innotescere, verbi gratia, in foro, vel publica platea, quia non

non curauit Auctor, quis videret, vel non. Suarez verò *tomo 3. q. 80. diſput. 67. ſect. 5.* vult peccatorem poſſe dici publicum reſpectiuè, vel abſolutè. Reſpectiuè comparatione facta ad modum, quo petit Sacramentum, V. g. quia tam publicum eſt peccatum, quàm petitio Sacramenti, puta, quia petit coram duobus, vel tribus, qui peccatum ſciunt, licet alij neſciant. Abſolutè verò quando eſt talis notitia iuris, vel facti. Et tunc vtrique vult ſacramentum negandum.

17. Peccatores publici vocantur à iure illi qui ſunt, ſeu permanent in ſtatu mortali, quod benè notandum. Nam qui publicè interficit alium, peccat quidem publicè, ſed non dicitur peccator public. Peccator publicus pro neganda Communione eſt, Vſurarius, Concubinarius, Excommunicatus publicus, vel per publicam Clerici percuſſionem Henriq *l. 8. c. 60.* Hiſtrio, qui ex officio recitat turpes comœdias, & prouocantes ad peccatum ſpectatores. Idem *li. dicto c 56. nu. 4* Paraſitus, qui dicterijs vtitur, Torneamenta in equo exercens, in quibus homines frequenter moriuntur. Idem *ibi Caiet an. Haſtiludium.*

14. QVÆST. *Per quot actus quis conſtituatur peccator publicus?*

RESP. Et credo non poſſe dari aliam regulam, quam quod tunc peccator ſit publicus, cum nulla tergiuerſatione valet celari. Si dubitas, Epiſcopum conſule. De Concubinario audiui à viro valdè docto, poſſe dici publicum, quando tenuerit Concubinam per quindecim dies, ſed vide, an ſit nimius rigor. Habes Epiſcopum, ipſum conſulas.

20. QVÆST. *Quando peccator, qui erat pub verè possit dici non esse amplius publicus? Vide tulo 12. num. 4. & supra nu. 13.* Iste tamen pe tor publicus, si venit ad penitentiam, sed dum docuit populum de emendatione pot cessante scandalo, in secreta capella comm cari. Silu. *Eucharist. 3 qu. 5. not. 2.* Nau. *c. 21.* Henriq. *vbi supra.*

21. QVAEST. *Si detur articulus mortis, & p tor publicus pœniteat, an tunc communicandu*

RESP. Communicandum. S. Tho. *3. parte, q 80. art. 16. in corpore.* Silu. *quæst. dicta, not. 8.* S *22. quæst. 1. art. 6. conclus. 4.* quia communi pars pœnitentiæ, quæ nemini negatur. Ita pu practicari. Peccator prius eijciat Concubin postea ei communionem trade. Si vrgeat m & non detur tempus eam eijciendi, cura sepa meliori modo possibili, ne accedat ad infirm & stante proposito eijciendi, communica. To *Institut. libr. 5. capit. 10. num. 13. Vide ca. num.*

22. Vsurarius verò publicus, etiam post bon confessionem, etiam in articulo mortis non teſt communicari, nisi prius det cautionem, si potest, nisi prius satisfaciat, vel det caution de satisfaciendo, aut pignus, quæ dantur Epis po, vel Vicario, aut si neutrum potest, salte Curato, vel Confessario. Et si nec hoc pote saltem iuret, se satis facturum quam primum p terit, aliàs non communicetur. Silu. *vsura. quæst. 5.* Nauarrus *ca. 17. num. 179.* Henriquez *li 8. ca. 56. n. 6.* Omnes alij publici peccatores morte sufficit habeant propositum abstinend vt est dictum de concubinario. Et tunc poteri

Curatus

Curatus de illorum licentia propalare verè eſſe pœnitentes, & ita auferetur ſcandalum populi.

23. Dubium eſt. *Si Curatus non quærat, & procuret ab iſtis peccatoribus ſatisfactionem, vel cautionem, vt eſt dictum, cum redundet in damnum tertij. puta quia ſi eam procuraſſet, debitam reſtitutionem feciſſent an tunc Curatus teneatur ipſe de ſuo reſtituere damnum iſtud, ex iſta non iuſſa reſtitutione?*

Resp. Silu. *vſura 7. quæſt. 2. in fine* Angel. *reſt. vlt. quæſtion. 5.*. Nauarr. *cap. 17. numero 22.* teneri reſtituere damnum paſſo de ſuo. Et quod dicitur de vſura, conuenit etiam omni reſtitutioni alieni, quia omniũ eſt eadem ratio. Rebel. *vero de obligationibus, libro ſecundo, quæſt. 14. ſect. 8. numero 65.* Vult confeſſarium (non diſtinguendo de Curato, aut de altero Confeſſario) teneri ad reſtitutionem ſolum quando iuſſit malè fieri reſtitutionem, puta Petro pro Ioanni; peccare verò mortaliter, ſi data opera non iuſſit eam, ſed non teneri ad reſtitutionem. Ratio eius eſt, quia Confeſſarius in ordine ad creditorem nulla obligatione tenetur ratione officij ſuſcepti, nec eius procurator exiſtit. Leſſius *autem de iuſt. lib. ſecundo, capit. 13. num. 77. & 78.* Tenet Epiſcopum, & Curatum teneri ad dictam reſtitutionẽ, alios confeſſarios non item. Ratio eſt, quod illi habeant ſtipendia pro officio exercendo, & ideò teneri, vt eſt dictum ratione officij, hos autem non teneri cum ſint obligati ad ſolam adminiſtrationem ſacramenti, quæ non habet præciſam obligationem ad impediendum damnum tertij, ſed ſolum ad curandum bonum

pœnitentis. Tandem habet etiam probabile e
de Episcopis, & Curarijs, quæ dixerat de simp
cibus Confessarijs, & in hoc concordat cum R
bello

24. QVÆST. *Quomodo repellendus peccator p
blicus à Communione?*

RESP. Posse repelli dum astat linteo Altari
priuato colloquio admonebit, ne ad Comm
nionem accedat, quia cogetur, stanti tali imp
dimento eum arcere. Et hoc maximè exped
dum peccator est vir insignis vel malus hom
Potest etiam Curatus ex Altari admonere ge
ricè, ne vsurarij, concubinarij, & si niles accedi
quia repellentur. Nunquam tamen est dan
Hostia non consecrata pro consecrata. S. Tho.
part. q. 80. art. 6. ad 2. Silu. *Euch. qu. 5. not. 11. Vi
multa, ca 7. à nu. 93.*

* Etiam ex conuentione cum peccatore: i
communis, licet aliqui negẽt. Citantur à Suare
to. 3. q. 8. disp. 67 sect. 4. circa tertiam obiectionem

25. QVÆST. *Quid agendum, si peccator sit v
cultus?*

RESP. S. Th. *3. p. qu. 80. art. 6.* & ait, si peccatore
sint occulti nõ esse negandam communionem
quia eo ipso, quo quis est baptizatus, est admi
sus ad Dominicam cœnam, & non potest ei ius
suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta, et
Aug. ibi relato. Potest tamen Sacerdos, qui est
conscius criminis, occultè monere peccatorem
occultum, vel etiam in publico generaliter om-
nes, ne ad sacramenta accedant, antequam pœ-
niteant, sic etiam tenet Henriq. *l. 8. c. 52. nu. 2.* De
Graff. 1. p. l. 1. c. 23. n. 38.

Silu-

Silu. verò ex S. Th. *in 4. Euch 3. 15.* distinguit; si peccator occultus petat publicè dãdam Communionem. Alio modo distinguit Palud. citatus à Silu. ibi. & à Soto, vt infra. Si petat publicè à Curato in tẽpore, quo dare tenetur, vt in Paschate, dandam: sed petenti in occulto negandam, ita etiam tenet Tol. *Inst. lib. 6. cap. 16. nu. 5.* & vocat hãc opinionem securiorem, & communem. At Sotus *in 4. dist. 12. qu. 1. art 6. concluſ. 2.* & in sua probatione, tenet indistinctè cum sancto Thom. in dicta *quæst. 80.* Peccatori occulto dandam Communionem siue publicè, siue occultè petat, maximè cum hac limitatione, si sit Curatus, quem tamen vult posse, & debere negare, si communicans sit quidem peccator occultus, sed tamen notus Curato (citra confessionem intellige, licet, & in hoc aliqui contradicant. Citantur Soto, & *Sil. ibi*) *ita etiam tenet* Suarez *tomo 3. quæstio. 30. disput. 67.* & frequenter Communionem cum peccato illo occulto. Si verò iste peccator occultus petit à non Curato, vult Communionem posse negari. Et Sotus ibi vult potius standum esse doctrinæ S. Thomæ dictæ *quæst. 80.* eo quod magis oculatè, adde etiam posterius scriptæ, quam traditæ in 4. quæ habet distinctionem allatam à Silu. vbi supra. Certè difficilis est quæstio propter varietatem opinionum, quam tamen credo facilitèr posse conciliari si dicatur; Occultum peccatorem petentem, seu publicè, seu priuatè non arcendum à Communione, quia ita canon citatus à Soto, Silu. & alijs, & ita auctoritas S. Thom. *dicta quæst. 80.* Petentem verò occultè arcendum non

de

de iustitia, sed ex charitate, & arte hac pecca
iste à suo peccato resileat. Et in hoc sensu pos
intelligi opinio Tolet. & aliorum, qui sequu
tur hanc, quam vocant communem, & et
Soti opinio de illo frequentante commu
nem, vt est dictum.

26. *Quid si infirmus vocauit Curatum pro
fessione, & non potuit absolui propter impedim
tum legitimum occultum, an huic debeat Cura
communionem negare, non obstante scandalo, q
inde orietur, si ille non communicet?*

Resp. Dicendum vt supra hoc numero, q
ad communionem. Si verò domestici infi
nesciant de impedimento isto, & cum Cur
agendo de Communione istius infirmi, quo
do se geret Curatus? Interroget, *an infirmus
munionem petat, & affirmantibus det iuxta d
supra, quia qui per alium petit, per se petere vi
tur, & non est necesse quod petitio ista sit ore pro
infirmi: Si dicant infirmum non petere: sed ipsos
hac diligentia, respondeat, si infirmus volue
eum communicabo, quia & ad hoc tenetur Cur
tus, vt est dictum supra, & per ista sigillum non
uelatur, nam reuera esset generalis. Si autem d
mestici dicant, Domine iste non communicat, qu
so horteris eum ad communionem, & Curatus sc
se denegare communionem, Curatus annuat, &
casu exhortationis excludat omnes domesticos infi
mi, & solus cum solo agat, si fortè possit eum redde
aptum ad communionem: si hoc nõ valet obtine
& infirmus dicat Curatum noluisse absoluer
quid aget Curatus, si de causa interrogatus fuerit*

Resp. generalia non reuelantia confessionem

qua

quæ docentur, à Doctoribus. *Vide* Sotum *diſtinct. 18. qu. 3.* Nauarr. *ca. 8. num. 10.* Henriquez *de pœnitent. lib. 3. cap. 21.* Suarez *tomo quarto, diſput. 33. ſect. 7. aſſer. 3.*

Si quæras, qua phraſi verborum, tunc Curatus vtatur integro ſigillo? Videtur, dicendum, ſupradicta ſi velit, communicabo, per rationes ibi adductas.

27. QVÆST. *An Curatus in Paſchate inducat, vel compellat peccatorem occultum communicare?*

RESP. Negatiuè, quia peccaret mortaliter. Sot. *diſtinct. 12. quæſt. 1. art. 6 in probatione 2. conc.* Henriq. *lib. 8. cap. 57. num. 3.* Idem eſt, ſi hoc agat tempore mortis. Sotus *ibi.*

Non tamen dicetur inducere, dum generaliter omnes ad cõmunionem hortabitur. Henriq. *ibi.* Melius credo diſtinguendum. Si credibile eſt hunc occultum peccatorem malè communicaturum non inducendum, aut compellendum. Si eſt ſpes de contrario, nõ malè inducis, aut compellis: Sed etſi neſcis, an benè, vel malè ſit communicaturus, non credo te malè agere compellendo communicare. Ratio eſt, quia non cogis eum facere rem malam, ſed rem, quàm benè, & malè poteſt præſtare, quod ſi malè agat, id prouenit à malitia agentis, non conſulentis.

28. Pœnitentia nemini benè diſpoſito negatur. *Vide Summas, in quibus caſibus non licet abſoluere. Vide etiam c. 7. de pœnit. eius, qui infirmatur, & eſt in ſtatu peccati nu. 93.*

29. In articulo mortis, ſi abſoluendus eſt excommunicatus, quid agendum.

Si

Si potest adiri is, qui debet illum absolu extra dictum articulum, ab illo obtinenda solutio, maximè si excommunicatus sit pub cus, licet secundum aliquos citatos, *ca. 7. nu.* possit etiam absolui irrequisito tali Superio vel si velis tenere primam opinionem, qu est magis pœnitenti gratum, obtinenda ab dem Superiore facultas absoluendi, cum tempus licet. Henriq. *lib. 3. cap. 11. num. 4.* si ve non datur tempus, vel obtenta sit facultas, agendum.

Primò. Accipiendum iuramentum à po tente de standō mandatis absoluentis, qua runt; ne de cætero faciat illa per quę fuit excu municatus. Non datur tamen hoc iuramentu nisi in criminibus horrendis, vt falsarij, incē diarij, & similibus. Sil. *absolut. 3. numero 3.* Cai *absolu. c. 4.* Nauarr. *ca. 26. n. 7.*. Tol. *Instit. l.* num. 4.

Si tamen iste excommunicatus non fecit dictum, propter quod fuit excommunicat non est dandum illi iuramentum, *ex* Silu. licet non clarè, sed concordat menti Cano iubentis tale iuramentum Sed si Curatus nesc vel dubitat, an in casu, quo absoluit exige dum sit istud iuramentum, quid aget? Ego ex gerem, vt tutius negotium perficerem: sed & quis non exigeret, non credo peccaret mortal ter. Ratio est, quia ab excommunicatione non absoluitur in morte à Curato, nisi etiam absol uitur à peccatis, & à peccatis non potest absol ui, nisi pœnitens promittat abstinere ab ijsdem supradictis, & ita, licet non iuret, promittit fa-

cere

cere illud idem, quod, ſi iuraſſet promiſiſſet. Niſi velis dicere iuramentum habere maiorem vim promiſſione.

Si vero excommunicatus debet reficere damna, vel ab eo petuntur expenſæ, non abſoluat, niſi ſatisfactione præmiſſa: ſi hoc fieri non poteſt, abſoluat cum cautione, quæ præſtatur, vel per Fidei iuſſionem ſi poteſt, ſin per iuramentum. *Omnes.* Tolet. *Inſtitutionũ l. 1. c. 16.* addit vel modo, quo potuerit. At qualis ſit iſte modus, non docet: credo eſſe vt ſtatim dicetur.

Si verò articulus mortis vrgeat, & nihil horum fieri poteſt, puta quia infirmus non loquitur, aut non valet aliqua ex dictis præſtare, abſoluatur nihilominus, quia ad impoſſibile nemo tenetur. Tolet. *Inſtitutionum l. 5. capitulo 36. num. 8.*

Admoneatur etiam prius Excommunicatus, ſi conualuerit, debere ſe præſentare quam primum commodè poterit ei, à quo erat abſoluendus, alioquin reinciſurum in excommunicationem, *omnes.* Sufficiet, ſi pro ſe mittat procuratorem. Caiet. *Excommun. 69.* Silu.. *Excommun. 8. num. 7. ante dubia.* Nauarrus *cap. 27. num. 49. licet infra num. 90. ſit ſibi contrarius.* Henriq. *lib. 3. cap. 5. num. 7.* Addit ſufficere mediocrem cauſam, vt poſſit mitti Procuratori in Vrbe degenti, & per eum obtinere abſolutionem ab Excommunicationibus Papalibus.

BRE-

BREVIS PRACTICA ET Clara.

30. PRimum Exige iuramentum, quando, & modo quo est dictum.

Secundum. Cura, vt prius satisfactio at, si non potest, datur cautio, vt est dictum, q tamen non datur, nisi excommunicatus sit torius. Vide *numero sequenti*, quia sit occult sufficiet firma promissio, si non potest aliud p stare.

Tertium Admone hunc Excommunicat statim atque conualuerit, se debere præsent vt est dictum.

Quartum. Absolue sine nudatione humer sine alijs solemnitatibus, quia ista requirun in absolutione solemni, non in sacramentali qua nunc sermo.

Quintum. Non absoluas prius à peccatis, ab excommunicatione, sed prius ab excõmu catione, & postea à peccatis, audita prius tota fessione. Nec timendus scrupulus, quod hoc participare cũ Excommunicato, quia est lic nã est in bonum Excommunicati. Nau. *c.* 10.

31. *Quando est danda cautio, de qua supra ctum est?*

Resp. In sex casibus. *Primo.* In absolutio Notorij Excommunicati. *Secundo.* In Incendi rio, postquam est denuntiatus. *Tertio.* In Mur latore. *Quarto.* In Vsurario publico. *Quinto.* manifesto Raptore, & Violatore Ecclesiarum quando Violator, aut Raptor prædictus fuit mo nitus, & diu perseuerauerit in contumacia. *Sex to.* In eo, qui publicè iniuriatur personis Eccles

asticis. Silu. *confessor. 4. q. 7.* Henriq. *de pœnit. li. 3. ca. 10. num. 11.*

Datur autem ista cautio hoc modo. Per publicam scripturam, vt hæredes possint compelli satisfacere, & datur in manus Episcopi, si is, cui satisfaciendum est, vel eius Procurator abest, sin in manus eiusdem, si adest. Si Episcopus & creditor abest, datur in manus Curati. Silu. *vsur. 9. q. 4. not. 5. & q. 5.*

32. Igitur pro repilogatione dictorum, dic breuiter. Si Excommunicatus sit occultus, & debet iurare, recipe iuramentum, vt est dictum, & admone debere se præsentare, si conualuerit, vt est dictum, & absolue.

Si vero Excommunicatus est notorius, fac omnia, quæ dicta sunt numero superiori.

33. Si autem absoluendus sit Hæreticus in morte, videtur secundum *gloss. in capit. Accusatus, de Hæreticis in 6.* debere abiurare, & scripto promittere, se credere quidquid Ecclesia Catholica credit. At dic ista fieri extra articulum mortis, nam in illo sufficit facere, quæ dicta sunt de Excommunicato.

34. QVÆST. *An alio modo ab Excommunicatione censuratus, puta interdictus, vel suspensus in articulo mortis sit absoluendus, & quomodo?*

RESP. Et credo absoluendum, quia *Conc. Trid. sess. 14. ca. 7. de pœnit.* ait. *Omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibus suis peccatis, & censuris absoluere possint in articulo mortis.* Et cum suspensio, & interdictum sint censuræ, in eo articulo poterunt absolui, ita etiam ante Concl. Silu. *interdictum, 1. q. 1.* Et Nauarr. *post Conc. c. 27. n. 271. not. 6.*

not. 6. Et tunc an sit recurrendum ad Superior vel non; tene, vt est dictum in casu simili in absolutione Excommunicationis, *num. 24.*

Sub qua forma verò absoluendæ sint dictæ censuræ. Silu. *interdictum 3. q. 9. & suspensio* q. ait, sub forma, qua absoluitur Excommunicat. Tolet. *verò Instit. l. 1. c. 47. nu. 3. gloss.* ait. requiramentum.

35. Dicendum videtur. Quando suspensio ex susceptione sacramentorum, tunc ab ea absoluendus est prius, quàm absoluatur à peccatis; tunc potest obseruari, vel sententia. Silu. est. Tolet. vt libet. Si verò pœnitens sit alio modo suspensus, puta ab executione ordinum, non necessaria absolutio, quia qui est in articulo mortis, non valet eos exercere, & cum valuerit petat absolutionem ab eo, qui ordinario debet eam dare.

Quomodo agendum cum alijs peccatoribus publicis in articulo mortis. *Vide cap. 7. num. & seq.*

36. QVÆST. *si fortè Curatus sit excommunicatus, vel alias censuratus, an non constante censura possit in articulo mortis absoluere?*

RESP. Posito non adesse etiam magis idoneum, dico cum Sot. *di. 18. quæst. 14. ar. 4.* esse probabile in tali articulo Sacerdotem excommunicatum, suspensum, irregularem, digradatum, aut hæreticum non posse absoluere. Tol. *Inst. l. 1. c. 16. n.* negat de schismatico, aut hæretico. Nauarr. *c. 26. n. 26.*

At Henrique *l. 3. c. 11. n. 11. in gloss.* Nau. *c. 27. n. 261. not. 7. Candelab. de absolut. casuum reseruat.*

rum, n. 17. cum citatis ibi ab ipſo, dicunt omnem Sacerdotem, quomodocunq; præciſum aut cenſuratum, in tali articulo poſſe abſoluere. Ideo dicendum, etiam Curatum excommunicatum, aut alias cenſuratum hoc poſſe. Non tamen hoc aggrediatur, niſi bona contritione pro viribus munitus.

38. * QVÆST. *An omnis Curatus poſſit abſoluere omnem pœnitentem etiam alterius Epiſcopatus habentem facultatem eligendi confeſſarium approbatum?*

RESP. Suarez. *tomo 4. diſp. 28. ſect. 4. n. 17.* & ſequentibus poſſe non ſolum in Epiſcopatu vbi habet curam, ſed etiam vbi libet, abſq; Ordinariorum placito.

39. QVÆST. *An Curatus, qui eligitur per priuilegium poſſit vltra abſolutionem peccatorum commutare, & diſpenſare in votis, eo quod iſta conducant animæ pœnitentis?*

RESP. Silu. *Confeſſ. per qu. 9.* affirmat. Suarez *vero tom. 4. diſp. 28. ſect. 4. n. 6.* negat. Notandum tamen, dum Curatus commutat in æquiualens, vel in melius, hoc poſſe facere vi ſuæ facultatis; & non egere noua facultate. Suarez *ibi dub. p. in fine.* Azor. tamen *p. p. lib. 1. ca. 18. qu. 2.* dicit communem eſſe incontrarium. Hoc tutius: nam habet magnam difficultatem commutatio, cum fieri debet in æquiualens.

40. QVÆST. *An peccator ſtatim educendus è peccato, vel an ſenſim, & dextere: puta quis agit cum peccatore magnate, an ſtatim vtendum cum eo ſummo rigore, vel quomodo agendum?*

RESP. Vtendum ſummo rigore in his, qui impleant

pleant peccatum mortale: putà non absolue
dum nisi abscissa occasione, dimissa concubi
& similia, quia alias absolutio esset sacrilega.
reliquis vti dexteritate & prudentia laudab
cum hæc possint præstari saluo Sacramento.
& quando acrioribus vtendum, prudentiæ
tur, & suauitati locus suus: nam suauiter, & f
titer, operatur dominus: & violentum non
durabile.

41. Extrema vnctio, si petatur, non negabi
peccatori publico, qui postquam petijt, de
loqui, & non potest præstare, quæ debet:
per petitionem, quoad hoc, non censetur
plius peccator publicus, si verò potest præst
quæ debet, & nolit, non datur, quia hoc est p
ijcere margaritas antè porcos.

Si verò peccator est occultus, si dedit sig
contritionis, vel quacumque ratione probi
præsumatur esse dispositus ad Sacramentum
cipiendum, quòd semper præsumendum
quoties contrarium non constat: quia, qui m
non probatur, bonus esse præsumitur, da
quia non debet ei negari, Suarez *tom. 4. disp.*
sect. 1.

42. Matrimonium propriè non confert
Curato, cum non sit illius minister collatiu
sed auctoritatiuus. Ideo si peccator publicus
lit celebrare matrimonium, debet admone
Curato, si est spes profectus, de statu peccati
quo iacet, & de peccato mortali, quod incur
in statu tali matrimonium contrahendo, & si
dixerit se contritum, siue nolle conteri, pot
it Curatus adesse absque peccato, quia in nul
co

communicat peccato illius, & Curato non prohibetur aliud, quam administrare Sacramenta incapaci, at hoc, vt est dictum, non est administrare Sacramenta.

43. QVÆST. *Qua diligentia teneatur Curatus properare in administrandis Sacramentis?*

RESP. Vbi non adest necessitas festinandi, administret cum grauitate, & decenti festinatione. *Vide c. 11 num. 18.* Potest autem contingere dupliciter esse festinandum, vel in die, vel in nocte. In die, dum Curatus est indutus, properet relicto quidquid agit.

44. QVÆST. *Si sit intentus administrationi alterius Sacramenti, puta Baptismi, & vocatur pro confessione infirmi?*

RESP. Si probabile est vno absoluto supereſſe tempus pro administratione, alterius, perficiat quod incipit, & properet ad aliud. Si credibile est non iturum opportunè ad excipiendam confessionem, puta quia infirmus erit mortuus, relinquat baptismum, & properet.

Si baptizandus, & ipse moriatur Baptizet, relictis sacramentalibus quæ postea perficiet.

Si eodem instante vocetur à duobus infirmis æquè morti proximis? Eat ad prius vocantem.

Si prius vocans distet tantum, quòd si probabile non inuentum iri viuum? Eat posterius ad vocantem carentem tali periculo.

Si vterque æquè simul vocet, & æquè distet cum æquali periculo, quòd si tardet, inueniat mortuum alterum illorum. Eligat ire ad quem libuerit, quia non potest aliud agere.

Si erret in electione bona fide ? Non c
quia non peccauit.

45. *Si verò vocetur de nocte etiam cum m*
instantia quid agendum?

Resp. Induat se prius, & festinet, quia cum
obligent mortaliter, non tenetur Curatus
indusio, aut semiuestitus, vt acceleret. Et ita
uersaliter practicatur. Verum est tamen,
debet festinare, & relinquere omnia quæ
sunt necessaria ad necessarium vestitum;
non debet se polire, lauare, pectere, ac se ve
ac si deberet in die claro per medium forum
sire, maximè cum veste talari, vt possit defe
re corpus ab iniuria, quæ potest nox affer
non absolutam inuitionem.

46. Qvæst. *Si daretur casus, quòd Curat*
catus, nisi properaret semiuestitus, infirmus
retur sine confessione, & esset hyems aspera, &
ridum calum, an teneatur Curatus semiu
cum probabili vitæ periculo festinare?

Resp. Dato casu necessariam esse consec
tiam, teneri non solum cum probabili peri
sed etiam cum manifesta morte, & hoc cla
quia debemus anteferre animam proximi
propriæ. *Omnes Vide c. 5. n. 6.*

47. Qvæstio. *An Curatus vocatus de n*
vel de die cum magna instantia, teneatur cum
vt citius ad infirmum perueniat?

Resp. Sufficere festinet, quia consuetudo
niuersalis ita declarat, & si esset currendum
lias infirmus moreretur sine confessione? D
primo dato casu, necessariam consequentia
videlicet currendum quantumuis sibi vide
hon

honori detractum. Idem agendum pro Baptiſmo cum iſta ſint Sacramenta neceſſaria; In alijs functionibus ſufficiat feſtinare, quia non ſunt abſolutè neceſſariæ. Ratio eſt, quod ſit currendum, quia ſi pro ſalute vnius animæ neceſſe eſt exponere propriam vitam, vt ait S. Tho. *22. qu. 185. ar 5.* & communis, multò magis proprium honorem, ſeu exiſtimationem. Dico ſecundo. Cum vt plurimum non conſtat de iſto caſu neceſſariæ mortis ſine Sacramento, & neceſſarij curſus, prudenter Curatus aget, ſi ſine curſu feſtinauerit, quia nec Deus, nec Eccleſia intelligit obligare ad hoc, quòd quis appareat fatuus, & ridiculoſus, vt notat Silu. *ſcript. q. 4 not. 3.*

48. QVÆST. *Si Curatus vocetur pro communicando, vel vnguendo infirmo, & oporteat illum, aut portare Sacramenta ſine lumine, & cæterus neceſſariis, quia non habet qui adiuuet, aut ſi velit expectare adiuuantes, credibile ſit interim infirmum moriturum ſine Sacramentis, quid agendum?*

RESP. De extrema vnctione eſſe clarum poſſe portari ſine dictis ſolemnitatibus, quia etiam in cœna Domini accipitur à Cathedralibus, & defertur ſine lumine, & ſuperpelliceo per totas Diœceſes.

De Communione vrgentius eſt dubium, & primo dico ſi volueris tenere opinionem Silu. *Sacram. num. 3.* quam vocat communem, poterit non ferri, cùm non ſit Sacramentum abſolutè neceſſarium, Dico ſecundo, melius eſſe ferre ſine cæteris ſolemnitatibus, dūmodo deferatur ſecundum *capit. ſanè, de celebratione Miſſarum,*

decenti habitu, hoc est stola, & superpelli
præcedente lumine, ad quod sufficiet in nece
tate vnicus minister, & si non posset haberi
credo sufficeret fœmina, quæ tamen neces
videtur non posse contingere nisi raro.

49. QVÆST. *Quomodo Curatus teneatur*
gratia in administratione Sacramentorum?

RESP. Teneri habere contritionem, vel
tem talem attritionem, quod reputet eam
tritionem, quando est in mortali, vel venial
bio de mortali, aliàs peccat mortaliter. S. Th
q. 64. ar. 9. Caiet. *ibi.* Silu. *cleric. 2. not. 8. an*
Nau. *c. 22. nu. 3.* Sot. *dist. 1. q. 5. ar. 6.* Henriq.
de Sacram. cap. 27. nu. 2. Omnes. In commun
tamen recipienda est necessaria confessio h
ti copiam confessarij Concil. Trid. *sess. 13.*
cet in danda sufficiat contritio dicta, *Omnes*
vero teneatur laicus, qui communicauit
mortali, statim post communionem confi
vt de Sacerdote in necessitate celebrante di
nit Conc. *ibi* Nau. *c. 2 nu. 6.* affirmat Suarez
tom. 3. qu. 80. sect. 8. disp. 66. negat sicut neg
eo, qui communicauit cum mortali oblito
eo, qui sine necessitate celebrat ob malitiam
ne confessione. *Vide ibi.*

Quando tamen datur Baptismus à Curato
necessitate, vt dant laici, non requiritur con
tio. Sot. *dist. & art. dicto, in fine tertij dict.* h
Angel. *sacram. q. 10.* dicat, se valdè de hoc du
tare. In assistendo etiam matrimonio non req
ritur contritio, quia hoc non est administra
Sacramentum. Henriq. *l. 1. de Sacram. c. 29. n. 2.*

Sed quid veniat Curato administratio Sac
mu

menti, & ipse nesciat, nec dubitet se esse in mortali, sed tamen nec ei constat de contrario, quia ab aliquibus diebus non examinauit conscientiam, an tunc, absque actu contritionis, tutò Sacramentum administret, vel an teneatur ante administrationem elicere actum contritionis?

Resp. Si eliceat, bene ageret, sed non credo necessariam, tunc enim solum tenetur, cùm est in claro mortali, vel clarè constat esse in dubio de mortali.

50. Qvæst. *Quando sit necessaria ista contritio, an antè administrationem Sacramenti, an antequam perficiat administrare Sacramentum?*

Resp. Tutum esse habere antè. Henriq. *tamen lib. 4. c. 18. glos. 5.* ait in pœnitentia sufficere eam habere, antequam detur absolutio. Idem potest dici de alijs Sacramentis, quæ successiuè administrantur, puta Baptismo, & Extrema vnctione.

* At Suarez *tom. 4 disput. 28. sect. part. num. 2.* iudicat graue, non habere eam à principio administrationis, & vult tunc procurandam: excusat tamen à mortali eum, qui inciperet audire confessiones cum animo habendi contritionem, quamprimum posset, cum tunc per auditorem confessionis impediretur, & deinde mortalem diligentiam adhiberet ad contritionem assequendam.

51. Qvæst. *An si Curatus multa Sacramenta administret, debeat ad singula habere contritionem?*

Resp. Sufficere si habeat ad primum, quia gratia semel obtenta, non censetur amissa sine nouo mortali.

52. QVÆST. *Quoties peccabit Curatus qui ministrauerit Sacramenta in mortali, vel de mortali?*

RESP. Silu. *cler. 2. not. 8. ante quæstiones*, & opinionem aliquorum dicentium, eum pec mortaliter toties, quoties administrabit. Sec dum quam opinionem, qui viginti hom communicabit, vigesies etiam mortaliter cabit. Idem etiam videtur tenere Azor. *Inst l. 4. 1. part. c. 4. q. 6.*

53. QVÆST. *Dictum est supra requiri contr nem, vel saltem talem attritionem, quæ cr contritio, nunc quæritur, an possit cognosci, si tritio, necne, vel saltem quid agendum?*

RESP. Impossibile esse cognoscere, an h sit contritus iuxta illud: Nemo scit, an odio amore sit dignus: Ne tamen videatur præci quid impossibile, sufficit dolere de offensa ad eum placandum, super omne quod potes lere, propter Deum summe delictum, cum posito implendi præcepta, vel dolore in quoad valemus propter Deum summè ctum. *Ex* Henriq. *l. 1. pœnit. c. 24. n. 5.*

54. QVÆST. *An Curatus in mortali tang Sacramenta, vel Sacramentalibus vacando pe & quomodo?*

RESP. Silvest. *clericor. 2. not. 8. antè quæstion Ordo 4. qu. 2.* Nauarr. *c. 25. num. 72.* & affirm Sotus vero *dist. 1. q. 5. ar. 6. colum. 3.* negat.

Porrò omnes conueniunt, quod si tangat in necessitate, & leuando de terra, non esse m tale. Et intellige nomine Sacramenti, non sol Eucharistiam, quæ semper est Sacramentu

sed etiam olea cõsecrata ab Episcopo pro Chrismate, & extrema vnctione, quæ licet non sint Sacramenta, nisi quando sunt in vsu, tractus illorum tamen reseruatur Sacerdoti ex vniuersali consuetudine. Et quòd dicitur de Chrismate, intelligitur etiam de oleo Cathecumenorum propter eandem rationem. Tangere vero Sacramentalia in mortali non est plusquam veniale propter prauitatem materiæ. Idem eodem modo Sacramentalibus vocando. Sot. *ibi*, & S. Tho. *3. par. qu. 64. ar. 6. & ad 3.* & Caietan. *ibi*, qui volunt esse mortale solum administrare Sacramenta, quod notat Caiet. *ibi*. Tangere verò Eucharistiam immediatè manu, puta mutando ab vno in aliud vas, vel immediatè, puta ferendo in processione. Suarez *to. 3. q. 82. sect. 4. versus medium*, vult non esse mortale, sed rem reprehendam.

55. *Quoties Curatus celebret cũ sola contritione absq; confessione, cũ non habet copiam Confessarij?*

Resp. Sot. *dist. 12. q. 1. ar. 4. casu 2.* Henriq. *li. 8. c. 46. n. 5.* De Graff. *1. p. l. 1. c. 12. n. 5.* & dicunt quòd quando Cõfessarius longè distabit. Curatus hoc poterit semel, aut bis, nisi sit in statu peccati mortalis; puta habens concubinam, quia tunc ne semel poterit, nisi prius abiecta concubina, Henriq. verò addit. Ad hoc obligari, etiamsi Curatus distet à confessario per tria, aut quinque milliaria. At videtur posse dici, quòd poterit celebrare pluries, & toties, quoties necessitas celebrandi vrserit, & incommoditas adeundi Confessarium fuerit præsens, & vera, & vrgens, puta pluuia, nix, discursio hostium, vel latronũ, & omnis alia similis causa, quæ careat fraude, quia

cum hoc fit arbitrarium, tunc erit legitimus cum fuerit rationabile, vt est dictum supra.

Bonum remedium. Quando duo Curati, q alter alterius confessionem excipiunt, mu tum distant. Condicant diem, horam, & locu pro confessione, puta tali die, tali hora, in tali co; & vt locus vtrique sit commodus, eligant cum in medietate viæ inter vtrumque positu & ita euadent molestiam longioris itine & faciliter, & sæpè confessiones excipiens si lint.

56. QVÆST. *Quid si fortè Curatus sit oc excommunicatus, & vrgeat necessitas celebr & scandalum si non celebret, puta infamatu de crimine, aut aliquid aliud, aut saltem ca admirationem, tunc quid aget?*

RESP. Conteratur, & celebret, quia nec cat. nec fit irregularis. Silu. *Euch. 2. q. 7.* Nau *cap. nu. 75. not. 13.* Sot. *dist. 18. quæst. 2. ar. 5. in probationis 2. argum. licet dist. 2. q. 1. ar. 4. casu* in fine negauerit. Sed *d. 12.* loquitur de excu municato publico & *d. 18.* de occulto. Henr *idem habet cum* Silues. *De* Graff. *verò 1. p. c. 1* 14. *& 15.* negat excommunicatum posse ce brare. Tene cum Silu. & alijs, quia iustus timo vt est in casu dicto, excusat è pœna canonis. quæ dicit: De Graff. vera sunt de excomm nicato publico, non occulto, de quo non fermo.

Quod si sola necessitas vrserit, & non scand lum? Henriquez *lib. 8. cap. 47. num. 4.* ait, pecc re mortaliter, & fieri irregularem celebrando Silu. *verò Euch. 2. quæst. 7.* ait, non peccare, ni fier

fieri irregularem, quia pro incurrenda irregularitate debeat adeſſe temeritas, quæ non eſt in hoc caſu.

57. QVÆST. *Quoties excommunicatus occultus ſtante neceſſitate, vel ſcandalo communicabit?*

RESP. Sotum vbi ſupra, concedere ſolum ſemel. Quidam ſemel, aut bis. Tu dic toties, quoties per ipſum non ſteterit, quo minus abſolueretur, & neceſſitas, & ſcandalum vrſerint, quia eſt eadem ratio, vt eſt dictum ſupra *n. 46.*

58. QVÆST. *Quomodo Curatus adminiſtrabit Sacramenta?*

RESP. Secundum conſuetudinem loci ſcitam, & probatam ab Epiſcopo.

59. QVÆST. *An Curatus impeditus infirmitate, vel chiragra poſſit adminiſtrare Sacramenta ſingulo digito manus, vel an teneatur hoc præſtare ſolo pollice, & indice?*

RESP. Totam quidem manum eſſe conſecratam, communis tamen conſuetudo declarat ſolos pollices, & indices eſſe conuenientes. Tol. *Inſt. l. 1. c. 38. num. 2.* licet ibi loquatur non de adminiſtratione, ſed de ſola celebratione hoc concedit. At videtur vtrique actioni eadem inſtrumenta conuenire. Ideo videtur dicendum, cum Sacramenta, quæ adminiſtrãtur manu, & requirunt eam conſecratam, non ſint abſolute neceſſaria, ſtante tali, vel ſimili impedimento, nõ eſſe adminiſtranda niſi via, & modo ſolitis, ſed curanda eorum adminiſtratio per alium, cum neceſſarium impedimentum adeſt, licet de communione non ſit improbabile, quod habetur *c. 8. n. 34. & de Extrema vnction. c. 9. n. 22.*

60 *Sed si Curatus habeat quidem manus libe[illegible] sed pedes impeditos, an possit se facere ferre, & d[illegible] actu portatur Sacramenta administrare?*

Resp. Et in hoc obseruandam vniuersal[illegible] consuetudinem, qua qui confert Sacramenta se procedit, & non portatur: tamen citra sc[illegible] dalum, cum non possit haberi alius, credo [illegible] peccare mortaliter Curatum, qui dicto m[illegible] ea administraret. Melius agere, si faceret rec[illegible] entem Sacramenta accedere, & ipse Curatus [illegible] inde Sacramentum administraret, & hoc [illegible] ximè quadrat in Eucharistia, nam in reliqui[illegible] cramentis, quæ per Curatum administran[illegible] posset susceptor accedere ad Curatum, vel [illegible] ratus accedere ad suscipientem, vt in Extre[illegible] vnct. & ea conferre. Ratio horum est, quia [illegible] lum videtur inconueniens, tali modo Sacram[illegible] ta administrare: præterea, quare non poteri[illegible] portare Curatum pro tali functione, cum e[illegible] possit ferre Eucharistiam, vt est dictum *c. 8. n.* [illegible] & cum secularis, vt in multis locis fieri solet [illegible] rat à Cathedrali ad Curatos olea sacrata?

61. Qvæst. *An Curatus absque Episcopo p[illegible] dare licentiam alteri administrandi Sacramen[illegible]*

Resp. Si Episcopus aliquid sibi reseruauit, [illegible] hil potest in reseruatis, si nihil reseruauit Cura[illegible] tus potest dare licentiam conferendi Baptism[illegible] Silu *Baptism. 3. in c. Communionem, & extrema[illegible] vnctionem.* Silu. *vnctio quæst. 3. Matrimonium [illegible] sidendi.* Conc. Trid. *sess. 24. ca. 1. de reform. matr[illegible] licentiam administrandi. Pœnitentiam dat sol[illegible] Episcopus.* Conc. Trid. *sess. 23. cap. 15. de reforma[illegible] excepto casu, vt capit. 12. numero 24. & cap. par[illegible]*

num

numer. 19. & ministrare Sacramenta sine tali licentia, est mortale, non tamen irregularitas contrahitur in Baptismo. Silu. *baptism. 3. à c. contra* Armil. *bapt. §. 39.* At si regularis, sine speciali licentia parochi, det extremam vnctionem, Eucharistiam, vel solemnizet matrimonium, etiam in defectum Parochi, & in articulo mortis, est excommunicatus. Silu. *excom. 7. casu 14.* Tol. *Inst. libr. 2. capit. 37. numero 5.* Licet Andreas Victorellus vt *inf. cap. 9 numero 6.* neget. Et siue regularis, siue secularis Sacerdos, qui alterius parochiæ sponsos coniungere matrimonio, vel eis benedictionem largiri ausus fuerit, sine licentia proprij parochi, est suspensus, & debet absolui ab Episcopo Parochi, qui debeat eos coniungere vel benedictionem eis largiri. Et si Curatus dederit talem licentiam contra iussionem Episcopi, credo peccabit mortaliter, quia delinquet in re graui, nisi ponat spem in ratihabitione, quia tunc excusabitur.

62. Qvæst. *An vnquam liceat reiterare Sacramenta irreiterabilia, & quando?*

Resp. Et dico videndum de singulis suis. Pro præsentia sufficiat, quod quando dubium est probabile, vel verisimilis coniectura resultat, tunc reiteranda sunt cum conditione. Angel. *sacram. q. 12.*

63. Qvæst. *An conditio in reiteratione Sacramenti, puta si non est baptizatus, si te non absolui, & similes, sit necessario explicanda?*

Resp. Negatiuè, sed sufficit eã mente retinere, vel à principio habuisse quoad forum conscientiæ, in foro autem exteriori si eã non explicu-

eris, & apud Episcopum fueris delatus, pot
puniri, quasi reiterator Sacramenti, vide *cap*
num. 18.

64. QVÆST. *Quo tempore possint dari Sacrame*

RESP. Quoad horam de singulis propriol
dici. Tempore verò vetito, vt interdicto, &
cessatione à diuinis, potest dari Baptismus c
vnctione Olei sancti, & Chrismatis. Ma
monium item potest celebrari absque nup
rum benedictione. Item pœnitentia profa
& infirmis, modò non sint excommunicati,
interdicti, neque fuerint causa interdicti
culpa, neque consilium, neque fauorem,
que auxilium præbuerint delicto, ob quod
fitum sit interdictum: nam qui sunt in cul
non sunt absoluendi, nisi cum cautione, v
dictum numero 25. Item potest dari Eucharis
solum in articulo mortis. Nauarr. *capit.*
numero 178. etiam in cessatione à diuin
Nauarr. *cap. dicto, numero 188. & 189.* Henr
libr. 2. cap. 4. num. 7. Reliqua verò Sacrame
non possunt dari, nisi particulari priuilegio q
gaudeat.

65. QVÆST. *An Curatus cum tali limitatio*
teneatur ea Sacramenta ministrare sub pe
cato, vel ei sit liberum ministrare, & non mini
strare?

RESP. Et credo teneri sub mortali, quando ill
indigens, si non acceperit à Curato, à nullo alio
possit ea recipere, iuxta dicta suprà, *numero*
septimo.

Qualis autem debeat esse articulus morti
Suarez *tom. 3. disp. 33. sect. p. n. 29.* vult talem esse,
quo-

quoties iudicio periti medici, ita est infirmitas grauis, vt prudenter faciat infirmus se præparando ad mortem, *vide cap. 7. n. 73.*

76. QVÆST. *Quid agendum si in prolatione formæ Sacramentorum fiat error?*

RESP. Et dico de errore in forma Eucharistiæ videndas rubricas Missalis. De errore verò in prolatione formæ aliorum Sacramentorum, dicitur quòd, qui eas repetierit, turè aget, sicut etiam, si repetierit formam Eucharistiæ.

68. QVÆST. *Vbi sunt danda sacramenta?*

RESP. Extra necessitatem obseruandam consuetudinem loci. Pœnitentia tamen, & communio, ritè possunt dari in Cathedrali omni confluenti de Episcopatu. Silues. Archip. *q. 1.*

Sed nota, quòd qui in Cathedrali potest dare Sacramenta, non potest ea dare in aliena Parochia, quia id ei licet eo, & non alio modo, per *cap. officium, extra de Archibresbytero*: ibi enim habet, quod qui de foris veniunt ex Episcopatu, possint ibi Sacramenta recipere. Ex quo infertur non posse per istosmet eadem Sacramenta dari eisdem extra Cathedralem, quia facultas hæc limitata est super de foris aduenientes de Episcopatu, & super Cathedralem. Nota præterea, cum aliqua Sacramenta sint, quæ suscipiantur in Ecclesia: puta, Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia, de istis verum esse quod possint suscipi in Cathedrali, vt vult Silu. *ibi.* De matrimonio *Conc. Trid. sess. 24. ca. 1. de reform. matr.* vult solum proprium Parochum posse coniungere sponsos, ideò in cathedrali non licebit. Si tamen adsit consuetudo approbata, etiam in Cathedrali poterunt coniungi,

69. QVÆST.

69. QVAEST. *An Curatus teneatur dare Sacramenta, etiam cum probabili periculo propriæ vitæ?*

RESP. Dictum esse *ca. 1. nu. 16.* teneri non solùm cum probabili periculo, sed etiam cum certo periculo vitæ propriæ.

Vide etiam suprà *num. 37. & cap. 7. de apostatis, n. 72* & bonam practicam, *c. 9. nu. 20. & infra rius n. seq.*

70. QVAEST. *An detur aliqua cautela, qua Curatus sibi prouideat de necessaria defensione in probabili vitæ periculo, cùm tamen necessitas Sacramenti administrandi vrgeat?*

RESP. Prudentia omnia incommoda superari. Si quæris particularia distinguendum. An periculum sit à malo, vel à mala cœli constitutione. Si ab ista vestes, & præsidia, quæ à natura decentur sunt bona. Si periculum est à malo homine, videndum est, an Sacramenta quæ sunt danda, sint necessaria: Et quidem si instet audito confessionis morientis, est eundum. Vt autem Curatus tutò vadat dum induit se (loquimur enim de causa contingenti in nocte, quia in magis promptum remedium) vocet amicos, qui eum associent: si hoc non potest, curet vt ipsi vocantes alios associantes vocent: Si hoc nec potest, ipse ferat arma, vt se defendat, quia ita licet, Silu. *bellum 2. qu. 3.* & hoc etiam si ferat Sacram. puta extr. vnct. Porrò ita posset agere; statim, atque constiterit ei de inimicitia, videat an possit reconciliari inimicis, si hoc non potest, rem deferat ad Episcopum, & obtenta licentia, arma ferat, quæ tamen propter decentiam, Cle-

ricatus

ricatus, occulta deferet. Si vocatur pro Baptismo, sufficit doceat modum, quo vocantes ipsi baptizent absque quod ipse vadat. Si vocatur pro Extrema vnctione, non credo teneatur ire cum tanto periculo, Subscribit Suarez *to. 4. disp. 44. sess. 3. num. 15.* Nisi, addit Victorellus, vitæ periculum excuset, &c. cum ægrotus alijs Sacramentis iuuari non potest: fieri enim potest, vt sit attritus, & accedente Extrema vnctione, virtute Sacramenti, euadat contritus. Minus tenetur ire cum tanto periculo ad commendationem animæ. Sed & si vocatus fuerit pro confessione, curet infirmum audiri per alium Sacerdotem, quod si hoc non potest, eat. vt est dictum.

71. QVAEST *Quid si constet illi certò occisum iri, an etiam tunc teneatur ire ad hunc infirmum sine sacramento Pœnitentiæ certo morientem cum si iuerit occidetur, & infirmus etiam sine Sacramentis morietur. & per consequens ista diligentia cederet in casum?*

RESP. Et videtur dicendum, impossibilem esse istam certitudinem mortis, quia Curatus posset fuga euadere, possibile esset impetentes non aggressuros, superuenturum, qui eum erueret, ideò stante incertitudine aggressus, & certitudine mortis infirmi sine Sacramentis, credo teneri ire ad infirmum, iuxta dicta *num* 58. Excusaretur tamen si positiuè, seu de facto sciret pœnitentem esse in gratia, quia confessus fuerit paulò antè, & alias erat diligens, & bonus, Suarez *tom. 4. dist. 44. num. 15.* quod tamen cautè iudicandum est, quia esse bonum, & diligentem non arguit impeccabilitatem; ideò credo eundem, vt *suprà*.

At si

At si quis haberet bonam probabilitatem
mortis, & mortis infirmi sine confessione an
quam posset ad eum peruenire, credo, quòd e
cusaretur abeundo. Ratio est, quia sumus in m
talibus, in quibus non est maior certitudo; qua
probabilitas, & quod probabiliter fit, rationa
liter, & inculpatè fit. In tali casu tamen, salu
docendi vrgentes, quomodo inducerent mo
entem ad bonam contritionem, si forte cu
concitato actu viuum reperirent infirmum.

72. QVAEST. *An saltem Curatus qui capit
gerit inimicitias, possit admonere populum, vt,
indiguerit illius opera vocet eum de die non de
cte, & protestari se tunc nolle ire?*

RESP. Et vidi hoc practicarum, sed malè, q
tenetur ire quotiescunque necessario vocau
nec, verbi gratia, occasione inimicitiæ, deb
dare Extremam vnctionem anticipatè, quand
alias non esset danda, ne cogatur eam ferre
nocte. Poterit tamen monere populum, vt p
viribus, vocent dedie, quia in nocte sint difficu
tates maiores, dummodo non excludat vocati
nem de nocte.

73. QVAEST. *An peccet Curatus, qui non Cura
se defendere, sed vocatus liberè vadat, & interim
occidatur?*

RESP. Non peccare, imò mereri, quia moritur
pro actione virtutis, & defensio ista non est illi
necessaria, sed licita, & libens, Silu. *bell. 2. quæst. 3.*

Hæc enim dicuntur non secundum
imperium, sed secundum
indulgentiam.

(***)

A, VIC-

A. VICTORELLI

Ad Caput V. Notae.

QVamuis multi probabiliter tradant non posse quempiam Sacramentali absolutione donari, si crimen aliquod, in specie, cõfessario non explicuerit, nihilominus contraria sententia, benignior, in articulo mortis absolui eum posse, & debere, ait, qui signa tantùm edidit contritionis, etiam si nullum scelus, in specie, detexerit, *V.* Bellarm. *Cardinalem li. 2. depœnit. c.* 7. Suarez *tom. 3. di. 69. sectio. 2.* Greg. de Val. *tom. 4. dist. 7. qu. 11. part. 1. aliquosque allatos à me, ad* Sà. *V. Absolutio numero 10. & ad capit. 8. libr. 3. Instruct. Card.* Tolet. Omnem dubitandi scrupulum absolutio sub conditione, tibi adimet; quam, si libuerit, mente retinere poteris; neque enim est necesse conditionem verbis exprimere, quoad forum conscientiæ.

Phreneſi correptis, & amentibus, qui in phreneſim, & amentiam in ſtatu gratiæ (quantum licet conijcere) corruere, Euchariſtia in mortis articulo præberi poteſt, ſi irreuerentiæ cuiuslibet periculum abſit (*V. Concil. Cart. cap. 79 c. 15. qui 26. quæſt. 6. S.* Thom. *3. part. quæſt, 80. art. 9.* imò debet. *ita* Suarez *diſt. 69 ſect. 2. in 3 part. D.* Thomæ.

Sacramentum pœnitentiæ phreneticis, qui illud ante eum morbem deſiderarunt; non eſt negandum, *c. qui recedunt, ca. 15. qui 26. quæſt. 6.* Suar. *l. c.*

7. Toleti & Nauarri *ſententiæ adſtipulantur* Viual-

Viualdus *de Confess. nu. 22.* Carbo *de præceptis Ec c. 10. de Confessione*, Greg. *de* Val. *to. 4. dist 7. qu 10. p. 3.* Angel. *in 4.* Suarez *tom. 4. d. 32. sect. 1.*

Contrariam sequuntur Richard. *4. d. 10.* M din. *qu. 37. de confess. Sacra.* teneri Parochum, a Sacramenta ministrare, etiam, cum præcept hominem ad ea recipienda non obligat. 13. Suarez. *tomo 3. d. 67. sect. 2.* Val. *tom. 4. dist. 6. qu 8. part. 3.* Sot. *4. d. 12. qu. 1. art. 6.* Vic. *qu.* 80. Gr *libr. 2. capit. 38.*

Si peccator occultus, extra confessionem cognitus, occultè petat, non est audiendus. Thom. *4. dist. 9. q. 1. art. 5.* Suar. *sect. 3.* Val. *l. c.* Parochus ab eo rogatus, vt Eucharistiam mi stret, ad eam illi negandam tenetur: Suar. *l. c.* tus hoc simplici Sacerdoti, non autem Paro concedit: sed fallitur, & à Suarez egregiè re litur.

Ob solam criminis suspicionem, Euchari am negari, non posse, ait Sot. sed alij suspic nem, in temerariam, probabilem, & violent distinguentes, inquiunt, temerariam, (nullo licet fundamento suffultam) & probabi (hanc sufficiens ratio, ad gignendum dubiu parit) non satis esse ad hoc sacramentum n gandum: sed tantum violentam: Hæc ijs muni indicijs est, quæ licet rem euidentem non re dant, mortalem tamen probabilitatem effic unt, & cum nihil ad suspicionem auferenda occurrat, ad probabile iudicium ferendum sa esse censentur. *V.* Alensem *p. 4. qu. 49. in 2. art.* S. Thom *d. 9. q. 1. art. 3. q. 2. & ex recentiorib.* Suar *sect. 6. l. c.*

In quo articulo mortis, si homo crimen, de quo violenta adest suspicio, neget, & piæ mentis argumentum prodat, Eucharistia priuandus non est, eneruant enim præcipue suspicionem huiusmodi circumstantiæ Suar. *l. c.*

14. Quid sit, in hac re, publicus, aut occultus peccator, doctissimus Suar. diligentissimè tradit *sect. 5. l. c.*

18. Vsurarius publicus est, qui iure, vel facto: facto, qui nulla tergiuersatione celebrari potest: iure, qui Iudicis sententia damnatus, vel qui suum crimen, secundum Iuris ordinem, Iudici detexit; aut crimen ipsum idonei testes plenè in iudicio probarunt. *V.* Couar. *libr. 3. var. resolut. capit. 3. numer. 4.* Mol. *de iust. d. 333.* Lessium, Rebellum, *l. c. infra.* Huic, ante satisfactionem, vel saltem cautionem pignoratitiam, vel fide iussoriam creditoribus, aut alijs, pro ijs, nullum sacramentum præbendum. *v. c. in omnibus, c. quanquam de Vsur. l. 6.* Molin. *de Iust. quæst. 334.* Tol. *libr. 5. c 36.* Lessium *libr. 2. c. 20. d. 22. de Iust.* Rebellum *lib. 8. q. 16. sect. 6. de oblig. Iust.* Sà. *v. Vsura nu. 70.*

Si neutram cautionem dare queat, iuret, se neutram dare posse, effecturumque pro viribus, quod debet. Mol. Tol. *l. c.* Nauar. *c. 17. nu. 179.*

Si nihil horum efficere queat, in mortis agone, sed cupiat, & velit; absolui potest à quocunque sacerdote; dum iuret, se, ex his, quæ potuerit, effecturum: si tamen possit. *V.* Tolet. *l. c.*

De pœnis Vsurariorum Couar. Mol. Lessius *diligenter, locis citatis.* Qui vsurarium notorium, non absolutum, sepelire scienter præsumit, excõmunicatus est. Clem. *1. de sepult.* Pro-

Probabile periculum mortis satis esse, ait Suarez, (*tit. 4. d. 26. sect. 4.*) vt Sacerdos quilibet iu risdictionem tunc habeat. Periculum mort articulum vocet. Nauarr. *cap. 2. num. 9.* re prehenditque distinguentes, in hac re, pericu lum ab articulo. Toletus, *libr. 1. capit. 15.* q 16. imminens, probabile, ex quacunque cau mortis, periculum articulum appellat. Quida distinguunt, & facultatem in articulo conce sam, in periculo concessam negant. Sot. *4. d* 18. *qu. art. 4.* Greg. *de* Val. *to. 4. d. 7. quæst. 2.* Co *in c. Alma mater p. 1. §. 11. nu. 8.* Rodriquez *p. 1* 59. à quo illud disces; præsumptum mortis ar culum non habere locum, quando Pontifi summus pro vero articulo aliquid concedit, si quando concedit, pro articulo, sine illa additi ne (vero.)

De mortis articulo, & periculo Corduba *l. 5. quæst. Theolog. q. 39.* Suarez *c.* Henriquez *lib. cap. 11. Et nos in notis ad lib. 1. cap. 15. Instruct.* To *& ad Aphoris.* Eman. Sà. *V. Absolutio nu. 3.*

Graffius, *lib. 2. in quinque casuum practicat. nu. 53.* tunc hominem à simplici sacerdote absi ui posse dicit, cum in ipso naufragio in morti periculo versatur, non autem, cum nauigatio nem suscepit. Probabile periculum cum articu lo mortis. Coniungit Valerius Reginaldus *cap. 22. de Prud. Confessarij.*

Quomodo agendum cum eo, qui in articulo mortis versatur, Corduba, *quæst. 39. de Indulgen. &* Rodriquez *l. cap. 27.* simplicem Sacerdotem in articulo mortis, absoluere posse, diuino iure, alij aiunt, alij negant; Diuino iure, & perpetua

Eccle-

Ecclesiæ lege quemlibet sacerdotem, hæreticum etiam, in hoc articulo absoluere posse, per quam probabile putat Comitolus *to. 1. lib. 5. quæst 14. Responsorum moralium*: contrariam sententiam veram censet Suar. *l. c.* pro qua multos auctores recenset, & quam communem vocat Tol. *li. 1. c. 16.*

Articulus mortis est, cum mors, mortaliter certa proximè instat, & est ineuitabilis; periculum, quando in aliquo casu solet mors sæpe accidere: bellum, vel longam suscipere nauigationem sine mortis periculo non accidunt.

Quilibet sacerdos, etiam degradatus, excommunicatus, hæreticus, in articulo mortis absoluere potest. *Ita* Suarez *tomo 4. d. 26. sect. 4.* (quidquid alij quidam dicant) per verba illa Concilij: [*quilibet pœnitens à quibus suis peccatis; à quocunque sacerdote.*

De hæretico negat Nauar. *ca. 26. nu. 26.* de hoc, & schismatico negat Tol. *li. 1. ca. 16. num. 7. Ex. D.* Tho. Nauar *sequitur* Rodriq *p. 1. cap. 59.*

46. Sacerdos post scelus mortiferum à se patratum, nunquam sacrum faciat, etiam si valdè doleat, ni prius (si fieri possit) sacra confessione animum eluat. Celebrans post scelus lethale, sine confessione, cum adest confessarij copia, mortifere peccat, etiam si maxima contritione affectus sibi videatur Diuino iure, sumptioni Eucharistiæ præmittenda confessio. Consule. *Syn. Triden. sess. 13. cap. 7. & cap. 11.* Suar. *tom. 3. dist. 66. sect. 3. & si placet,* Couar. *in cap Alma mater. p. §. 1. nu. 7.* De statu gratiæ necessario ministrantibus sacramenta Suarez *to. 3. dist. 16. sect. 3.*

51. Reli-

51. Religiosos, in mortis necessitate posse
debere, absente Parocho, sub spe ratihabitioni
extremæ vnctionis beneficio morientem dom
re, in libro de extrema vnctione tradidit, &
quibusdam visum, etiam sine spe ratihabition
ne ægrotus tam præclaro orbatus remedio s
premum tartareorum hostium impetum, cu
graui periculo subeat; addidi, non esse audie
dos, qui docent. Religiosos sacerdotes non po
se, sine spe ratihabitionis graui morientis hom
nis necessitati, sacra vnctio. opitulari. Non mu
modo sententiam: quam insignium Doctor
muniunt testimonia.

Caiet. *v. excommunicatio capit. 64.* vinculo
communicationis religiosos non vinciri, ait;
sub ratihabitionis spe, sacramenta administre
neque enim censendum est, Ecclesiam, piam m
trem, hominem parochi copia destitutum s
gulari, in extrema necessitate, remedio priu
velle.

Sot. 4. *d. 23. quæst. 2. articul. 1.* hæc habet. [
clare præsumitur ratihabitio Plebani; nempe,
quis iam animam expirat, & copia proprij Sac
dotis haberi non potest, profecto posset, & deberet q
cunque alius Sacerdos, etiam religiosus, infirm
inungere; licet non sit Sacramentum necessitat
sæpe posset contingere, vt per illud homo fieret ex a
trito contritus: quare tunc ratihabitio plebani cer
tò præsumeretur, non censetur Ecclesia illo articu
lo infirmum eo beneficio destituere.] Sotum sequi
tur Gregor. *de* Val. *tom. 4. dist. 8. qu. 2. p. 1. fauet* Sa
V. Eucharistia numer. 4. Suarez *tomo 4. dist. 44*
sect. 2. Religiosum absente, vel nolente Parocho
inun-

inungere excommunicatione, si hoc sacramentum in articulo mortis ministret, non affici ait; & hanc veriorem appellat sententiam ; additque religiosos, in eo casu, posse ministrare extremæ vnctionis sacramentum, iure communi, & quasi naturali; & superius dixerat, ratihabitionem non tam esse licentiam interpretatiuam, quam excusationem ab obligatione, vel necessitate talis licentiæ.

Candelabri aurei auctor, post multos, quorum nonnullos recenset, eandem sententiam secutus est. Omitto præclaras in re aperta rationes, & Clementinæ explicationem: cuius verba si perpenderis, & intellectum agnosces vera, quæ allata sunt.

59. Si accidentalis fuit formæ error; non est forma repetenda: cuiuscunque autem particulæ omissio, quæcunque mutatio, quæ sensum non muter, accidentalis est si fuit essentialis, repetenda est: non fuit enim perfectum Sacramentum. Omissio, aut mutatio, aut additio verborum significationem mutans, essentialis est error; & non fit sacramentum ; etiam si minister intendat facere, quod facit Ecclesia. *Vide Sot. 4. d. 1. q. 1. art. 8.*

58. Vita spiritualis proximi corporali nostræ vitæ præferenda est. *V.* Suarez *to. 3. d. 31. sect. 3.* vbi de baptismo, *& tom. 4. d. 44 sect. 3. vbi quærit, an Parochus cum vita periculo extremam vnctionem exhibere teneatur.*

61. Per annum, ob graues in sua Ecclesia inimicitias, potest Parochus, vt dictum est, de licentia Episcopi abesse (si tamen aptum relinquat

sacer-

sacerdotem: qui pastorale munus dilgenter ob
at) sic congregationem Cardinalium declar
se, testatur Comitolus *lib.* 1. *q.* 60. *Responsor*
moralium.

Extremam vnctionem, si morbus coniunct
sit cum vitæ discrimine, antequam sol occid
ministrare potes; etiam si non agat animam
grotus; (hoc illi nocte sequenti accidere fac
potest) sufficit, morbum esse letalem; vt pos
eum perungere; præstat autem id facere, an
quam vicinæ mortis angustijs ratio torpescat

In solis, Baptismo, & Confirmatione inuo
tio Triniratis, (*In nomine Patris, & Filij, & S*
ritus sancti.) Sot. *4. d. 24. q. 1. art. 2.*

Laicus in statu lethalis culpæ puerum mo
entem baptizans non peccat mortifere. *S. Th*
3. p. qu. 64. art. 6. ad 3. idem dicas de sacerdote
necessitate, sine solennitate, vt laici faciunt, b
ptizante Suar. *t. 3. de 16. sect. 4. in fine.*

Parochus assistens matrimonio in mortif
scelere, non peccat mortifere: quia non mi
strat. Contrahentes matrimonium in mort
graui se obstringunt flagitio; quia indignè sac
mentum suscipiunt, & gratiæ obicem ponu
Suarez *l. c.*

Ministri sacramentorum, sacros in ijs mini
strandis, Ecclesiæ ritus seruare debent; eos omi
tere crimen, qui in nouos à quocunque Eccles
pastore mutari non possunt. *Conc. Trid. sess.*
can. vlt. de sacr. in genere.

Contemptus huius præcepti lethalis: violati
non semper; sed pro grauitate materiæ. Suare
l. c. sect. 5.

CAPVT

CAPVT VI.

DE BAPTISMO

SVMMARIVM.

1. Ætas pro baptismo.
2. Materia apta pro baptismo.
3. Materia non apta.
4. Materia dubia qua.
5. Aqua an debeat esse benedicta.
6. Quando baptizandum in aqua dubia.
7. Modus baptizandi.
8. Sal sit modicus, & quare.
9. Quanta aqua sit necessaria per Baptis.
10. De Baptismo in partu.
11. Quantum viuat fœtus mortua matre.
12. An Cur. teneatur facere aperire grauidam mortuam.
13. Signum mortis mulieris graue.
14. Quomodo baptizandum cum non datur tempus consulendi.
15. De trina infusione, immersione, vel aspersione necessario.
16. Quis possit vel non possit baptizari.
17. Brutum quomodo.
18. Monstrum quomodo.
19. Paruuli an baptizandi inuitis parent.
20. Quomodo inscijs parentibus baptizandi sunt.
21. Amentes an baptizandi.
22. An aliquis possit cogi ad Bapt.
23. An requiratur contritio in Bapt.
24. Rebaptizando cum conditione, quomodo se gerat Cur.

25. De dubijs in forma.
26. Errores in forma.
27. Quale debet esse dubium in forma.
28. Quando rebaptizandum cum conditione.
29. Si forma non proferatur cum collatio materiæ.
30. Quomodo Cur. aget, vt euadat periculum baptizandi.
31. Modus baptizandi domi in necess. (tanto
32. An Cur. debeat ipse baptizare omnes perio
33. An Episcopus præsente Curato possit baptiza
34. An domi Cur. possit baptizare cum solemni tibus Eccl.
35. Quando solennitates sint supplendæ.
36. An pannus, & candela possint pluries ad seruire.
37. An imponenda sint nomina gentilium.
38. An possint imponi plura nomina.
39. An patrinus sit necessarius in baptismo.
40. Quid si baptizet sine patrino.
41. Patrinus quis possit esse.
42. An infans possit teneri ad baptismum non hæretici.
43. An requiratur ætas in patrinis.
44. An patrinus sciat rudimenta fidei.
45. An peccatum sit admittere prohibitum.
46. Non baptizatus an possit tenere.
47. Curatus excusatus ad prohibitum.
48. Quot patrini possint esse in bap.
49. Tenens domi in necessitate an fiat compater.
50. Quo actu quis fiat compater.
51. Tenens non intelligens fieri comp.
52. An paternitas contrahatur ad Sacramentalia

53. Cog

53. *Cognatio, quæ contrahitur per baptismum.*
54. *An patrinus teneatur respondere in baptismo.*
55. *An idem homo possit esse patrinus plurium filiorum eiusdem.*
56. *An eodem die idem vir possit diuersos leuare de fonte.*
57. *An cognatus possit esse compater cognati.*
58. *An intentio patrini sit necessaria.*
59. *An exorcismi possint fieri in plurali.*
60. *An exorcismi possint fieri disiunctim à baptis.*
61. *De libro baptismi.*
62. *Forma inscribendi baptiz.*
63. *Forma sint scribendi tenentes ad exorcismos.*
64. *Quale peccatum non scribere baptizatos.*
65. *Quid agendum cum obstetricibus.*
66. *Obstetrices imperitæ prehibentur.*
67. *De tenendis in lecto infantibus.*

QVAEST. 1. *In qua ætate paruuli sunt baptizandi?*

RESP. Rite baprizari in die octauo, sed & pater differens circa duodecimum, non peccat. *Henriq. lib. 2. ca. 4. numer. 12.* Baptizans prius non peccat. Conformate consuetudini.

Differens ad aliquas hebdomadas vel menses ex causa, si causa est rationabilis, puta mater magnatis differens baptismum filij pro morte mariti, aut aliqua de alia simili causa, non est de facili condemnanda de mortali. Si tamen Curatus in sua cura videat in hoc aliquem abusum, crebra admonitione eum tollat.

2. QVAEST. *Quæ materia est apta pro Baptismo?*

RESP. Omnem aquam naturalem. Concil. Trid

seſſ.7 can.2. talis eſt. Sulphurea, mineralis, ma
reſoluta ex glacie, niue, rore, lexiuium. *Silu*
bapt.2.queſtion.4. Omnes.

3. Materia non apta eſt ſudor, lacrymæ, p
tum, ſaliua, vrina, lutum, pannus aqua imbut
& non expreſſus, aqua ſtillata. Silu. *bapt.* 2. *&*

4. Materia dubia eſt omnis aqua alio liqu
mixta, quæ ſi eſt mixta in tantum, vt guſtata
cetur de nomine mixti, puta, mel aquatum, a
vinata, & aqua oleata, & omni alio ſimili m
non eſt materia apta. *Omnes.* Brodium, ſi ita
ſetur, vt vocetur gelatina, aut ſi totum puro
ſu, vt dicimus vulgariter, non eſt aptum. Silu.
2.q.4.not.2.& 3. Armil.bapt.§.20.& omnes.

Sal liquam non eſt apta materia. Silu. *bapt.*
7. Secundum communem vero eſt materia ap
Henriq. *l.2.c.9.n.1. Armil.dubitat bapt.§.25.*

5. QVÆST. *An aqua debeat eſſe benedicta?*

RESP. Negatiuè in neceſſitate, extra neceſ
tatem eſt mortale, vti non benedicta. Silu. *ba*
2. quæſt.3. Tolet. *inſtit.li.2.c.18.num.4.*

Sed, & ſi quis in neceſſitate vteretur bene
cta, non peccaret, quia nullibi prohibitum. Re
ponenda tamen in ſacrarium propter reuerenti
am chriſmatis, quo eſt mixta.

Si in hyeme afferatur ad Eccleſiam aqua cali
da miſcenda benedictæ frigidæ, ne infans frigo
ri lædatur, non miſceas, niſi prius guſtaueris, ſi
nec ne naturalis, & hoc ad cautelam, ne appon
tur aqua non apta.

6. QVAEST. *An vnquam poſſit baptizari in*
qua dubia?

RESP. In neceſſitate ſolum ſine peccato poſſe
quo

quod est, quando non possit omnino haberi alia materia. Sed addenda conditio, si est apta. Henriq. *lib. 1. cap. 9. nu. 3. & gloss.* quia melius est sic baptizare, quam nullatenus baptizare.

7. *Quomodo baptizandum, seu applicanda aqua?*

Resp. Tribus modis posse, vel immersione, vel infusione, vel aspersione. Igitur dicendum, observandum esse morem loci, etiam si mos ille sit contra morem Metropolitanæ, seu etiam Romanæ Ecclesiæ Sot. *di. 3. art. 8. post 3. conclus.* Et non observare hunc morem, citra scandalum, non est plusquam veniale. Nota tamen, quòd in necessitate quiuis istorum modorum est aptus. Sot. *ibi.* Sed & extra necessitatem, si baptismus detur mersione & baptizandus sit adultus propter honestatem, sufficiet infundendo baptizare. Tol. *Instit. lib. 2. c. 18. n. 7.*

Si baptizetur immersione, & puer mergendo periclitetur, leuiter est aqua attingendus: Et si mergeretur, & moreretur baptizans peccaret mortaliter homicidio, sed non esse irregularem vult Sot. *ibi contra Palud.* Suarez *to. 3. dis. 20. q. 64. sect. 2. in fin.* Si verò baptismo notabiliter mors acceleretur non est baptizandus, si acceleretur minimo tempore est baptizandus. Sot. *ibi.* Sed hos credo scrupulos, cum tenuissimæ guttæ sufficiant, & illæ non possint puerum occidere maximè si aqua fuerit calida.

Communiter baptismus fit immersione, & communius infusione, quæ fit in capite. *Omnes* Observanda consuetudo loci. Sufficit, si tangat capillos, quia sunt pars hominis. Tol. *Inst. lib. d. c.*

18. *in fin.* affirmat. Sot. *ibi, art.* 7. dubitat, & iur
constaret, aquam tetigisse solos capillos (qu
vix est possibile) putare baptizandum cum co
ditione, quod etiam Sot ibi non reprobat. Su
to. 3. *D.* 20. *sect* 2 docet. corpus in aliqua prin
pali parte mediocri saltem aquæ quantitare
tingendum.

8. Nota pro immissione salis in os pueri, p
verba: Accipe salem sapientiæ, & c. modico
ris, quia alias vlcerat palatum paruuli, & pa
quantitas sufficit.

9. QVAEST. *Quanta aqua necessaria pro Bapt
mo?*

RESP. Vnicam guttam vix sensu percepti
lem non sufficere, aliquas verò sufficere Sot
articu. 7. *versus finem*, dummodo sint tot, qu
possint dici abluere.

* Suarez vero *tom.* 3. *quæst.* 66. *disp.* 20. *sectio*
ait eam aquæ quantitatem, & necessariam e
& sufficere; quæ sit sufficiens ad abluendam, l
contingendam sufficientem corporis parte
tanta, quæ successiuè fluere possit per magna
corporis partem. Sed hoc videtur esse, quod d
cet Sotus.

10. QVAEST. *Si puer in partu periclitetur, qu
modo baptizandus?*

RESP. Si emiserit manum, vel pedem & no
possit baptizari in capite, baptizandus in part
apparente. S. Thom. 3. *p. quæst.* 68. *artic.* 11. Silu
bap. 4. *q.* 1. Tolet. *Instit. lib.* 2. *cap.* 18. Sed aliqu
citati à Sil. volunt, si superuixerit baptizandu
cum conditione, & alij negant.

Si apparet maior pars capitis, vt ab auricul
sursum

sursum, aliqui tenent non esse rebaptizandum, quia communiter in baptismo non abluatur vltra dictam partem. *At* Durand. *citatus ab* Henriquez *capit. 21. num. 4. gloss. T. libr. de baptismo*, negat baptismum collatum in occipitio esse baptismum. Tutius est, esse rebaptizandum, quia baptizandus debet esse plenè natus quoad caput secundum communiorem sententiam inuolutum secundina. Silvest. *bapt. 4. quæst. 1.* dicit baptizandum. Quidquid velit non intelligitur. Clarum est enim, aquam debere tangere baptizatum, quod non est in casu dicto. Sot. *loco dicto, art. 7.* Rumpatur secundina, & baptizetur.

Si verò puer non sit natus, & mater agonizet, quid agendum? Sinenda est mori, & postea aperienda, & baptizandus. *Omnes.*

II. QVÆST. *Quantum superuiuat fœtus matri mortuæ dum existit in vtero?*

RESP. Medicos valdè peritos mihi dixisse, superuiuere per horam, plus minusve. Quædam verò obstetrices octogenatiæ & valdè peritæ dixerunt, moriente matre filium non esse superstitem, sed vel mori, vel antea mortuum esse aut si viuit, hoc esse ad modicum tempus.

12. QVAEST. *An ad Curatum pertineat facere aperire grauidam mortuam, vt extractus fœtus baptizetur?*

RESP. Teneri eodem vinculo, & non arctiori, quo tenentur omnes subuenire necessitatem extremam patienti. Si tamen viderit domesticos mortuæ deficere, & ni ipse sollicitet infantem probabiliter extrahendum mortuum, tenebitur sub mortali sollicitare, & procurare, apertionem matris.

Quid si admoniti domestici mortuæ, etiam grauioribus verbis nolint obedire ? Si Curatus habet vim coactiuam, puta quia etiam est Vicarius Episcopi per censuras, & ministros iustitiæ efficiet id ad quod tenetur, quia tunc ex officio ad hoc tenetur. Si non habet vim coactiuam, recurrat ad Episcopum, si sperat prouisionem Episcopi opportune profuturam: Si hoc non sperat recurrat ad brachium seculare, si pariter credit vel dubitat in tempore profuturum. Si nullum horum sperat, aut potest, acriter admonitos de obligatione, qua tenentur relinquat illos in sua opinione, adhibitis testibus, vt factum possit probare coram Episcopo, si fuerit opus,

Dato quòd domestici velint mortuam aperire, quonam modo sollicitabit, ni fortè ex sollicitatione faciat verè occidere eam, quæ casu est in animi deliquio, vt potest euenire?

Resp. Remittat se ad medicum, & chyrurgum. Si isti desunt, vt potest euenire in villa, iubeat aperire mortuam, postquam ad iudicium obstetricum, & peritorum loci iudicatum fuerit eam vere esse mortuam. Si nec sit ibi aliquis hoc sciens? Iubeat semper cum conditione aperire, si est mortua. Si astantes dubitent? Numquam consulat, immo dissuadeat, quia & occidere est peccatum mortale, & mortale est, exponere se periculo occidendi. Vidi statim à morte, immissam in os mortui partem arundinis longitudinis digiti, & dimissam ibi ad horam vel circa vt per eam fœtus respiraret, & consulti Medici periti, an effectus possibilis? mihi affirmarunt.

13. Sed si vis omnia ista incommoda superare, scias

scias ex Galeno, vt à Medicis accepi, multis locis vt *cap. 1. in princ.* De vtilitate respirationis. Item de difficultate respirationis *c. 8.* Et clarissime *lib. 4. de locis affectis c. 7.* Quod carente homine respiratione, & pulsu, careat etiam vita; exceptis hystericis, id est, vteri strangulatione correptis, vulgo dicimus Maldi madre; in quibus opus est altiori indagatione, & refrigeratis præcordijs, cũ toto corpore tuto aperiuntur. An verò respiret, denotabit lumen exiguum ori mortui admotum, si flamma non deijciatur. Item lana carpta, vel bombix, eodem loco admoti immobiles perseuerando.

Item ciathum plenum aqua super os ventris positum, aqua immota permanente. Cum igitur ista adfuerint, citra omne periculum, poterit Curatus facere aperire mortuam.

14. QVAEST. *Si puer moriatur, & dubitatur de baptismo dato domi ab obstetrice, & Curatus non habet tempus studendi, vel consulendi peritum quid ager?*

RESP. Baptizet cum conditione, si non es baptizatus, quia tuto agit: nam duobus inconuenientibus concurrentibus, accipiendum est, quod habet minus periculi; hic autem cum concurrat periculum, ne rebaptizandi, & periculum, ne infans non baptizatus pereat, & hoc maius sit illo, agendum est, vt dicitur.

15. QVAEST. *An baptizans, & intendens trinam aspersionem, mersionem vel infusionem, si puer moriatur facta vna, aut altera sola, & non reliquis intentis, baptismus sit verus?*

RESP. Silues. *bapt. 5. qu. 1. Armil. bapt. §. 25.*

dicere non esse verum. Sot. autem *dist. 3. art. 8. ad 3.* Henriq. *lib. 2. cap. 7. not. 4.* dicunt esse verum, dummodo tota forma proferatur: quia aspersio, immersio, vel infusio non sunt de necessitate Sacramenti, & intentio ministri non potest facere, vt sint Sacramento essentialia. Et ista intelligenda siue hoc fiat casu, siue sponte: sicut etiam si post trinam infusionem. & absolutionem formæ, aqua, quæ in vase supereſt, fundatur super caput baptizati, quia est eadem ratio.

16. QVAEST. *Quis possit, vel non possit baptizari?*

RESP. Monstrum non posse baptizari.

Dubius, an viuat, baptizetur cum conditione si viuit. Practica. Vide prius, an habeat aliquod signum vitæ, si habet baptiza liberè, si non habet, nullatenus baptizes, si dubitatur an signa quæ habet sint vitæ, baptiza cum conditione. Signa vitæ sunt respiratio, & pulsus, seu palpitatio cordis, sic medici retulerunt ex Galeno locis citatis, *num. 10.*

17. Brutum natum ex patre bruto, & matre homine, etiamsi appareat homo, non baptizetur. Henriq. *lib. 2. ca. 11. nu. 1. & ca. 16. num. 2.*

Monstrum quantumuis deforme, etiam si ex capite appareat brutum, & ex alia corporis parte, si natus est ex patre homine, credo posse baptizari, saltem cum conditione, quia originale peccatum, quod baptismus delet in paruulis, traducitur ex semine humano. Deductum etiam ex Henriq. *ibi* ex conformitate rationis Confirmatur ex Galeno *libr. 2. de naturalibus facultatibus, c. 6.* vbi habet, semen maris habet facultatē

naturæ

naturæ, qua formatur, augetur, & nutritur animal, &c. Ex quibus deducitur vim generatiuam esse in semine maris, & cum mas sit homo & ex semine humano traducatur peccatum originale, videtur rectè dici posse, in casu nostro baptizandum, saltem cum conditione.

18. Monstrum si habet vnicum caput, baptizatur. Silu. *bapt. 3. qu. 10.* Si habet duo capita, baptizetur prius absolutè vnum, deinde aliud cum conditione. Silu. *ibi, & omnes.*

Praxis. Si Monstrum habet multum de insolito, si daretur tempus, ego non baptizarem nisi Episcopo consulto.

19. Paruuli non possunt baptizari, inuitis eorum parentibus nisi.

Primo. Quando paruulus habet alterum parentem fidelem. Sot. *dist. 5. art. 10. 5. arg.*

Secundo. Quando paruulus infidelis capitur in bello Fidelium contra infideles. Sot. *ibi* Azor. *Inst. 1. p. lib. 8. cap. 25.* Parentum verò nomine intellige parentes, & tutores, siue testamentarios, siue legitimos, siue datiuos, licet Sot. ibi dicat, non fieri tantam iniuriam, si baptizentur existentes in tutela tutorum, quantum si baptizentur dum sunt in potestate parentum, *idem* Azor. *ibi.*

20. Paruuli possunt baptizari inscijs, sed non inuitis, & contradicentibus. eorum parentibus.

Primum. Quando iure sunt statim separandi à parentibus.

Secundum. Quando iam iam paruuli moriuntur.

Tertium. Quando distant longè à parentibus

etiam si sint empti in bello iniusto; sed si parentes sunt vicini non sunt baptizandi, nisi prius consultis parentibus Sotus, & Azor *ibi*.

Et baptizare extra hos casus erit mortale quia fit notabilis iniuria parentibus dictorum paruulorum, nec sufficit bona voluntas, quia est zelus sine scientia.

21. Amens perpetuus, qui non est in potestate patris, nec matris, potest baptizari. Silu. *bapt.* 4 *q.* 14.

Si habet lucida interualla, si instet periculum & constet desiderasse baptismum baptizandus, aliàs non. Si est dubium, an desiderauit necne baptizandus cum conditione, si desideraverit. Item dicitur de dormientibus. Silvest. *bapt.* 4 *quæst. dicta.* Dummodo tamen qui baptizatus cum in amentiam, vel somnum incidit, non habuerit voluntatem permanendi in peccato mortali. *Ita* Sot. *dist.* 5. *articul.* 12 *in* 3. *argum.*

Si dubium est an puer infidelis habeat vsum rationis, & pater velit baptizari, ipse verò nolit Sot. *dist.* 5. *art.* 10. *dub.* 2. affirmat baptizandum. Suarez *verò disputat.* 25. *sect.* 3. *circa fin.* negat id licere, quia Sacramentum redditur dubium, an validum existat.

22. Quaest. *An aliquis sit cogendus ad baptismum?*

Resp. Cogendum paruulum natum ex parentibus fidelibus & non baptizatum eorum incuria, vel malitia. Sotus *dist.* 5. *art.* 9. *in fin. vide cap.* 5. *n.* 6.

Si dubium est. An puer habeat vsum rationis, & velit baptizari. Sot. *dist.* 5. *ar.* 10. *dub.* 2. Suarez

loco

loco d. volunt baptizandum, subtractum prius à parentibus. Henriq. *vero cap. 29, num. 3.* negat, quod potior sit conditio possidentis.

23. Qvæst. *An in baptismo requiratur contritio?*

Resp. In adultis sufficere attritionem etiam cognitam esse attritionem, ita multi. Ratio est, quia si attritio talis sufficit pro pœnitentia, vt concedunt omnes, & Conc. Trid. *sess. 14. cap. 4.* multo magis sufficiet pro baptismo, cum pro isto minor dispositio requiratur, quam pro pœnitentia, vt ipsum Conc. *sess. 6. cap. 6.* docet. Dices ibi baptismo præscribere contritionem tanquam necessariam. *Respond.* Suarez *disp. 28. sect. 2.* Non præscribere dispositionem simpliciter necessariam, sed eam, quę optima est, & pro magis certa consulendam.

24. Qvæst. *Quomodo se gerat Curatus in rebaptizando cum conditione, in casibus à iure permissis?*

Resp. Si datur dilatio videat summas, si non datur baptizet.

* Aduertat autem quod rebaptizans citra casus concessos fit irregularis. *Communis.* An autem eamdem irregularitatem incurrat qui timore, & nulla diligentia adhibita rebaptizat conditione tamen apposita, vel mente retenta. Sot. & quidam alij affirmant, citantur à Suarez, ipse vero negat: peccabit tamen mortaliter, quia hoc est magnam iniuriam Sacramento irrogare. Suarez *tom. 3. q. 71. disp. 31. sect. 6.*

Primò. Quando est dubium probabili in materia, vt est dictum *num. 3.*

Secundò. Quando est dubium in forma, vt baptizando dicatur.

In virtute Patris, & filij, & Spiritus sancti. Sot *dist. 3. ar. 5. in fin. 6. arg.* Henriq. *l. 2. cap. 10.*

In nomine Genitoris, Geneti, & ab vtroque spirati, vel procedentis probabilius iudicat non esse baptismum. Sot *dist.* & à dicto, *in 7. argum.* Henriq. *lib. dist. c. 9. nu. vlt.* & refellit Caiet. qui tenet contrarium.

Item si dicatur cum nomine (quod videbi vsitatum inter idiotas) vel per nomen Patris & filij, & Spiritus sancti, quia non est idem sensus dicere: Cum nomine, & dicere: In nomine.

Alius error potest fieri in probatione formæ. Pro quo nota cum Silu. *baptiz. 1. q. 7.* Quòd corruptio verborum plus mutat in principio quam fine: ideò etiam si non maneat sensus secundum grammaticam, sed euadat in alium sensum, siue grammaticalem, siue non, sed illa mala prolatio sic solet fieri ab eo, qui profert, dum intendit proferre formam, valet talis forma, puta dicendo: In nomine Patris, vel Patre, & similia. Et hic error est germanus idiotis & vetulis.

Alius error potest esse in additione formæ, de quo vide Silu. *bapt. 1. q. 6.* & Sot. *artic. d.*

25. Igitur, quandocumque dubium est probabile vel ex iudicio sapientum, vel est de hoc verisimilis coniectura dubitandi, an baptismus sit validus, tunc rebaptizandum est cum conditione, si non es baptizatus, quæ sufficit absque additione, & si non es baptizatus, non baptizo te, quia est superflua. *Angel. sacram. qu. 12.* Sotus autem

autem dist. 1. artic. 94. arg. vult tunc dubium esse legitimum, cum facta diligenti perscrutatione, veritas non valeat definiri. Hæc dubitatio erit valida, si fuerit à scriptis auctorum non reprobatorum. Item si fuerit per propriam prudentis rationem benè discussam. *Vide cap. 15. de opinionis electione.*

Sed nota bene. Ponas te semper in tuto, ne baptizandus patiatur: quia licet, quæ aguntur secundum opinionem benè discussam rectè agantur quoad fugiendum peccatum, non tamen certum est effectum ex opinionis electione manantem ratum haberi apud Deum. Leonardus Lessius *de iust. lib. 3. cap. 1. dub. 4. numer. 43.* ex simili, tunc enim ratum habetur, cum opinio est vera.

Tertiò. Rebaptizatur cum conditione, quando defuit intentio necessaria in conferente, vel suscipiente baptismum, & non est clarum de defectu illo, sed cadit sub dubio probabili.

Quartò. Rebaptizatur cum conditione, quando baptizandus non erat plenè natus, vt est dictum *num. 8.*

26. *Quintò.* Rebaptizatur cum conditione, quando verè constaret aquam tetigisse solos capillos, non carnem, vt est dictum, *n. 6.*

27. *Sextò.* Rebaptizatur cum conditione paruulus expositus ad ianuam Hospitalis, vel inuentus in nemore, quando natus est de recenti, & inuentus sine scriptura. Tolet. *Instit. lib. 2. cap. 21. num. 3. &* Sot. *dist. 3. art. 9. in 4. arg.* iudicat non rebaptizandos istos sic inuentos, si appareant habere mensem, vel viginti dies, nisi ex colore

colore esset vehemens suspicio natus ex infideli puta mauro. Illos verò, qui inter infideles nati sunt ex parentibus fidelibus, & postea redempti aut mortuis parentibus sunt superstites, cum postea ad nos veniunt, nisi manifestis indicijs constet esse baptizatos, baptizandi sunt, nam præsumptio est non fuisse baptizatos.

28. *Septimò.* Rebaptizatur, si forma interrumpatur tanto tempore, quod verò dicatur discontinuata, nam interrumpere vno, aut altero verbo, non est interrumpere, sicut nec tussiendo nec dicendo taceas, aut aliud simile. Silues. *bapt. 1. quæst. 3.*

29. Ad hæc reducitur, si forma non proferatur cum collatione materiæ: nam quidam dicunt ambo simul esse coniungenda, hoc est proferre formam, & applicare materiam. Silu. *bapt. 5. q.* Caiet. citatus à Soto *dist. 3. ar. 8. in 3. arg.* aiunt saltem esse necesse, vt durante forma applicetur materia. Sot. verò ibi ait, sufficere paulò ante vel paulò post ablutionem proferatur forma, vel è contrario, sicuti vnica actio est eius, qui dicit bibo, & postea bibit.

30. Qvæst. *Quomodo Curatus aget, vt euadat periculum rebaptizandi?*

Resp. Quærat ab offerentibus puerum antequam aliud agat, An puer sit nec ne baptizandus? si affirment, curet omninò audire ab eo, vel ab ea, qui baptizauit, maximè si sit fœmina, & eo magis si agatur cum rusticis, & idiotis, qua materia, forma, intentione vsi fuerint, & exauditis agat, quæ conueniunt. Benè ad hoc aduertat, quia mihi aliquoties contigit responsum fuisse

isse ab illis, qui puerum attulerunt ad Ecclesiam, puerum benè fuisse domi baptizatum, & cùm diligentius rem inuestigarem ab illis, qui baptizauerant, inueni errorem in materia, vel forma.

Præterea aduertat, si respondentes videat titubantes, vel malè respondentes, non increpet, ne exaspirati præ verecundia affirment falsum. Hoc vidi. Ideò veritatem benignè alliciat, deinde, si iudicauerit expedire, acriter repræhendat. Ad hæc, post cognitam veritatem, quærat de Patrinis, qui sint, & à quo designati, iuxta dicenda infra *nu. 27. & sequ.*

31. QVÆST. *Quis bonus modus baptizandi in necessitate?*

RESP. Hic, non nominata persona dicere, Creatura Dei ego te baptizo, In nomnie Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Sed aduerte, aquam qua vsus es, facias, te præsente, deijcere in loco mundo; ne, si asseruetur, sit vlui ad aliquam superstitionem; vel cures ferri ad sacrarium, propter reuerentiam Sacramenti. Hæc tamen non sunt absolutè necessaria.

32. QVÆST. *An Curatus benè agat si curet se vocari ad omnes periclitantes?*

RESP. Non est necesse, sed benè agere, tunc tamen, quando infans est plenè natus, quia sic ponet in tuto paruulorum illorum causam, qui sæpè malè baptizantur ab obstetricibus.

Dum verò adhuc infans est in vtro matris, propter honestatem, obstetricibus & domesticis parturientis prouinciam sinat. Catechism. Rom. *de bapt.*

33. Si adsit Episcopus, & Curatus? Curatus baptizet,

zet, quia id onus est illi proprium. Sot. *d. 4. ar.* *concl. 4.* De alia præcedentia, præferendo sem per digniorem vt annuit Catechismus ibi dicen dum non esse rem necessariam.

34. QVÆST. *An baptizans domi in necessita debeat baptizare cum omnibus solemnitatib baptismi, vt fit in Ecclesia?*

RESP. Negatiue, sufficit vtatur materia apt & forma necessaria.

35. QVÆST. *An solemnitates baptismi omiss baptismo in necessitate dato sint supplendæ, cessan necessitate, & sub quali peccato?*

RESP. Tol. Inst. supplendas, *l. 2. c. 23. num. 1.* non adsit sub quali peccato Credo sub venia cùm non sint necessariæ citra contemptum ta men, quia cum illo esset morrale.

36. QVÆST. *An pannus, qui traditur in baptis mo sub illis verbis: Accipe vestem candidam, & item candela, qua datur possint pluries seruire di uersis baptizandis?*

RESP. Silu. *bapt. 5. q. 4.* Affirmare de panno. Se etiam eadem ratio est candelæ.

37. QVÆST. *An Curatus baptizandis impona nomina gentilium?*

RESP. Obseruet Constitutiones sui Episcopi. Certè in multis Episcopatibus rationabiliter prohibetur. Si nulla adsit prohibitio, hortetur Curatus ad imponenda nomina Sanctorum, vt baptizandus illorum patrocinio adiuuetur.

38. Si parentes abnuant? Baptizet, quia impo sitio nominis non datur à Sacerdore, sed à paren tibus, ideò in antiquis spiritualibus baptismi in principio ceremoniarum baptismi, erat ista

inter-

interrogatio: Quo nomine vocaris? innuens à parentibus, non a me. Et si parentes velint imponi plura nomina, Curatus non curet, sed baptizet, quia nihil refert.

39. QVAEST. *An patrinus sit necessarius in baptismo?*

RESP. Sot. *dist. 4. art. vlt. Concl. 1.* affirmare. Intellige tamen non de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti Ecclesiastici, & ex communi consuetudine.

40 Sed an omittens peccet mortaliter? Credo distinguendum. Cum baptizatur habens parentes, vel Curatores Christianos instruere volentes baptizatum, non credo peccare mortaliter non adhibendo patrinos, quia ideò sunt instituti patrini, & vbi cessat ratio legis, cessat etiam illius prohibitio: Si verò baptizatus indigeret instructione, & esset verisimile, alias eam non habiturum, credo mortale, propter magnum damnum baptizati. In baptismo verò priuato Suarez *tomo 3. quæst. 67. art. 7.* vult nullum esse peccatum.

41. QVAEST. *Quis potest esse patrinus?*

RESP. Omnis baptizatus. Excipitur.

Primò. Hæreticus, sed si teneat contrahit affinitatem. Sot. *d. 4. ar. vltim. in fine primi argum.*

Secundò. Abbas & Regularis Silu. *bapt. 5. qu. 5.* & Sot. *art. dicto, ad 2. arg.* dubitat esse mortale si teneant.

Tertio. Qui publicam pœnitentiam egit Henriq. *l. 2. c. 14.* Sed supradictis tribus numeris volunt contrahere affinitatem, si teneant.

Quartò. Vniuersitas, seu Respublica, & hos nõ con-

contrahere affinitatem, sed qui eorum nomine tenet. Silu. *matr. 8. quæst. 7. not. 16.* Sot. *dist. 42. q. 1. art. 2. propè finem.* At Rebellus *de obligat. in additione 4. lib. num. 90. Ex decreto congregationis* Conc. Tridentin. tenet ipsos mandantes contrahere.

Quintò. Nec Pater, aut Mater baptizati. *Omnes.* In extrema tamen necessitate, possent esse patrini. Sot. *distinct. 4. art. vltim. 2. argument.* At placet distinctio, Suarez *3. tomo quæst. 67. art. 7.* In baptismo solemni, qui confertur in Ecclesia per Sacerdotem, esse necessarium patrinum, & tunc vix possibilis est casus non adesse, qui teneat puerum præter patrem. In baptismo verò collato in necessitate patrinum non esse necessarium, & ita non videtur possibilis ista Soti necessitas.

42. * *Quæres quid agendum, si illi, quorum nomine tenetur ad baptismum, sint hæretici, puta quis tenet nomine alicuius hæretici, tunc quid agat Curatus, cum si tenuerit, videatur participare in diuinis, quod canone prohibentur.*

Resp. Si iste hæreticus est publicè denunciatus, non est cum illo participandum, si autem participârit, non communicabit: nec peccabit: quia vi muneris sui iste Curatus (vt præsuppono) tenetur baptizare: & participatio, quæ est in dãnum animæ vel corporis alterius, non comprehenditur, vt prohibita à canone. Si enim talis Curatus nollet baptizare, posset vergi in damnum animæ baptizandi. Si verò iste hæreticus non est denunciatus, nec peccabit baptizans: quia Concil. Const. communiter receptum, non prohi-

prohibet aliam participationem, quàm publici denuntiati, & excomm. per publicam clerici percussionem Suarez *de censuris, disput. 17. sect. 2. n. 1. vide etiam c. 22. n. 67.*

43. QVÆST. *Quæ ætas requiratur in patrino?*

RESP. Cum per compaternitatem quis contrahat obligationem, credo obligandum debere esse in ætate, in qua, per intellectum sciat, quid agat: Ideò debere plenum vsum rationis habere, quod cùm communiter eueniat, cùm puer communicat rectè poterit dici, debere tenentem habere circa duodecimum annum, nam tunc admittitur ad communionem vniuersaliter. Similem vsum rationis requirit Rebel. de obligationibus in teste pro matrimonio: *vide cap. 10. num. 3.*

44. QVAEST. *An patrinus teneatur scire rudimenta Fidei?*

RESP. Vbi baptizando incumbit necessitas sciendi necessaria, & non habet alium qui doceat, tenetur scire, aliàs non, vt communiter inter Christianos euenit, vbi parentes docent ista filios Sot. *dist. 4. art. vlt. ad primum argument.*

45. QVÆST. *An Curatus peccet admittendo aliquos ex dictis*, nu. 27.

RESP. In primo casu peccare mortaliter, si hæreticus fuerit denuntiatus. *Omnes.* In 4. nullum peccatum, quia ita fit sciente, & tolerante Papa. In reliquis non credo esse vltra veniale ratione leuitatis materiæ.

46. Si verò non baptizatus teneret, Henriq. *de confir. li. 3. c. 3. num. 3. gloss. N.* tenet esse mortale, quia fit contra præceptum Ecclesiæ.

QVAEST.

47. QVAEST. *An Curatus peccet, si illi noluerint desistere à tenendo, etiam postquam fuerint admoniti, & ille nihilominus baptizet?*

RESP. Et credo peccare mortaliter, quoties etiam tenentes mortaliter peccet. Excusabitur verò à mortali, si non possit prohibere sine probabili suo periculo, quia Ecclesia non obligat ad sui obedientiam, cum tanto periculo.

48. QVAEST. *Quot patrini possint esse in singulo baptismo?*

RESP. Duo ad summum, mas vnus, alter fœmina. Concil. Triden. *sess. 24. ca. 2. de reform.* At omnino alieno tenētes possunt esse duo mares, vel duæ fœminæ. Rebell. *de obligat. in addit. l. 4. sect. n. 60. ex Decreto Congreg. Triden.* & compaternitas contrahitur, vt est dictum *n. 27. not. 4.*

Debent autem isti patrini designari per Conc. *ibi Recte designantur à parentibus, aut baptizandorum curam gerentibus.* An etiam possit designari à Curato? Non credo contra placitum parentum, vel puerum baptismo offerentium, ob defectum parentum, quia videtur prouisum a Concil. satisfactioni eorum.

Si nulli designentur, & plures tangant contrahit dictam compaternitatem, qui primo tetigerit, siue plures, siue nullus sit electus, Rebell. *ibi num. 95.* Quod si aliqui vltra designatos tangant, non cōtrahunt hanc affinitatem. Conc. *loco dicto.*

An Curatus peccet si secus factum fuerit sua culpa, vel negligentia?

RESP. Peccare, cum Concil. ibi habeat, *Parochus diligenter sciscitetur antequam ad baptismum conferendū accedat, quos elegerint, & si secus factum*

factum fuerit arbitrio Ordinarij puniatur. Non tamen credo peccare mortaliter, nisi quando ex ista non electione baptizatus patiatur, vt est dictum *num. 26.*

49. QVAEST. *An tenens domi puerum in necessitate baptizatum fiat compater?*

RESP. Sot. *c. dist. 4. ar. vltim. in fine, &* Nauarr. *cap. 22. numer. 40.* affirmare Suarez verò *tom. 3. quæst. 67. articulo 7.* distinguit, si quis teneat voluntariè, vt exercens quendam actum Ecclesiasticum, habet probabile, contrahere affinitatem: Si vero teneat solo animo adiuuandi, non concurrendi, vt ad actum Ecclesiasticum, vult non contrahere compaternitatem. Videtur valde probabilis sententia. Porrò si volueris tenere opinionem Soti, vide cum puer in necessitate baptizatur, qui propriè exerceat actum compaternitatis, vt statim dicetur, & illum nota in libro baptismi.

50. QVAEST. *Quo actu quis efficiatur compater?*

RESP. Cong. Conc. Trid. relatam à Rebell. vbi supra *numer. 95.* vti hoc verbo tangere, ideo tactu quis contrahit hanc compaternitatem. Sot. verò *dist. 42. qu. 11. artic. 2. pro. 2. conc. col. ante finem.* Sil. *bapt. 8. quæst. 7. not. 13.* vocant tentionem se tenere, declarantes esse, dum puer baptizatur, vel tenendo; vel de fonte leuando; non tamen volunt necesse esse carnem tangere. Suarez etiam loco dicto vocat tenere. Sed addit proprium illius actus esse, suscipere baptizatum de manu baptizantis. Idem tenet Sot. in substãtia. Et ideò fit compater, qui suscepit puerum de manibus baptizantis, cum illum de fonte

fonte exemit. Sic qui suscipit de manibus obstetricis puerum in catino, vel pelui baptizatum imo si adultus baptizetur, sufficit ei assistere quasi in propriam curam suscipiens. *Sot. ibi.*

51. Notandum tamen cum Suarez ibi, quod videtur valdè probabile, si quis suscipiat demanu baptizantis in baptismo priuato, vt est dict. numero superiori, non intelligens fieri compater, sed solum adiuuare, non contrahere, compaternitatem, & tunc neque erit necesse notare illum in libro, secus vero, si vere voluerit actu fieri patrinus.

An vero compaternitatem contrahat, qui baptismo solemni, etiam sine voluntate euadens patrinus teneat? dictum est supra contrahere *num. 33.*

52. Qvæst. *An qui teneat puerum domi baptizatum, dum in Ecclesia Sacramentalia perficiuntur, contrahat affinitatem?*

Resp. Sot. loco dicto affirmare non contrahere, etiam si ista fiant in Ecclesia, siue baptizet puer de industria, siue per errorem. Nauarr. tamen *c. 22. num. 40.* ait contrahi aliam cognitionem impedientem, sed non dirimentem. Rebel verò *loco dicto, num. 94. ex Congregat. Concil.* Nullam cognitionem contrahi, licet *l. 3. q. 18. de impedimento, numero vigesimo.* teneat contrarium contra *Specul.*

53. Cognatio autem, quæ contrahitur per baptismum restringitur per Concil. Triden. *sess. 24. cap. 2. de reformat. matr.* ad hos, vt sit inter patrinum, vel patrinos, & baptizatum, inter patrinos, ac patrem, & matrem baptizati, inter baptizantem,

tem, ac patrem, & matrem baptizati: ideò non contrahitur inter ipsos patrinos, nec inter patrinos, & baptizantem: multò minus contrahitur inter maritum, vel vxorem patrini, & baptizatum. Adest etiam de hac cognatione Bulla Pij V. quæ incipit. *Cum illius vicem*, quæ habetur ad *fin.* Concil. Triden.

54. QVÆST. *An patrinus teneatur respondere in baptismo?*

RESP. Silu. *matr. §. quæst. 7. not. 13.* Sot. *d. 4. art. vlt.* dicere esse bonum, si respondeat sed non necessarium. Et si patrinus respondeat in vulgari interrogationi factæ per Curatum in latino, non refert.

55. QVÆST. *An vnus, & idem homo possit esse patrinus plurium filiorum eiusdem viri?*

RESP. Posse, quia, & idem Curatus, qui contrahit similem compaternitatem, rectè baptizat plures filios eiusdem viri.

56. QVÆST. *An idem vir diuersorum hominum filios eadem de possit de fonte leuare?*

RESP. Posse, quia nullibi prohibitum. In confirmatione ab aliquibus Episcopis prohiberi solet: fortè; ne contrahantur tot compaternitates, & tenens obligetur multiplicatis impedimentis.

57. QVÆST. *An qui alius est affinis, puta consanguineus, vel cognatus possit leuare puerum cognati, & affinis?*

RESP. Posse, quia & Curatus potest baptizare filios fratris, & nullibi aliter sancitum est, excepto tamen solo patre, & matre, vt est dictum *numer. 27.*

58. QVÆST. *An baptismus paruuli sit valid... si patrinus qui pro eo respondet, vere decipiat, ... non habeat intentionem rectam respondendi, ... ex hoc velit baptismus paruuli euadere nullu... per talem intentionem?*

RESP. S. Thom. *3. part. qu. 64. art. 8. ad 2.* So... *distinct. 5. art. 10. dub. 1.* AZOR. *1. part. l. 8. c. 25. q.* ... Et omnes dicere requiri intentionem minist... & eam sufficere.

59. QVÆST. *An quando plures sint baptizan... possint fieri exorcismi in numero plurali, pro om... bus vnica actione, deinde singulos singillat... baptizare?*

RESP. Posse, quia non est de necessitate, ... disiunctum fiant.

60. QVÆST. *An exorcismi possunt fieri disiu... ctim à baptismo, puta per dies, aut horas ante, ... inde conferre baptismum?*

RESP. Sine causa non posse, quia sic præscr... buntur ab Ecclesia; cum causa verò credo pos... quia nullibi constat debere de necessitate con... nuare cum baptismo, & si semel facti, & inter... pti fuerint, non erit peccatum eos repetere, ... tellige cum causa. Et possunt exorcismi fieri ... vno, & baptismus conferri ab alio quia nihil ... contra essentiam Sacramenti; qui tamē hoc ag... ret absq; causa, credo peccaret, saltē venialiter.

61. QVÆST. *An Curatus habeat librū baptism...*

RESP. Habeat, quia ita Concil. Triden. *sess. 24. c. 2. de reform. matrim.* In quo describat nome... baptizati, nomina patris, & matris eiusdem, no... mina compatrum, & nomen suum. Ego ita no... to, si placet modus, eo vtere.

62. Die N. Mensis N. Anno N.
Paulus filius Petri de N. & Bertæ de N. eius vxoris, baptizatus est à me N. compatre, & commatre N.

63. Et si baptizatus domi, post verbum, baptizatus, addo nomen baptizantis, & reliqua Sacramẽtalia, perfecta sunt à me N. & si volueris tenere cum Soto, vt est dictum *num. 34.* addes leuantes N. Si verò placuerit sententia Suarez ibi relata, non opportebit addere nomen dicti leuantis.

Nec addendum est nomen tenentis ad exorcismos, quia vt est dictum *num. 36.* nulla contrahitur cognatio *per Congreg.* Concil. Trid.

64. Qvæst. *An Curatus peccet, & quomodo si non descripserit, vt est dictum?*

Resp. Et credo mortaliter peccare, quia vergit in magnum populi præiudicium. Præterea Constitutiones tui Episcopi videas, & scias ex Concilio ibi, *si Parechi culpa, & negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarij puniendum.*

65. Qvæst. *Quid agat Curatus cum obstetricibus?*

Resp. Videat an bene baptizare sciant, hoc est, an sciant, quæ materia apta, & quæ forma, quam expetit, quod vulgari idiomate proferant, quæ intentio, quæ coniunctio materiæ ad formam, quando baptizandum, id est, apparente manu, vel pede, vel cum dubitabatur, an infans viuat, in quo reperies deficientes. Et nescientes ista prohibeat quoad perfectè didicerint, & si noluerint obedire, admoneat Episcopum, qui necessario remedio præsto erit.

* Obligari autem ad sciendum ista, tenu
Nauarr. *cap. 21. num. 6.* quod Suarez vt enim se
quenti solum concedit, quando obstetrice ist
ignorante, non sit futurus alius præsens, qui e
sciat, & possit infantem rebaptizare.

66. Eodem modo prohibeat obstetrices, si sc
uerit, vel dubitauerit esse artis imperitas, quo
didicerint, quia per illarum imperitiam fieri po
test, vt infantes periclitentur, & sine baptism
moriantur. Et communiter Episcopi in Visit
tione vtrumque curant. Porrò prohibitio sit pr
bis lenis admonitio, & si non acquieuerint dict
Curatus rem ad Episcopum deferat, & iussa ex
quatur. Et deficiendo credo peccet mortalit
quia in re graui peccat, & ad ipsum spectat cu
animarum commissarum.

67. * Qvæst. *Quis de isto casu. In quibusd
locis, Curati post Baptismum præcipiunt, ne per a
num infans noctu teneatur in lecto, ne dormie
à tenente suffocetur: & hoc sub excommunicat
ne. Hinc quæritur. An hac excommunicat
afficiat?*

Resp. *Excommunicat. p. not. 2. cum Hostien.* t
nere, Curatum in notorijs, quæ non indigent i
quisitione vlla posse excommunicare. Suare
vero *tom. 5. disp. 17. sect. p. n. 3.* negat hoc gener
liter: concedit tamen posse, si Curatus habeat
le priuilegium, vel ei competat ex consuetud
ne, iuxta quæ talis excommunicat, afficiet, v
non afficiet. At vbi nec priuilegio, nec consu
tudine gaudeat Curatus, malè agit sub tali mo
do ista prohibere. Sufficeret notificare de per
culo, & monere ad occurrendum ei prudenti re
medi

medio. Sed & quidam loco instrumento ligneo vtuntur, in quo collocato puero, tuto possit eum ponere in lecto. Porrò si in Episcopatu alia fuerit prouisio, eam obserua.

A. VICTORELLI
Ad Capvt VI. Notæ.

DE necessaria, & apta Baptism. materia. Suarez *tomo 3. dist. 20. sect. 1.*

5. Baptizatus in necessitate aqua dubia, cum conditione baptizandus, si fieri possit, aqua non dubia, sub conditione, post necessitatem.

6. Ablutio, ex communi sententia est proxima Baptismi materia, quæ postulat physicum contactum aquæ ad corpus baptizati, vt ait Suarez, cum successiua quadam partium aquæ per partes corporis effusione.

8. Decretum Clementis VIII. Illustriss. & Reuerendiss. Marco Cornelio Patauij Episcopo, nonnullis ab hinc annis, transmissum puerum in vtero matris, in manu, vel pede emisso, baptizatum, sub conditionali forma, ab *Alex. 3.* præscripta, (*C. De quibus de baptismo, &c.*) si nascatur, baptizandum iterum docet. Et hæc erat communis sententia.

18. [*Secundo In nomine.*] Idem placuit Suarez *tom. 3. d. 21. sect. 4.* [*Sextò.*] Expositus infans, cum scheda testante, baptismo illum donatum fuisse, sub conditione baptizandus non est. Comitolus *lib. 1. qu. 1. Respond. mor. cum* Richard. *in 4. dist. 4. articul. 4.* nisi graues coniecturæ baptismum sub conditione suadeant. 22. Omitten-

dæ ſolemnitates, vt quam primum neceſſitati pueri opem feras Suarez *to.3.diſp 31.ſect.5.*

Sacerdos, præſente, & inuito proprio pueri Parocho, in neceſſitate baptizans graue ſcelus admittit, & laicus id faciens preſente Sacerdote Suar. *tom.3.diſt.31.ſect.4.* Si tamen Parochus, & Sacerdos id facere non recuſent.

Sacerdos baptiſmum in neceſſitate miniſtrans ſolemnitatibus vti non poteſt, quia non eſt miniſter ex officio. Suarez *l.c.intellige*, ſine licentia Parochi.

Obſtetrices ignorantes formam baptiſmi in culpa ſunt.

27. Primò. Vide Sanch. *de mat.l.7.d.60.*

Quartò. Vniuerſitas eſt ficta perſona, & ideò cognationis incapax. Quæſtio eſt, an ſinguli ea cõtrahant? ſi vera eſt, multis rationibus, & Doctorũ teſtimoniis cõfirmata ſententia, Thomæ Sanchez *l.7.d.59.de matrim.probata*; quæ tradit, non conſtituentem, ſed procuratorem cognationem contrahere; nullus ex ijs contrahet. Abbas, aduerſantem ſententiam amplexus, in *cap. veniens, n.5. de cognat. ſpir.* ſingulos contrahere cenſet. Declaratio congregationis Conc. Trid. recenſita ab auctore, hæc habet (apud Rebellum *l.4. in fine de obligat. Inſt. ſect.4.ca.2.*) [*Procurator non contrahit cognationem ſpiritualem ſibi, ſed mandati.*] Et paulò poſt.

Qui leuat, aut tenet, procuratorio nomine nullã contrahit ſpiritualem cognationem.] Hęc ſententia placet Sà *de impedim.dirim.n.5.* & merito.

28. Sanchez *d.61.l.c.n.4.* Puerum cuiuſcunque ætatis, qui vſu rationis ad lethalem culpã patrandam

dam sufficiēti præditus sit patrinū esse posse, ait.

Ex baptismo, sub conditione collato, cum constiterit, valuisse priorem baptismum, cognationem ortam non fuisse, exploratum est. Dum id non pateat, Ecclesia cognationem præsumet. Sanchez *d.62.l.cit.*

Baptizans in necessitate, etiam laicus, cognationem contrahit. Sanchez. *l.c.*

19 Patrini, sub p. m. tenentur sanam fidei doctrinam, & Christianos mores susceptos pueros docere: si id præceptores faciant, aut parentes, excusandi sunt Gregor. *de Val. t.d. 4.quæst.p.3.ex D.Thom.3.p.q.67.art.8.*

33. Si nulli omnes, tangentes, si nulli designantur, affines spirituales effici, tradit Nau. *c.22. nu. 39.* Philiar. *de off. sac. to.1.p.2.l.c.11.* Lopez *2.p. Inst. c.si* Pet. de Ledesma *de matr. q.53.a.3. Sà de imped. matr. & alij*: Sanchez, *hanc sententiam (l.7.d.57. n.2.de mat.) probabilem putat*: sed probabiliorē, quæ docet, neminem affinitatem contrahere: cum nulli designati sunt, & plures tangunt. Sic etiam Manuel. *p.1.c.226.* & Suar. *q.67.ar.8.*

Si plures duobus designentur, aut duo viri, vel duæ fœminæ, & omnes ignorans parochus admittat omnes contrahere cognationem, quidam putant: Sanchez verò, *li.ca.nu.14.* eum, qui prior puerum suscipit, vel ad summum, duos, virum, & fœminam, contrahere, censet; idem Suar. *l.c.* si plures designati puerum simul suscipiant, omnes, Sanchez; nullum, Suarez cognatum effici, tradit.

Si legitimè reiecti à Parocho, se ingerant, & suscipiant, non contrahunt affinitatem: Sanchez *num.18.l.c.*

34. In patrino requiritur intentio efficiendi quod patrini efficere solent, exercendi scilicet actum illum susceptoris, quem Ecclesia instituit & qui materialiter tantum susciperet, sine hac intentione, non fieret affinis, Sanchez *d. 18. n.*

Intendens Petri filium suscipere, si Lucij filium suscipiat, cum hoc, & cum eius parentibus affinitatem contrahere aiunt nonnulli; negat Sanchez *l. c. numero septimo.*

Qui per ignorantiam coniugis filium suscepit, à petitione debiti non repellitur, capite secundo de cognatione spir.

Filium baptizans in necessitate ius debitipetendi non amittit. *ca. ad limina. 30. quæstione tertiæsim. trigesim. septim. Resp. mor.*

Si quis filium suum ex concubina susceptum in necessitate baptizet, non potest illam sibi desponsare vxorem sine dispensatione: incestum autem admitteret, si illam impudicè agnosceret. Ledes. *de matr. quæstione quinquagesim. sext. art. 2. dub. 2. V.* Sanchez. *d. 62. nu. 11.*

44. Obstetrices tenentur scire Baptismi formam, & si ignorent, peccatum esse lethale, ait Nauarr. *cap. 22. num. 66. citato Palud.* & S. Anton. sententia certè pia est; & obstetrices monendæ sunt; vt sciant, vernacula lingua saltem, Baptismi formam proferre; at neque præcepto Ecclesiæ neque naturali iure iustitiæ, aut charitatis, ex vi officij spiritualem infantium nascentium, saltem curare, tenentur. Ad eas ex officio spectat dare operam, vt Infantes ex matrum vteris egrediantur incolumes. Ita Suarez *distinctione 31. sect. 5. tit. 5.*

Adul-

Adultum surdum, & mutum inter infideles sic natum, signis baptismum petentem, non esse baptizandum ni prodat signis, se in Deum credere, peccatorum dolore affectum intelligere. Baptismum diuinitus institutum esse pro salute animarum, censuit Lopez *p. 1. instructio. conſc. c. decimo tertio.*

CAPVT VII.

DE POENITENTIA ET PRIMO *Sanorum.*

SVMMARIVM.

1. *Vbi & quomodo audienda sit confessio.*
2. *An Cur. audiat confessiones suorum toties quoties petunt.*
3. *Quomodo se gerat cum eo qui accedit cum vanitatibus.*
4. *An Cur. omnes de Episcopatu audiat.*
5. *Licentia simplici Sacerdoti facta quantũ valeat.*
6. *An Cur. absoluere possit pœnit. alterius Episcopatus Vicini.*
7. *Curati duorum Episcopatuum vicinorum an possint se inuicem iuuare.*
8. *An Cur. sine peccato potest introducere consuetudinem absoluendi homines alterius Episcopatus.*
9. *An alienus pro deuotione possit confiteri in alieno Episcopatu.*
10. *Veniens ex loco nullius Diœcesis an possit audiri.*
11. *Quando Curat. possit alienum audire.*

12. Ratihabitio valida debet habere suas cõditiones
13. Casus absolutionum eiusdem in diuersis Episcopatibus.
14. Vagus, cui confiteatur.
15. An Cur. teneatur audire vagum.
16. Quomodo audiat, quem non intelligit.
17. Quid de eo, qui linguam ignorat.
18. Quid agendum cum surdo.
19. Quid agendum cum pueris, & rusticis idiotis.
20. Ratio excipiendi breuiter multas confessiones.
21. Praxis vtilis pro multis confessionibus in paschate.
22. An Curati vicini diuersorum Episcop. possint sibi inuicem audire.
23. An Cur. eiusdem Episcop. possint sibi inuicem audire.
24. Excommunicatus quomodo in confessione tractandus.
25. An audiens excom. participet in diuinis cum excom.
26. De eo qui non est paratus ad confess.
27. An, quando sine præparatione audienda confessio.
28. An interrogationes sint fiendæ.
29. Interrogationum modus.
30. Confessio rudis non integra quomodo repetenda.
31. De numero peccatorum impossibili.
32. An calculandus sit num. pecc.
33. De repetenda confessione ob aliquod peccatum.
34. Casus de confessione non integra.
35. De ignorantia in confessione.
36. An in iubileo absoluatur à censura per confessionem inualidam.
37. An credendum confitenti pro se, & contra se.
38. An credendum remisso pro absolut.

39 Votum oblitum commutari in Iubileo, an postea possit commutari.
40 An laicus peritus possit votum commutare.
41 An semper sit docendus peccator de veritate.
42 Quomodo respondendum interrogationi pœnitentis.
43 Pueri quomodo absoluendi.
44 Quando pueri habeant vsum rationis.
45 Puer dubius de vsu rationis quomodo in morte absoluendus.
46 Quo tempore pueri confessiones faciant.
47 Puer quando eliciat actũ charitatis erga Deũ.
48 An confessio dimidianda, & quomodo.
49 An Cur. ex multis pœnitentibus anteponat aliquos.
50 Quid faciat Cur. cũ obruatur numero confitentium.
51 Quid aget Cur. cum minante grauia.
52 Quid aget in casu difficili.
53 An pro fugiendo scandalo sit absoluendus qui non potest absolui.
54 Quomodo absoluẽdus excõmunicatus occultus.
55 An Curat. absoluat sub spe ratihabitionis.
56 Quis peccator non subditur Cur.
57 Quando ab excom. & casibus reseruatis poterit quis absolui.
58 De numero peccatorum impossibili.
59 Si censuratus nequiens adire Papam, aut Episcopum possit à Curato absolui.
60 An Curat. possit suos vbique absoluere.
61 Cura. quomodo audiat suos extra Episcopatum proprium.
62 Quot, & qui sint casus reseruati.
63 Quomodo se gerat Cura. in casibus reseruatis.

64. Quomodo absoluatur habens casus Episcopales.
65. An Cur. possit absoluere ab excom. iuris non reseruata.
66. Simplex Sacerdos an possit ab excom. minori absoluere.
67. Quid aget, cum dubitat, an peccata sint mortalia, necne.
68. Quid agendum cum pœnitente contrariæ opinionis.
69. Quomodo habet opiniones diuersas in casu.
70. Quomodo assecurabit se vt sui confiteantur, & communicent.
71. De schedulis ratio.
72. Quot testes probent confessum, vel communicatum.
73. Quomodo agendum cum iis qui in paschate non sunt communicati.
74. An teneatur absoluere auditum.
75. Curatus rigidus, & scrupulosus an peccet.
76. Quando absoluere non debet.
77. An sit absoluendus qui pœnit. nolit.
78. An Curatus sub mortali teneatur imponere pœnitentiam.
79. Quid aget Cur. cum non potest absolu.
80. An confessio informis satisfaciat præcepto Eccles.
81. Quid contra non confitentes, & communicantes in paschate.
82. Curatus det opem extremã petenti in cõfessione.
83. Confessor non iubens restitutionem.
84. Errans bona fide.
85. Curatus errans absoluendo, quem non potest soluere.

86. Qui

86. Quid aget si cogetur reuelare confessionem.
87. Quomodo reuelanda confessio.
88. An Cur. vnquam petat licentiam reuelandi confessionem.
89. Pœnitentia sanorum qua, & qualis esse debet.
90. Pœnitentia voluntaria.
91. An possit imponi pœnit. publica.
92. An possit dari grauis pœnit. sine obligat. eam implendi.
93. An sit peccatum omittere ea, quæ sequuntur formam substantialem.
94. A quibus absoluendum in morte.
95. Absolutus à censuris in morte an sit sepeliendus in sacro.
96. An inferior in morte præsentet superiorem.
97. Præsentare se quam primum, quomodo intelligendum.
98. Quomodo credendum ei qui iussa non perficit.
99. Articulus mortis quis.
100. Periculum mortis quomodo.
101. Quomodo audienda infirmi confessio.
102. Infirmus imparatus an audiatur.
103. Peste infectus quomodo audiendus.
104. Parturientes, & vulnerati quomodo audiẽdi.
105. Moriens nollens confiteri.
106. Si quis nollet dare pacem.
107. In dubio de restit. quid agendum.
108. Sollicitatus Sacerdos à mala fœmina.
109. De tollendis prolixis confessionibus.
110. Infirmus sine loquela an absolu.
111. De eo qui nolit in confess. respondere.
112. An sit necessarium in morte vidisse signum pœnit.

113. *Quid agendum cum eo cui non possunt imponi quæ sunt imponenda.*
114. *Quomodo absoluendus, qui tunc móritur.*
115. *De eo qui non potest facere confess. integram.*
116. *Quid cum eo, qui non meminit speciei peccati.*
117. *Et qui dubitat fecerit necne pec. mor.*
118. *Quomodo absoluatur qui est in statu mortalis peccati.*
119. *Circa concubinar. quid agendum.*
120. *Pœnitentia meretricum.*
121. *Vsurarius pub. an absoluatur in morte.*
122. *Vsur. occultus quomodo absol.*
123. *De eo qui est in occasione peccati.*
124. *Qui semel eluſit Curatum, an iterum possit absolui.*
125. *Vbi, & quomodo infirmi audiendi sint.*
126. *In quo habitu conf. domi audiat confessiones.*
127. *Parochus quomodo curabit suos confiteri.*
128. *Quæ pœnitentia sit moribundis imponenda.*
129. *An Cur. possit ipse implere pœnit. pro infirmo.*
130. *Cur. an possit recipere pecuniam.*
131. *Pœnitentia an possit mutari ab altero confess.*
132. *Practica pro commutanda pœnit.*
133. *Quomodo commutanda sit pœn.*
134. *Distantia temporis pro commutatione pœnit.*

1. MVLTI casus difficiles dantur in pœnitentia sanorum, qui tamen, vt plurimum, dilationem cum patiantur, poterunt consultis Doctoribus definiri.

QVÆST. *Vbi, & quomodo Curatus audiat confessiones?*

RESP. Locũ esse Ecclesiã pro sanis, & cõfessionale extra illud audire fœminas nõ est decẽs; Si tamen

men necessitas vrgeat, puta quia sunt surdæ, non aspiciendæ, & standum in maiori distantia possibili, salua confessione, id est, dummodo benè audiantur.

Modus verò est ordinarius loci, vbi degis. In quibusdam locis audiuntur cum superpilliceo, & stola. Tu consuetudinem loci obserua. Certè rationabile non iudico confessiones audire in Ecclesia sine veste talari ad minus, etiam si ibi non obseruetur.

Præterea potest contingere aliquem magnum peccatorẽ accedere pro confessione tempore, & loco non opportuno, tu amplectere, & audi, etiam si fueris in itinere, vel vbi libet, quia vbicumque fueris, eris in loco dominationis Dei, & apto pro peccatoris salute procuranda. Si placet consilium, occasiones iuuandi peccatorem, & diligenter quæras, & oblatas auidè excipias, & pro posse non sinas cassas ire, sed cum honore Dei, & proximi beneuolentia exequere. Numquam tamen ad Altare reconcilies per causam. *cap. 8. nu. 1.*

2. QVÆST. *An Curatus teneatur audire confessiones suorum, toties quoties hoc expetiuerint.* Vide *c. 5 num. 7.* Quos verò repellat à confessione, *vide c. 5 nu. 12.*

3. QVÆST. *An Curatus repellat accedentem ad confessionem cum vanitatibus in ornatu?*

RESP. & distinguo. Si ornatus est secundum morem patriæ, licet magnam vanitatem sapiat, non repellat, quia talis ornatus de se non est mortalis, ideo non necessario repellendus Si lu. *ornatus. q. 7.*

Sive-

Si verò ornatus est præter communem morem patriæ, & lasciuiæ, vel peccati signum, puta portare in brachio capillos mulieris intextos, aut similia repellat, quia talis est in statu complacentiæ mortalis: Si sunt mera signa vanitatis, vt communiter est in cincinnis, chiuffis, & similibus, potest, si velit, non repellere, quia non sunt plusquam vanitates, & suo genere veniales: Si tamen inter confitendum accusent se in istis esse complacentiam mortalem, puta portare cincinnum in memoriam vindictæ, aut aliud simile, non sunt absoluendi, quia sunt in voluntate mortali. Quare si viderit ligulas in thorace extra locum necessarium, alia signa in pileo vngues longas, & similia, inquirat de singulis, quam ob causam ferantur, & iuxta dicta det, vel neget absolutionem.

Praxis. Omnes admittat, sed non absoluat habentem dicta cum mortali, nisi saltem proponat ea dimittere, & si alias ijsdem promissis non steterit dictis, non absoluat, nisi prius dimissis. Alios verò ea habentes ex vanitate mera exhortetur ad ea deponenda, quos tamen absoluet etiam si nolint deponere. Et casu, quo deponat ea in manibus Curati, retineat ille signa sola, ornamenta verò, quæ solent habere, vt aurum, gemmas, & similia reddat, ne videatur in Sacramento mercaturam exercere. Et si omnis illa vanitas est in auro, & gemmis obtineat à pœnitente illius fractionem, aut saltem figuræ destructionem, & sic immutata reddat. Et si ille nolit destrui, si verè promittat se depositurum, reddat, & absoluat. Si verò pœnitens accedat cum armis, hortetur ea

depone-

deponere, dum confessionem absoluit, ob decentiam, & honorem Sacramenti.

4. QVÆST. *An Curatus possit audire confessiones omnium, qui sunt de eodem Episcopatu?*

RESP. Si non habet illam auctoritatem, quam eam, quam consequitur cum Cura, non potest absoluere, nisi omnes homines suæ Curæ, quia quæ Sil. *Archipresb. q. 4.* & Armil. *Archipresb. §. vlt.* docent de Archipresbytero rurali, intelligenda sunt etiam de omni Curato Ciuitatis. Archipresbyter verò Ciuitatis potest omnes de Ciuitate audire. Nomine verò Archipresbyteri Ciuitatis, intelligo solum Archipresbyterum Cathedralis, quia alij Archipresbyteri Ciuitatis non habent istam facultatem.

5. Dices si Episcopus facit facultatem audiendi confessiones simplici Sacerdoti, intelligitur absque limitatione facta pro toto Episcopatu, vt notat Henriq. de pœnit. *l. c. 6. nu. 3.* quare ergo maior erit ista, ea quam Curatus accipit cum cura?

RESP. Quia Curati est ordinaria, & talis conceditur ei à iure, facultas verò, quæ conceditur simplici Sacerdoti est delegata, quæ potest esse tanta, quantum velit dare ille, qui delegat. Verum est tamen, quod si qui Curatam adipiscitur, antea auctoritatem delegatam habuerit, accedente cura habuerit, ordinariam: & delegatam quoad fuerit reuocata.

6. QVAEST. *An Curatus vnius Episcopatus possit absoluere homines alterius Episcopatus, & alterius cura vicina?*

RESP. Azor. 1. *par. li. 5. c. 19. versu.* Nulla consuetu-

suetudo, Posse, si id fiat ex consuetudine scita, & approbata ab Episcopis, & Parochis. Imo secundum Candelabr. Aureum, de confessione *nu.* 19. & 21.

Poterit Curatus absoluere omnes, vndecunque venientes, quando habuerint facultatem eligendi confessarium approbatum, quia tunc, & Curatus ipse potest eligi. Poterit etiam Curatus absoluere Clericum, licet non subditum, sed eiusdem Episcopatus, & hoc ex consuetudine. Silu. *confessor.* 1. *q.* 15. Sot. *d.* 18. *qu.* 4. *art.* 2. *col.* Henriq. *de pœnit. li.* 3. *c.* 8. *n.* 2. & *clarissimè* Con. Trid. *sess.* 23 *ca.* 15. *de reform.* Candelabr. *de Confessione, nu.* 22.

7. * Et Curati in confinio duorum Episcopatuum poterunt sibi inuicem iuuare in administratione Sacramentorum, scientibus, & tacentibus Episcopis, aliàs non. Suarez *to.* 4. *disput.* 2. *sect.* 4. *nu* 19.

8. QVÆST. *An Curatus sine peccato possit inducere talem consuetudinem absoluendi hominis alterius Episcopatus?*

RESP.* Notandum cum Suarez *to.* 4. *disp.* 27. *sect.* 3. *nu.* 3. & 4. sola consuetudine non posse præscribi ius: sed debere accedere consensum prælati: alioquin confessiones, quæ fierent ante talem consensum essent nullæ: cum iurisdictio in tali foro sit iuris diuini, & contra tale ius consuetudo non possit induci; & per consequens tales confessiones carerent sua iurisdictione.

9. QVAEST. *Quid si quis veniat ex alieno Oppido, & Episcopatu ad Ecclesiam alterius Episcopatus in die solennitatis ibi festiuæ, & compunctus velit*

ibi

ibi confiteri, & communicare? vel veniat, nesciens an in alieno Episcopatu possit absolui, illuc tamen vadit vt confiteatur, & communicet, an Curatus talis Ecclesiæ possit eum absoluere?

Resp. Si ex proposito accedit, vt confiteatur solum, credo non esse absoluendum, quia Curatus non habet auctoritatem, nisi super suos, qualis non est hic: Si verò, cum iam nouit, conteritur, & vult communicare, poterit audiri, quia iste habet rationem peregrini, & peregrinus accepit Sacramenta vbi se inuenit, & ista est vniuersalis praxis, ne quis cogatur fructum suæ deuotionis amittere. Idem credo de illo, qui illuc vadit, nesciens, an ibi possit absolui, dummodo ibi velit communicare, quia si iret pro sola confessione, licet ignoraret id ei licitum, non absoluerem ob defectum auctoritatis, nulla alia causa iustificante actionem. Pro parte affirmante deducitur ex Sil. *conf. 3. ante primam quæst.* Vbi vult in Paschate, & quando communio ex deuotione lumenda est, absolutionem licere. Quod verò non possit absolui, qui illuc vadit pro sola absolutione, affirmat Sil. *confess. 1. q. 6. not. 8.* Posset tamen absolui, & tunc primo sub spe ratihabitionis, & secundo quando Episcopi, & Curati non contradicunt, vt potest euenire in confinio duorum Episcopatuum. Dummodo tamen iste non vadat illuc, vt euadat iudicium proprij pastoris. Sil. *confess. 1. q. 10. opin. 3.*

10. Qvæst. *Quid si iste veniens de alieno Episcopatu, & Parochia veniat etiam è loco nullius diœcesis, in quo non adsit, qui possit eum audire?*

Resp. Si iste sic veniens solet ex consuetudine,

scita,

ſcita, & probata ab Epiſcopo, & Curatis, poter
eius confeſſio excipi, iuxta dicta *nu.* 5.

Si verò non adſit iſta conſuetudo, an hic confeſſ
rium quærens teneatur ire, vel ad viciniorem
cum, in quo confeſſor exiſtat, vel quo ibit?

Resp. Certum eſſe hunc non poſſe ſibi confe
ſorem eligere, quia non eſt perſona priuileg
ta, vt notat Silue. *confeſſor.* 1. *q.* 8. *not.* 1. Credo t
men, cum hic iſti, nec illi ſubdatur quod poſ
ire ad quemcunque voluerit, & eo ipſo, quod
lo acceſſerit, poſsit ibi abſolui, vt concedunt co
nes de peregrinis, & viatoribus, quibus iſte vi
tur æquandus. Silu. *confeſſor.* 1. *quæſtione* 10. To
inſtr. libr. 3 *capit.* 13. *numer.* 11. *not.* 3. Ego ſic pr
cticarem. Si venit iſte vt celebret, vel comm
nicet, dum commodè non poteſt, venit ad ſuu
Eccleſiam, ne cogatur defectu miniſtri care
fructu Sacramentorum, dummodo non tent
vt euadat iudicium proprij paſtoris, audirem, &
communicarem. Si verò venit, vt ſolùm con
teatur, mitterem eum ad monaſterium regul
rium vicinius, quia regulares poſſunt omnes ad
ſe venientes audire: Si non adeſſet monaſteri
um, & locus ad quem venit eſt vicinior, audirem
ſub ſpe ratihabitionis, quæ certè videtur valdè
rationabilis, & omnia hoc modo ſaluantur. Vid
infra *nu.* 10.

11. Qvæst. *Quando Curatus poſſit alienum*
audire?

Resp. Doctores varios caſus ponere, per quos
pœnitens poteſt confiteri non proprio Sacerdo
ti, & Silu. *Confeſſor.* 1. *quæſtio.* 6. *ponit* 8. *Primus e*
propter proprij Sacerdotis indiſcretionem, igna-

uiam,

uiam, vel malitiam. *Secundus*, quando pœnitens domicilium mutauit. *Tertius*, quando quis est vagabundus. *Quartus*, quando quis quærit domicilium, vt peregrinus. *Quintus*, ratione delicti commissi in aliena parochia habentis annexam excommunicationem, qua ille sit publicè excommunicatus, & tunc non ratione delicti, sed ratione excommunicationis. *Sextus*, qui sæpè mutant domos vt scholares. *Septimus*, ratione necessitatis, vt quia est in articulo mortis. *Octauus*, sub spe ratihabitionis legitimæ. Tolet. verò *instit. lib. 3. ca. 13. nu. 11.* affert sex casus. *Primus est*, quando Curatus dedit licentiam, de hoc vide *cap. 12. Secundus est*, cùm quis habet facultatem à Papa eligendi confessorem. *Tertius*, cùm pœnitens est vagabundus, idem est de peregrino viatore, & scholari, qui confitentur Sacerdoti in cuius iurisdictione sunt, tempore suscipiendi sacramenta. *Quartus*, cum quis confitetur regulari. *Quintus*, cum proprius Sacerdos est malus, vt in primo casu Silu. *Sextus*, casus est articulus mortis. Sot. verò *d. 18. qu. 4. art. 2. ad q. 4. argu. ex S. Tho. affert quinque casus. Primus est*, si est vagabundus. *Secundus*, si mutauit domicilium. *Tertius*, si offendit in aliena parochia. *Quartus*, propter malitiam proprij Sacerdotis. *Quintus*, est in articulo mortis. Sed videntur omnes isti casus posse reduci ad quatuor.

Primus est propter licentiam Papæ, vel Curati: ad hunc reducitur primus, secundus, & quartus, Tol.

Secundus est propter ratihabitionem, ad hunc reducitur primus, quintus, & octauus, Sil. & *quartus* Soti.

Tertius

Tertius est ratione necessitatis, ad hunc red citur septimus Silue. sextus Tol. & quintus So

Quartus, ratione subiectionis, ad hunc red citur secundus, tertius, quartus, quintus, & se tus Sil. tertius, Tol. primus, secũdus, & tertius So

12. Notandum autem, vt ratihabitio sit valid deberehabere has conditiones, quòd sit de pr senti, id est, quòd proprius Sacerdos nunc co tentatus, hoc autem fit per coniecturas ration biles : & quòd sit aliqua necessitas absoluen quando certioris iurisdictionis non sit copi Colligitur ex Sil. *confess. 1. q. 6. not.* 8. clarè Sum *disp. 26. de pœnit. sect. 2. num. 13. & seq. & sect. 6.*

13. * *Quæritur quid de isto casu, pœnitens, cui Curatus habet facultatem absoluendi à casib reseruatis, confitetur in alieno Episcopatu. v. g. Monasterio regulari, & confessarius dum absol ab alijs: pro reseruatis verò transmittit ad propr um Curatum.*

QVAEST. *An tunc talis Curatus possit absolu re istum à reseruatis; tum confessio facta sit in su Episcopatu; & absolutio à reseruatis danda sit in alio?*

RESP. Et credo posse: quia talis Curatus vere habet facultatem absoluendi, & pœnitens ille non est exceptus; & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Si verò confessor sit alterius Episcopatus, & non regularis : putà alius Curatus (nam & Curatum posse facultatem alteri Curato, etiam alterius Episcopatus facere, vt suorum confessiones recipiat, est dictum *nu.* 5.) etiam credo posse proprium Curatum absoluere à casibus reseruatis hunc pœnitentem

propter

propter eandem rationem. Si tamen in Episcopatu istius regularis, siue istius Curati alterius Episcopatus casus ille ibi non sit reseruatus; sit tamen reseruatus in Episcopatu proprij Curati; tunc ille regularis, seu Curatus absoluens debet ab omnibus absoluere: alioquin confessio esset manca.

14. QVAEST. *An omnis Curatus possit audire confessionem vagi?*

RESP. Caiet. *absol. cap.* 2. Armil. *absol.* §. 7. Henriq. *de pœniten. lib.* 3. *c.* 8. *num.* 5. dicere istos posse confiteri omni exposito. Silues. *verò confessor.* 1. *qu.* 10. Sot. *d.* 18. *quæst.* 4. *art.* 2. Tol. *inst. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 12. dicunt confiteri debere Parocho illi, in cuius parochia, vel reperitur tempore perceptionis Sacramenti. Adde tamen cum Silu. ibi, dummodo non vagetur, vt euadat iudicium proprij Parochi.

15. QVÆST. *An Curatus teneatur sub peccato audire hos, eo modo quo suos?*

RESP. Affirmatiue, vt est dictum. *ca.* 5. *nu.* 7.

16. QVÆST. *Quid aget Curatus si debet confessionem recipere eius, cuius idioma non intelligit?*

RESP. Mittat ad intelligentem.

Quod si ibi nullus sit qui melius intelligat? Absoluat, licet non benè, sed solùm aliqualiter eum intelligat, dummodo non speretur venturus opportunè aliquem eum intellecturus, Addit Lopez *in instructorio* 1. *p. cap.* 27. absoluendum, licet aliqua peccata intelligantur, aliqua verò non, & dummodo videatur dolor, & propositum emendæ. Henr. verò *li.* 2. *de pœnit. c.* 12. *num.* 3. concedit hoc solum tempore præcepti. At Medi-

dina citat. à Lopez concedit tempore morti
Lopez autem concedit omni tempore, quand
non adest, nec speratur commoditas alteriu
qui possit eum melius intelligere.

17. Dubium posset esse. *Si talis ignotæ lingu
nullum omnino peccatum possit dicere, ita vt intel
ligatur; sed per nutus, & signa ostendit magnu
contritionem, an tunc sit absoluendus?*

Resp. In morte esse clarum, per valdè probi
bilem opinionem recentiorum. Extra mortem
verò, si non adest, nec speratur venturus perito
illum intelligens, credo posse absolui non so
lum tempore præcepti quod habeo indubita
tum, quia hic facit quidquid potest, & non vide
tur rationabile eum frustrare fructu, saltem vbi
riori, si non necessario, Sacramenti; Sed vixe
casus possibilis, cùm possit saltem aliqua per nu
tus, & signa explicare, & tunc omnis ratio dubi
tationis cessaret, quia & mutus, qui non valet
exactius confiteri, potest stante tali modo absol
ui. Et si Curatus, postquam multum diuexatus
est pro intelligendo isto; nihil omnino percipit,
credo rationabiliter posse desistere, cum, quem
semel non intellexit, non sit credibile intelle
cturum, sed tunc vtatur signis, & nutibus, & so
lerter quidquid potest efficiat.

18. Qvæst. *Quid agendum cum surdo?*

Resp. Caueat Curatus, ne ab alijs audiatur.
Excipiat illius cõfessionem in remotiori, & hunc
non interroget, nisi de puris necessarijs in mor
talibus, & euitet fatigationem suam, & Surdi. Si
nouit scribere, bonum erit scribat peccata. Ve
nialia generali collatione faciat confiteri.

19. Qvæst.

19. QVÆST. *Quomodo agendum cum pueris, & rusticis idiotis?*

RESP. Nos loqui in Paschate quando communiter gregatim ad confessionem accedunt.

20. Nota igitur bonam Praxim, vt valeas bene citò expedire multos. Aduoca omnes simul, & instrue eos de modo recolendi peccata per ordinem præceptorum, & de communioribus peccatis per singula præcepta. Posteà doce eos respondere præcisè, ita, vel non. Si hoc non posse præ angustia temporis habeas virum idoneum, qui ista præstet. Si isto cares, assume socium prædicatoris, qui communiter tunc temporis est in villis, & castellis, & per eum facias ista exequi, & intelliges, quantum hoc conducat ad facilem, & bonam expeditionem multorum. Per hunc met poteris catechizare rudiores nescientes rudimenta Fidei, alioquin Curatus ipse tenetur in confessione breuiter ista docere. Tol. *inst. lib. 3. ca. 17. num. vltimo, & communis.* In cæteris etiam pœnitentibus, quando sunt tibi noti, & vrgeris penuria temporis, admonere spondeant, ita, vel non, resecatis reliquis superfluis, quia ita studetur benè breuitati. In hoc tamen Curat. non sit asper, si adueniat pœnitens, qui multis sua peccata confiteatur, quasi non aliter valens, confiteri.

21. Charitas enim patiens est. Poteris præterea (loquimur de villis & Castellis, vbi tota die incolæ degunt in agris, & premuntur paupertate, ita vt, si velint in die confiteri, amittent mercedem vnius diei, vel premuntur magna temporis angustia ad perficiendos suos labores) horta-

ri, vt per multos dies ante Pascha in foro acc
dant ad Ecclesiam, & per omnes illos dies vsq
ad secundam, vel tertiam horam noctis, ist
rum confessiones excipere, & ita fiet, vt siue
lorum damno recte omnes confiteantur, & n
differant omnes confessionem in Sabbatu
sanctum Poterit etiam Curatus maximè
loco sit solus, agere cum regularibus, si forte
monasterium habeant, aduocatis Confess
bus, per modum petentis auxilium ad suor
salutem hortando, vt conueniant cum eo c
talia & talia peccata, puta magis in loco vrg
tia, adhibentes cautiorem diligentiam, vt ex
minentur. Idem etiam erit, è re cum alijs c
fessoribus secularibus. Et sic fiet, vt in via Do
ni, totus populus sit tanquam vnius labij. Et C
ratus, qui verè sapiet, beneuolentia prosequ
regulares monasterij degentes in sua paroch
intellige semper extra Ciuitates tantùm abe
vt simultatem exerceat, possunt enim mult
sibi, & suis in vtroq; homine prodesse, & obes

De confessione puerorum vide infrà *nu.* 33.

22. QVAEST. *An Curati diuersorum Episcopatuum vicinorum possint se inuicem in confessione audire?*

RESP. Posse, consuetudine ab Episcopis scita & tolerata vigente. Azor. *Instit. 1. p. l. 5. c. 19.* vers. nulla consuetudo.

23. QVAEST. *An Curatus vnius Episcopatus possit confiteri alteri Curato eiusdem Episcopatus*

RESP. Posse, Silu. *confess. 1. q. 15.* Caiet. *absol. 2.* Sot. *dist. 18. q. 4. a. 2. colum. 8.*

DE

DE POENITENTIA IN ACTV Confessionis.

24 QVAEST. *Quid aget Curatus si veniat excommunicatus pro confessione?*

RESP. Si potest eum ab excommunicatione absoluere, audiat prius totam confessionem, deinde prius absoluat ab excommunicatione, postea à peccatis.

25. * Nec angatur scrupulis hoc esse participare in diuinis cum excommunicato; quia licitum pro salute excommunicati. Silu. *excomm sciendum 4.* & Absolut. *3. dub. 1.* Tol. *inst. l. 3. c. 17. n. 1.* & *c. 12. n. 3.*

26. QVAEST. *Quid aget Curatus, cum pro confessione excipit eum, qui non est præparatus, & est sanus?*

RESP. De ista præparatione multos multa dicere, Silu. *conf. 1. q. 3. not. 1.* ait requiri tantam præparationem, quantam quis apponeret in re ardua, & quæ esset ei multum cordi, Sot. verò *dist. 18. q. 2. a. 4. in fine.* Nauar. *c. 9. n. 13.* volunt requiri quantam bonus vir iudicabit sufficientem, maiorem tamen in negotiante, etiam in illo, qui non pollet tam bona memoria; item in eo, qui à multo tempore confessionem non fecit. Et talis diligentia sufficiet, licet peccator probabiliter credat, quod si maiorem feciſſe, alia peccata memoriæ occurrerent. Tolet. *inst. li. 3. cap. 9. nu. 1.* vult istam diligentiam intelligendã moraliter, id est, quod vel Curatus, vel etiam

pœnitens cognoscat, vel credat sine fraude fec
se diligentem. Sot. *etiam loco dicto.*

At ista non videntur vera, nisi in viro alias b
næ conscientiæ, non in rustico rudi, vel in ma
conscientæ homine; Ideo hos Curatus postqu
dixerint se benè præparatos interrogabit ,
modo, & qualitate præparationis, & pro prude
tia sua iudicabit, an sufficiens nec ne fuerit pr
paratio. Igitur ad quæstiones dic. Si pœnite
sub dictis regulis se præparauerit audiendus,
minus dimittat eum ad horam, aut aliquos di
pro ratione pœnitentis, vt se præparet, sic
pœnitens acceptet; si nollit adiuuet eum inte
rogationibus, & lucretur animam fratris. Lop
tamen instit. *1 pa. ca.* 28. ait, quod examina
de domo ad Ecclesiam non sufficit, & quod a
diendus non est, qui imparatus accedit, etiam
interrogationibus adiuuetur, licet ibi loquat
de puella. Tamen credo rectè dicendum, se
tentiam Lopez veram in mercatore, aut alios
sus difficiles habente, aut debente facere confe
sionem longam, & peccatis plenam. Item ne
do, quòd Curatus poterit admittere fæminas,
alias personas suæ curæ, quarum conscientia
quasi nouit, & eas interrogationibus adiuuare.
Idem credo in personis maculatæ conscientiæ,
si verè videantur ad Deum reuerti, vel quod, si
tunc non audiantur, nec postea pro confessione
reuersuras. Peccator est enim alliciendus quan
tum fieri potest. Accedentem ad confessionem,
& non ostendentem præparationem nec contri
tionē, puta, quia nō accedit ridendo dicens exco
ries, vel pectas me, aut similia, non audiat , sed
mittat

mittat ad præparandum, docendo illum in quo deficiat, maximè si sit rusticus.

37. QVÆST. *An casu, quo Curatus habeat pœnitentem impræparatum, & si non auditum dimittat generetur scandalum, puta quia est fœmina, & ita in malam suspicionem veniat, an Curatus teneatur eam absoluere, audita eius confessione, & interrogationibus adiutam, vt est dictum?*

RESP. Lopez ibi affirmare licere talem audire. Igitur, si non audierit, non malè aget. Nec dicetur Curatus scandalum præbere, non audiendo: nam pœnitens sibi imputet, qui imparatus accessit, & rectè omne scandalum tolletur, si pœnitens ipse dicat, se non absolutum eo quod non præparauerat, se, & hoc infamiam non causat.

28. QVAEST. *An Curatus teneatur interrogationes facere?*

RESP. Negatiuè, excepto, quando viderit pœnitentem in explicatione peccatorum deficere. Silu. *conf. 3. qu. 14.* Nau. *c. 10. n. 7. not. 9.* Sot. *dist. 18. quæst. 2. d. 4. & communis.*

Quod si statim à principio confessionis pœnitens dicat, interroga? Expellat si velit, si mauult audire, faciat iuxta dicta numero superiori.

Porrò interrogationes communiter sunt faciendæ in infirmo, in puero, citra suam culpam, non habente tempus ad plenam discussionem faciendam, & in habente debilem vsum rationis. Omnes. Interrogationes non fiant de omni casu possibili, sed de verisimilibus statui pœnitentis. Sed nota, quod facilius, & expeditus excipiuntur confessiones interrogando pœnitentem, quam expectando sponte dicat, & sic poteris practica-

re , quando multis confessionibus vrgeris vti Paschate, & Iubileo, maximè si pœnitens tibi notus. De commodo sequente ex spontanea peccatorum recitatione, videlicet, quod Confessi inde dignoscet, ad quæ magis pœnitens decline vt habent multi Doctores, credo tutè posse affirmari, non priuari confessarium dicto commodo cum & prudens confessarius, ex confessione p interrogationes valeat benè pœnitentis inclinationem dignoscere.

30. QVAEST. *Quid aget Curatus cum rustic qui alias non est integrè confessus, vel quoad numerum, vel quia malè se præparauerat?*

RESP. Nauar. *in consil. de pœn. & remiss. consil.* 4. videri velle , quod si talis rusticus bona fide modo dicto sit confessus , & perseuerat in bona fide, non esse necesse eum de hoc interrogare sed si ipse hoc in confessione dicat , vel interroget, an & quid debuisset facere etiamsi non sit cogendus ad repetendas ante actas confessiones ea ex parte, qua benè fecerit, tamen est obligandus ad supplendos eos defectus, quos in illis cõmisit, puta ad dicendum verisimilem numerum peccatorum, quem omisit in illis confessionibus Idem videtur tenere cum Medina Lopez *in instruc. 1. par. cap. 28.*

31. QVAEST. *Quid si rusticus, aut consuetudinarius nesciat numerum peccatorum nec verum, nec verisimilem; quomodo integrè confitebitur?*

RESP. Sufficere dicant hoc sæpe feci, vel quasi quotidiè, vel omni hebdomada, vel quoties fui iratus, quod sæpissimè fui; nam quidquid aliud dicent, erit diuinare, non verisimilia confiteri Henriq. *de pœn. l. 2. c. 5. n. 9.* Scito

32. Scito tamen, quod si tales induxeris ad calculandum numerum peccatorum, puta toties potui peccasse ex illa consuetudine mala, iuuabit illorum contritionem, dum ex numero intelligent quantitatem peccatorum.

33. Quod si pœnitens dicat, peccaui toties in hebdomada, an Curatus teneatur calculare numerum peccatorum? verbi gratia; iste peccauit ter in hebdomada, annus habet tot hebdomadas, ergo toties peccauit? Credo, quod non, alias esset necesse Curatum esse bonum arithmeticum, & vti carta, & calamo.

34. QVAEST. *An qui semel confessus volens relinquere mortale, postea verò de hoc oblitus confitetur alia omnia, si demũ recordatur illius primi peccati obliti, an teneatur repetere omnes ante actas confessiones, vel solum, quæ confessus est cum scientia, & cognitione, quod illud relinquebat?*

RESP. Et credo teneri confiteri ea solum, quæ confessus est dum haberet scientiam, & cognitionem, quod integrè non confitebatur, vt est dictum. Reliqua non, Ratio videtur esse, quia vltimæ confessiones habuerunt omnia requisita ad eorum validitatem: si quidem, si aliquid impediret, esset dimissio illius peccati: At hęc culpa tollitur per secundas confessiones carentes omni culpa. & in posterioribus confessionibus, peccatum tacitum per obliuionem, confessionem non vitiat.

* Et cum postea recordatus fuerit defectus, sufficit illam solam confessionem non aliàs repetere. Suarez *tom* 4. *disput.* 23. *sect.* 4. *n.* 6.

35. QVAEST. *An qui præ verecundia confessionem dimidiat, sciens quidem, malè agere, sed nesciens confessionem non valere, teneatur omnia repetere, vel sola relicta?*

RESP. Ignorantiam inculpabilem, secundum multorum probabilem sententiam, etiam iuris Diuini, excusare à peccato? Azorium *ti. 1. Instmor. libr. 1. cap. 13. quæst. 2.* Igitur dicendum videtur, si iste credebat peccatum quidem, sed non mortale, credo sufficere si cõfiteatur sola relicta.

Hanc tamen ignorantiam vix credo dari inter Christianos. Deducitur ex Soto *dist. 18. q. 1. art. 3. ante 4. concl. vers. sed est hic tamen valde &c.* qui asserit excusari eum, qui non confitetur peccatum, quod non credebat peccatum, & hoc ratione ignorantiæ inculpabilis. Deducitur etiam ex Lopez *in institut. 1. p. c. 28.* Vbi admittit talem ignorantiam inculpatam excusare ab integritate confessionis. Tolet. *etiam inst. lib. 1. cap. 10. num. 8. casu 4.* excusat eum, qui per ignorantiam non faceret confessionem validam. Posset dicere. Doctores supradicti concedunt talem ignorantiam excusare, sed non in casu proposito, cum iste tacens verè sciat mortaliter delinquere, licet sciat omissum non reddere confessionem inualidam?

RESP. Vera esse ista, at sicuti primus excusatur ignorantia inculpabili, & nulla alia ratione, sic & hic secundus cum vtrorumcunque eadem sit ratio. Posito tamen, quod iste sic faciens, verè credat se non teneri ad validitatem confessionis peragendam, omnia confiteri sub mortali, quasi sciuisset, integram omnium peccatorum fecisset.

set. Suarez *tomo quarto, disputatio. vigesim. tert. sectio. 3. sect. numero secundo.*

36. QVAEST. *Quid agendum cum illo, qui tempore Iubilei facit confessionem non validam, quam repetere tenetur, an etiam teneatur adire superiorem, si habuit excommunicationem, vel casum reseruatum?*

RESP. Disparem esse rationemeius, qui extra Iubileum facit confessionem confessario, qui potest absoluere à censura, aut casibus reseruaris, & ei, qui in Iubileo confitetur habenti auctoritatem per Iubileum. Non confitenti extra Iubileum. Silu *confessio 1. q. 19.* & communis docet, hunc posse absolui per omnem confessarium expositum, & ab eodem absolui, cum per primam confessionem, verè sublatum fuerit impedimentum absolutionis, licet informis fuerit confessio. Confessionem verò facienti dicto modo in Iubileo dupliciter videtur distinguendum: Aut fieri ei, qui etiam sine Iubileo possit à dictis absoluere, & sic etiam in isto casu, veram credo sententiam Sil. quia est eadem ratio. Aut fieri ei, qui absoluit ex sola auctoritate Iubilei, & tunc iste nullatenus absoluitur à dictis censuris, & casibus. Ratio est, quia Pontifex in concessione Iubilei præsupponit confessionem validam, vel saltem bona fide putatam validam, & cum in casu nostro confessio sit inualida, per consequẽs non gaudebit priuilegio Pontificis. Suar. *ita, quod ad hoc vltimum, de pœnit. disp. 21. sect. 3. punct. 3. & assertione 2. num. 22. licet tom. 5. d. 7. sect. 5. num. 34. teneat valere talem absolutionem.*

37. QVÆST. *An Curatus teneatur credere pœnitenti pro se, & contra se?*

Resp. Teneri. Omnes. Tamen non credet quando pœnitens erat publicè excommunicatus, si dicat se absolutum, nisi de absolutione doceat. Silu. *confess. 1. q. 17.* Armil. *confess. §. 36.* Sed & si excommunicatio erat quidem publica, & pœnitens dicat se absolutum, & non redundet in damnum tertij, debet credere. Silu. *ibi.* At Curatus sibi caueat, quia licet hoc possit, tamen si propterea vocatus fuerit in quæstionem apud Episcopum, malè illi cedat? Ideò non credat nisi de absolutione doceat. Et si Curatus certo sciat extra confessionem aliquod peccatum pœnitentis, poterit eum interrogare in generali, & etiam in particulari de illo peccato; imò si speratur profectus interroget, si non speratur nequaquam. Et si pœnitens interrogatus neget, credat Curat. quia potest fieri, vt aliqua legitima causa excusetur à veritate aperienda. Silu. *confess. q. 15.*

* An verò tunc Curatus credat pœnitenti neganti peccatum: quod Curatus certò nouit? Dic, si nouit per relationem alterius, non credat: quia potior est fides pœnitentis, quam alterius relatio. Si verò scit de visu, & neget, tunc si Curatus probabiliter potest credere confessum, credat: si vero euidenter sciat de visu veritatem, & non habeat probabilitatem recusare à confitendo, non credat; quia sicuti non tenetur credere pœnitenti asserenti se dispositum ad Sacramentum; si de contrario constat: sic nec tenetur credere veritatem neganti, quam Curatus accidenter nouit Suarez *tom. 4. disp. 32. sect. 3. num. 9.*

38. Sed

38. Sed quid de isto casu. Pœnitens, qui habet excommunicationem occultam reseruatam Papæ, adit eum, qui à Papa pro istis absolutionibus est deputatus, & responsum accepit, facere se absoluere à Curato, vel Confessario. Vel habens votum faceret illud dispensare, vel commutare à Curato, vel confessario, an tunc Curatus, vel confessor isti sic dicenti credat?

Resp. Vtrumque posse credere, stante ita stilo Curiæ. Quid simile habet Silu. *Cõfes. 1. q. 17. in fine*

An verò eodem modo credat habenti excommunicationem publicam? Dic quod non, sed non absoluat, nisi habeat in manibus, quæ possit probare de auctoritate delegata, puta per scripturam, aut testes.

39. Qvaest. *Habens votum, & aduenies Iubileum si illis vult commutationem, vel dispensationem obtinere & confessarium adit, & peracta confessione obliuiscitur commutationem, vel dispensationem obtinere an spirato Iubileo possit eam obtinere?*

Resp. Henriq. *de indulgent. c. 11.* Posse ab omni confessario.

40. Et si Curatus, vel confessor in Iubileo multis confessionibus destineatur posse mittere pœnitentem, pro commutando voto ad virum peritum, affirmat. *De Graf. 1. part. libr. 4. cap. 15. numero 47.* Sed credo inspiciendum tenorem Iubilei, & si votorũ commutatio, & dispensatio delegetur confessori actu pœnitentem audienti, eundem solum credo posse votum commutare, vel dispensare. Si verò extra Iubileum veniat commutatio, vel dispensatio voti, vel remittere

adhabentem facultatem, vel tu ipse, si casus sit Episcopalis, obtine facultatem ab Episcopo, vel coram, vel per epistolam, ista enim mirificè pœnitenti placent.

41. QVÆST. *Quid aget Curatus, si habet pœnitentem, quem videt in peccato. sed cum iusta ignorantia, an teneatur illum admonere, vel possit illum relinquere in sua conscientia?*

RESP. Si ignorantia sit iusta, & inuincibilis, etiam si sit iuris diuini, & non solum humani, dummodo non resultet in damnum tertij, vel causet scandalum, & instructio prodesse non possit, puta quia non emendabitur, sed quia non speratur, quod emendari possit relinquendus in sua conscientia. Sot. *dist. 18. q. 2. art 4. propos. 2.* Henriq. *de pœnit. lib. 3. c. 27. n. 4*

42. QVAEST. *Quomodo respondendum interrogationi pœnitentis, quando si secundum veritatem responsio detur, timeatur, ne inde pœnitens occasionem mala agendi arripiatur?*

RESP. Sot. *distinctio. 18. quæst. 2. art. 4. prop. 2.* Sufficere si veritas generice respondeatur, puta quædam mulier habet impedimentum in matrimonio, per quod non potest nec petere, nec reddere debitum, quærenti an teneatur reddere? sufficiet ex Sot. dicere, vxores tenentur viris suis debitum reddere Henriq. *verò lib. 3. c. 27. n. 5.* ait respondendum interrogationi quantum satisfaciat petitioni, & non vltra, vide etiam de matr. *c. 19. n. 40.*

43. QVÆST. *An, & quomodo Curatus absoluat pueros, de quibus dubium est, an habeant vsum rationis?*

RESP.

Resp. Audiat eos secundum regulas generales confessionis, ac si haberent vsum rationis, & absoluat cum hac conditione, in quantum indiges, & ego possum.

Istos tamen, de quibus est dubium, poterit admittere imparatos, & interrogationibus adiuuare, quia non valent aliter se præparare, sed melius aget, mittere pro media hora ad præparandum, potius vt discant quid agere debeant, quam vt re vera speranda sit præparatio, quia vt experientia docet, non se præparant. Incipientes vero aliquo rationis vsu vti, mittendi pro aliquali præparatione. Qui autem integro vsu rationis valent, non admittendi, nisi parati, quia ad hoc tenentur, nisi alia ratio statim expedientes consulat. *Vide n. 21 & seq.*

44. Qvæst. *Quomodo cognoscendum, an pueri vsum rationis habeant?*

Resp. Non posse præscribi certam regulam. Prudentia rei est magistra. Cæterum Azor. *Inst. p. 1. li 7. cap. 4. nu. 5.* confutat Sot. *dist. 8. q. 1. à 3. in fine*, qui vult pueros non teneri lege confessionis ante duodecimum, vel decimum quartum annum. At veritas est teneri, cum mortaliter incipiunt delinquere, quod in plerisque est ad finem septennij, vel in octauo anno, & citat Anton. qui hoc vult euenire circa annum decimum cũ dimidio, & aliquantulum vltra in masculis: in fœminis verò circa vndecimum cum dimidio, & aliquantulum vltra, sed opinionem septennij vocat communem. At videtur rectè dicendum tunc teneri, cum prudens Curatus arbitrabitur.

Praxis. Laudabile est, à quinquennio vsque ad

septennium omnes aduocare, & multis circum circa in coronã statutis, generalioribus hortari ad obedientiam, ad fugienda mendacia, & similia, vt ita faciant tanquam actum recognitionis Dominij erga Deum. A septennio verò, & supra, si & prout visum fuerit illucescere rationis vsum agendum, vt est dictum numero superiori. Et quidem, si interrogati, vt Notat Nauarr. *capit 21. numero 33.* an liceat innocentem interficere, aliena rapere, superiori maledicere, mentiri, & similia facere responderint negatiuè, videntur habere, si non totalem, saltem partem vsus rationis. Porrò sola prudentia hoc potest docere.

45. In morte tamen, quando non constat plenè de vsu rationis, omnino sunt audiendi, & absoluendi cum conditione superius repetita vt vtilius causa salutis illorum geratur.

46. QVÆST. *An puer pro confessione habeat tempus præscriptum; vt habent adulti per capitulum omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.*

RESP. Sot. *dist. 18. q. 1. artic. 4. concluf.* Henriq. *de pœnit. libr. 1. cap. 4. numero 1.* Adultos teneri semel in anno, ita vt annus incipiat à Ianuario. At Concil. Tridentin *sess. 14. cap. 5. de pœnit* approbat, & amplectitur morem confitendi in quadragesima: Ideo Azor. 1. *par. libr. 7. capit. 30. quæstio. 6. & 7.* & Henriquez *ibi in gloss.* aiunt consuetudinem opprobatam ex Concil. obligare ad determinatum tempus Quadragesimæ, licet Henriquez in textu negat tunc obligare; Ad quæstionem igitur videtur dicendum, obligari in quadragesima, eos qui per captum te-

nen-

nentur semel in anno confiteri. & maxime hoc confirmatur ex communi vsu, quo vt paruuli cedant loco grandioribus solent in primis septimanis quadragesimæ confessiones facere, eo maximè, quod talis consuetudo à Prælatis est scita, & tolerata, etiam si velis dicere non obligare per approbationem Concil. loco dicto, quod non affirmarem.

47. QVÆST. *An puer cum incipit habere vsum rationis, secundum opinionem* Nauar. *cap. 11. num. 7. not. 3. teneatur primo elicere actum charitatis, & ad hoc inducendus sit à confessario, seu Curato, ita vt sit tempus opportunum quando confitetur?*

RESP. Bonum esse, sed non credo Curatum peccare mortaliter illum omittens, quia Deus non deficit in necessarijs, & sapit scrupulum, velle puerum in puncto confessionis accipere vsum rationis, & non antea, & si habuit ante, tunc etiam tenebatur ad eliciendum actum hunc, nisi velis dicere, tunc supplendum defectum, si fortè fuit commissum.

48. QVÆST. *An Curatus possit confessionem dimidiare, puta discedendo à confessionali, & post multum temporis reuerti?*

RESP. Posse omnes affirmant. Sed notet. Ita memoria peccata retineat, vt nouerit pœnitentiam competentem imponere, cum reuertitur. Eodem modo potest, dum audit confessionem vnius, relinquere istum, & audire alium. Hoc tamen non admitterem nisi pro breui reconciliatione; & si in longiori confessione hoc idem vellem practicare, non admitterem nisi prius pe-

petita venia à primo pœnitente, ne sibi deserto alium anteponi videns, male acciperet: habet enim prior quoddam ius saltem decentiæ, pr expeditione priori. Non tamen practicandum est hoc nisi vrgente necessitate.

49. Qvæst. *An Curatus, cum habet antè mu tos confiteri volentes, discernat hunc vel illum aliis antepo nendo?*

Resp. Cum sit pater communis, non sit pa rtialis cum aliquo, sed sinat pœnitentes ex se ac cedere, & accedentes audiat. Si tamen inter e pectantes sit infirmus, vel vir alijs longè excel lentior, posset illum alijs antepositum aduocare. Bonum esse tamen astantibus prius dicere. Placeat vobis me istum expedire. Sed & in hoc sit parcus, & non anteponat nisi, quem clarè constet ægrè expectare non posse.

50. Quoniam verò contingere potest Curatum aliquoties obrui numero pœnitentium, & ita accedere ad confessionale, vt astantes confessionem intelligere valeant, tunc Curatus poterit quando sunt plebei, vel rustici, vocare longius distantes, vt proximiores recedant.

51. Qvæst. *Quid aget Curatus cum atroci minante grauia, ni audeat eius confessionem?*

Resp. Si minatur sine culpa Curati, puta quia alias fuit expulsus, & adhuc remanet in impedimento illo, per quod fuit repulsam passus, si impedimentum est tale, quod impediat absolutionem, nullatenus audiat, aut absoluat, quia incapax est Sacramenti, ita tamen se gerat, ne astantes factum cognoscant ne confessionem superiorem reuelet. Si verò ille velit solum audiri, &

de

de absolutione non curet, vt nòn semel contingit, certè potest audiri, sed ad quid? Si tamen Curatus tunc industrius, vt pro posse hunc lucretur. Si verò minax iste minatur, sed non habet impedimentum ad absolutionem, puta quia Curatus eum expulit ad diligentiorem præparationem consulerem audiri, & prudentia de non apto, quòd minæ illæ denotant, reddere ad Sacramentum aptum.

52. *Quid aget Curatus si in confessione eueniat ille casus difficilis?*

Resp. Prudentiam docere. Se exoneret, ad peritiorem mittendo pœnitentem. *Ita* Henriq. *lib. 3. de pœnit. cap. 26. nu. 5. & alij.* Si non valet se exonerare, si pœnitens est paratus facere, quod Curatus, re melius iudicata, aut consulta, decreuerit, vel quod sapiens iudicauerit, ad quem Curatus pœnitentem ablegauerit, absoluat. Silu. *conf. 3. q. 10.* Henriq. *ibi, n. 9. & alij.*

53. Qvæst. *Quid aget Curatus, si eueniat illi casus, per quem non potest absoluere, & si non absoluerit, astantes admirentur, vel scandalizentur, videndo quidem ad confessionem accessisse, sed vel non fuisse absolutum, vel non communicare, cum tamen propterea confessorem adijsset? Puta venit ad Ecclesiam puella cum matre, vt confiteatur, & communicet, & si non absoluatur non communicabit, & non communicando mater, vel astantes veniant in sinistram opinionem dictæ puellæ.*

Resp. Lopez *Instit. p. p cap. 8. & affirmat posse absolui.*

Posset ita practicari. Si casus habet remedium, puta quia pœnitens non est præparatus, ergo in-

interrogationibus adiuuarem, iuxta dicta supra *num.21.*

Si casus est dubius, facerem vt est dictum *num. superiori.* Si verò difficultas casus est, quia pœnitens est in mortali, vel non vult occasionem peccati abijcere, non absoluerem, quia omni iure prohibeor, tamen, pro saluando pœnitentis honore, recitarem super eum, quasi eum absoluens, orationem Dominicam, dato consilio fingere se à Communione impedire eo quòd male se haberet (intelligendo in anima) ne mentiretur; Si autem casus est, quia peccator est publicus, puta excõmunicatus, aut alio titulo publicus, non absoluerem, quia hoc est addere non tollere scandalum.

54. Si autem sit excommunicatus occultus, prius tentarem omnia vt pro absolutione adiret eum, ad quem talis absolutio spectat: Si hoc nullatenus fieri posset, vrgente scandalo, seu etiam admiratione, vt notat Silu. *Euch. 2. q. 7.* De Graff. *p. p. libr. 1. cap. 2. num. 12. Addit* Henriq. *libr. 8. c. 46. nu. 4.* (*quod an sit primium vide*) *etiam sine nota infamiæ*, quæsito colore posset abstinere, quod posset communicare; loquuntur enim de Communione. Igitur si scandalum permaneat, & quidem videtur hunc non esse absoluendum, sed si velit communicare, animandus, vt hoc faciat cum maiori contritione possibili, & quam primum adeat pro absolutione ad eum, cui de iure competit, sic Silu. *Euchar. 2 quæst. 7.* Sot. *disp. 18. qu. 1. ar. 5. in fine probationis tertij argum. quod est col. 17.* ægrè sed concedit, *licet dist. 12. q. 1. à 4. casu 4. in fine neget. At di. 12.* intelligendus

est

est de excommunicato publico: quia, & ibi loquitur de notorio, quod æquiualet notorio in excommunicatione, & *dist. 18. loquitur de excommunicatione occulta*: deducitur etiam hoc ex Nau. *c. 25. n. 75. not.*

13. De Graff. *autem p. p. l. 1. c. 12. n. 14. & 15.* negat vtrumque excommunicatum posse communicare. Tenendum credo cum Silu. & sequacibus. Sed hactenus dictum est de sola Communione, restat tamen adhuc dubium, an & hoc liceat in absolutione. Pro quo videtur dicendum quod non possit absolui, quia Conc. Triden. *sess. 14. c. 7. de pœnit.* videtur solum permittere in articulo mortis absolutionem censuræ ab inferiore largiendæ. Præterquam quod benè scandalum tollitur conterendo, & communicando, vt dicti tenent, & scandalum, si quod potest esse, benè tollitur, per recitationem orationis Dominicæ, vt est dictum.

55. QVAEST. *An Curatus sub spe ratihabitionis possit absoluere eũ quem de iure absoluere nequit?*

RESP. Primò cum loquimur de ratihabitione intelligendam, quæ est *n. 10.*

Dico secundo peccatorem duplici ex capite non subdi Curato, primo ratione casuum reseruatorum, & secundo ratione excommunicationis. Et quidem ratione casuum reseruatorum, in morte solum potest absoluere, ita decretum à Congr. regul. & Episcoporum, sub Clem. VIII. & hoc per totam Italiam. Ratione verò excommunicationis, non potest absoluere Curatus, etiam si sit occulta, sed absoluit Episcopus, & etiam si sit Papalis, quando

pœ-

pœnitẽs legitimè impeditur adire Papam. Cauſæ autem legitimè excuſantes recenſentur Silueſt. *abſo. 4. dub. excomm. 8. num. 8.* Armil. *abſolut. §. 40.*

57. Dubium poteſt eſſe, ſi verè daretur caſus quod habens excommunicationem Papalem vel caſum reſeruatum, cum reali impedimento adeundi Papam, aut Epiſcopum, puta quia non poteſt nec ire, nec mittere ad Papam, & ſi Epiſcopum adierit rationabiliter ſibi damnum timet, quia in facto implicatur intereſſe honoris, aut alterius iacturæ Epiſcopi.

58. QVAEST. *An tunc ſtante tali impedimento poſſit Curatus abſoluere?*

RESP. Nauarr. *cap. 25. 27. num. 90. ad 4.* Primo, quòd qui non poteſt nec ire, nec mittere ad Papam, debeat ire, vel mittere ad legatũ vicinum ſi poteſt, ſin ad alium, qui priuilegio abſoluendi gaudeat, vt ſolent eſſe aliquæ religiones, & in ſpecie Inquiſitores. Secundo. Dico, ſi nullum horum poteſt, ſtante tali impedimento, & non ſperatur breui tollendum, poſſe abſolui à Curato. Tenet Angel. caſus verſus finem, deducitur etiam ex Graff. *p. 1. lib. 1. ca. 13. nu. 78. & 85. 59.*

Ratio eſt, quia in caſu propoſito ceſſat ratio ſalutis, & vrget damnum pœnitentis, quibus ſtantibus ceſſabit etiam ratio legis, & licet iſta pugnent cum ſupradicto decreto, tamen ſub debita cenſura, credo Curatum poſſe abſoluere, per epicheiam interpretando hanc decreti reſtrictionem, ſecundùm regulam propoſitam. Sed credo caſum potius imaginarium, quàm poſſibilem, cùm poſſit ab Epiſcopo obtineri facul-

facultas absoluendi, saluo honore, & re pœnitentis, vt prudens Curatus optimè nolcet. *Subscribit* Suarez *tom. 4. d. 30. sect. 31. assert. 2.*

60. QVÆST. *An Curatus possit absoluere suos vbique locorum extra suum Episcopatum?*

RESP. Posse Silu. *confessor p. qu. 14. & conf. 2. quæst. 1. not. 4.* Armil. *confess. §. 34.* Tol. *inst. lib. 3. ca. 14. num. 15,*

61. *Dubium est. An hoc possit Curatus extra suum Episcopatum publicè, puta in Ecclesia in Confessionali?*

RESP. Posse, sed cum, vt plurimum vbique sint constitutiones Episcopales, ne præter admissos in Episcopatum, confessiones excipiant, absoluat in domo, vt vexationem deuitet.

62. QVAEST. *quot, & qui sint casus reseruati?*

RESP. Casus reseruatos in tria genera distribui. Primi seruantur per statuta Episcoporum; & & pro his videnda statuta. Secundo reseruantur per consuetudinem: & pro his obseruanda consuetudo. Tertij reseruantur à iure communi, & nominantur à Silu. *casus quæst. 4.* Angel. *casus in princip.* Nau. *cap. 27. num. 256.* Armil. *casus §. 5.* De Graff. *p. p. l. p. cap. 13. num. 65.* Tolet. *inst. libr. 3. cap. 14. num. 5.* At placet sententia Suarez *tomo 4. disputat. 29. sect. 3.* qui probat nullum peccatum de iure reseruari Episcopo. De incendiario ait videndam consuetudinem, & iuxta illam iudicandum, cùm non reseruetur à iure. Igitur casus reseruati erunt, qui proponuntur ab Episcopo, & non alij: ratio est, quia consuetudine ita reseruantur. Porrò quando audis casum reseruatum, intellige opus externum: non autem si sit

solùm

solùm internum. Silu. *casus quæst.* 5. De Graff. *13. num.* 7. Intelligo etiam tale opus, quod pe quantitatem possit facere mortale; quia furtu citra mortale non reseruatur. Idem. In dubio an opus sit mortale, vel an casus sit reseruatu iudicandum non reseruatum. Henriq. *de pœni lib.* 3. *c.* 26. *n.* 7.

63. QVAEST. *Quomodo segeret Curatus cu pœnitente habente casus reseruatos Episcopo?*

RESP. Si veniat peregrinus habens casus rese uatos in suo Episcopatu, sed non reseruatos ib confitentur, poterit Curatus eum absoluer quia hoc licere omni exposito affirmat Sil *confess. 1. qu. 3. licet qu. 11. obscurius loquatur.* Graff. *1 part. l. 1. c. 13. n. 46.* concordare videtur substantia. Sot verò *dist. 18. q. 4. ar. 2.* de peregri nis affert duas sententias, alteram concedentē alteram negantem, nisi adsit licentia propriji piscopi peregrinandi. Sed Nauarr. *cap. 27. num 255.* concedit posse absolui, si Curatus habeat facultatem in casus reseruatos. At cum decre tum suprà nominatum dicat, etiam in dubijs non licere absoluere, nisi ab habente facultatem in casu reseruato, & in casu dicto si inter Doctores dubium, & nulla causa vrgens, vt est dictum suprà *n.* 45. Videtur dicendum, non posse absolui, nisi per habentem dictam facultatem.

Si verò veniat habens casum reseruatum in proprio Episcopatu, & etiam reseruatum, vbi eum confitetur, non potest absolui, nisi ab habente casus reseruatos. Sotus *ibi.*

Si veniat habens casū reseruatū vbi confitetur, sed vbi est factū nō reseruatū, nō potest absolui

nisi

nisi ab habente casus reseruatos, quia peregrini debent viuere legibus loci. Sot. *ibi de peregrinis.*

Si veniat habens casum, qui quando est factus non erat reseruatus, sed postea est reseruatus, non absoluitur nisi ab habente dictam facultatem, quia in absolutione reseruatorum, respicitur tempus, in quo datur absolutio, & in casu nostro tunc est reseruatus.

Si veniat habens casum, qui quando est factus erat reseruatus, sed tempore absolutionis reseruatio est sublata, absoluatur ab omni exposito per dictam rationem.

Si veniat habens casum reseruatum, sed cùm factum fuit non credebat mortale, absoluitur ab omni exposito, quia solùm mortale potest reseruari, at hoc non est mortale. Silu. *casus q. 5.* de Graff. *1. p. l. 1. c. 3. nu. 71.* Henriq. *de pœnit. l. 3. c. 14. num. 6 & communis.* Veniens verò cum casu, qui cùm est factus nesciebatur, esset reseruatus, sed tamen sciebat, vel credebat mortale, erit reseruatus, per rationem dictam.

64. QVAEST. *Quomodo Curatus absoluat venientem cum casibus Episcopalibus?*

RESP. Vel mittat prius pœnitentem ad eum, qui potest absoluere à reseruatis, & cum redierit absolutus ab eis, Curatus audiat & reseruata, & alia omnia peccata, & absoluat Silu. *confessio p. q. 29.* Sotus *dist. 18. q. 2. ar. 5. ad 2. argum.* Henriq. *de pœnit. c. 15. n. 5.* Tol. *li. 3. c. 8. n. 3.*

* *Et hoc habet* Tol. *ibi probabilius.* Suarez *verò tom. 4. disputat. 31. sect. 2. habet pro necessario.*

Vel absoluat ipse prius à quibus potest, nisi adsit excommunicatio reseruata, tunc enim

à nullo

nullo potest absoluere, nisi ipsa prius sublata deinde pro reseruatis mittat ad habentem facultatem absoluendi ab ipsis.

* Suarez vbi suprà hoc improbat, excusat tamen si adsit vrgens occasio, vel necessitas ita absoluendi. Tene cum Silu.

Practica Curatus audito reseruato faciat si dari facultatem absoluendi à superiore, & omnibus auditis, absoluat etiam ab omnibus. Sot. ib. Vel mittat pœnitentem pro obtinenda facultate absolutionis, & hac habita, omnia audiat, absoluat.

* Quia hæc via tutior secundùm omnes, necessaria secundùm Suarez ibi; cum tamen ea excuset occasio, vel necessitas vrgens non poterit dici absolutè necessaria.

Quod si pœnitens reuersus dicat factam sibi facultatem, vt absolutionem obtineret, à quo malit an Curatus credat, & eum absoluat?

Resp. Absoluat tutè, quia pœnitenti in tali re credendum. Et etiam si falsum referat, *nullum* inconueniens ex parte Curati sequitur, *quia* illa conditionata, quod licentiam habuerit, super qua absolutio fundatur, eum omni culpa liberat Silu. *confessor p. quæst. 17. in fin.* Si verò factum sit publicum fac vt dicitur *num. 31.*

An Curatus absoluat à reseruatis stante impotentia adeundi superiorem? dictum est *nu. 45. vide capit septimo, nu. 10.*

* *An Curatus absoluat ab excom. iuris non reseruata?*

Resp. tres in hac re esse sententias, prima est Silu. *absol. p. n. 5.* Nauarr. *ca. 27. nu. 39.* Sot. *dist. 12. quæst.*

qu.2.art.3.concl.3. Armil. *abs.§.26. & citatorum à* Suar. *tom.5.disp.7.sect.7.n.23. & affirmat.* Secunda est Caiet *absol. ab excom. & aliorum citatorum à Suarez n.24. & negat.*

Tertia est Suarez ibi, *num.31.* qui distinguit, posse, si ita in Episcopatu sit consuetudo scita, & probata; non posse, si non adsit dicta consuetudo. Ratio est, quia consuetudo dat, & tollit iurisdictionem: & vbi non constat de contraria consuetudine, posse absoluere ex iure communi per capitulum. *Nuper, de sententiis excomm.* Hoc idem, quod potest Curatus, potest omnis expositus Sot. Nauarr. & Suar. Adde tamen si ita sit consuetudo eo modo quo dictum est de Curato.

66. QVAEST. *An simplex Sacerdos possit absoluere ab excommunicatione minori?*

RESP. Duas in hac re esse sententias. Nauar. *c.27.n.25. affirmat.* Caiet. *verò, absolu. ab excomm. & to.1.opusc,7. negat* & vult absoluētem esse admissum ab ordinario Suar. *to.5. disp.7.sect.4. nu.16.* tenet vtramque opinionem pro probabili: secundum Caiet. probabiliorem.

67. QVAEST. *Quid aget Curatus si dubitat, an audita in confessione sint mortalia nec ne, vel an audita sint peccata?*

RESP. Sil. Sacerdos in fine, non debere determinare nisi de claris. Et de Graff. *p.q.l.1.c.32.n.2.* ait absoluendum cum conditione, si confessa sint peccata, & addit consilium. Extorquere à pœnitente aliquod peccatum superioris confessionis, & data tali materia eum absolue. Porrò ista dicuntur fructuosè, & absoluendo etiam cum dicta conditione nullum peccatum.

68. QVÆST. *Quid aget Curatus, quando pœ tens est contrariæ opinionis à sua, an debeat a absoluere?*

RESP. In hac re esse quatuor sententias. tantur ab Azor *inst.p.p.lib.2.c.17. q. 10.* varie stinguentes. Tu dic breuiter. Quod debet absoluere sine alia distinctione, & ad hoc te tur. Ita Sot.*dist.18.q.2.art.3.ad 5.* Tol.*inst.lib 20 n.7.* Alij dicunt non teneri, sed posse absol re. *Sic* Nauarr.*vt infrà.* Tenet debere absol re cum Sot.quia pœnitenti tali, sic confitenti solutio debetur. Si placet videre auctores q stionem hanc tractantes, vide Angel. *confess q.2.* Silu.*confess 3.q.10.* Nau.*c.26 n.4.& 5.* & *citatos ab* Azor.*vbi supra.* Porrò quando dicu esse opinionis contrariæ intellige, vt dicitur *15.n.15.* de opinione eligenda.

69. QVÆST. *Quid aget Curatus, quando in su sunt opiniones diuersæ?*

RESP. Posse eligere, quam maluerit, dumm do sit probabilis Vide *cap.15.num.15.*

70. QVÆST. *Quid aget Curatus, vt suitatè in Paschate confiteantur, & communicent?*

RESP. Conformabit se consuetudini loci fuerit sufficiens. Alicubi, dum communio datur, communicati scribuntur. Sed an iste modus suf ficiat, viderint.

71. Communiter dantur, vt dicitur Bolletu seu scedulæ sed cum dentur solis communica tis, quomodo reddant rationem villicationi suæ illi, qui confitentur solum; Fui deceptus pueris aliquoties, cum non darem illis scedulas, vt mos erat in loco, sed staretur fidei illorum

& cum

& cum non fuissent confessi. tamen audacter affirmarent. Igitur pueris do schedulas illas distinctæ formæ ab illis quas communicati accipiunt. Et si aliquis alleget perdidisse, volo testes, alioquin denuncio Episcopo in numero non confessorum.

72. QVÆST. *Quot testes sufficiant pro probanda confessione. vel communione?*

RESP. Vnum sufficere, cum non agatur de præiudicio tertij. Silu. *testis quæst. 5.* Dummodo non sit persona aliàs suspecta.

73. QVÆST. *Quomodo agendum cum illis, qui in Paschate non sunt confessi, vel non communicarũt?*

RESP. Obserua consuetudinem loci, & constitutiones tui Episcopi si nihil habes, transacta octaua Paschæ sæpè in festis inter missarum solemnia admoneas negligentes, de satisfaciendo suo muneri, deinde post mensem, vel circa Episcopum admonere, & iusta exequere. Si Episcopus in te reijciat prouisionem, fac vt dicitur infra *num. 73.*

Si degis in loco, vbi statim à Paschate multi discendere soleant vt pastores ouium, & similes, qui vix per octo dies post Paschа remanẽt, move Episcopum, & iussa exequere, maximè si personæ sint suspectæ de hæresi, vel alio titulo.

DE POENITENTIA POST ACTVM Confessionis.

Vide etiam cap. V numer. 27.

74. QVÆSTIO. *An Curatus audito pœnitente teneatur eum absolrere?*

Resp. Teneri, nisi rationabilis causa differendi, vel negandi absolutionē instet. Omnes. Et hoc fit in magnam iniuriam pœnitentis, cui peccabit mortaliter, præterquam quod esset contra Sacramenti integritatem.

75. Si tamen per scrupulum, vel nimium rigorem non absoluerit, non peccabit mortaliter cum per conscientiam, licet erroneam, iudicauerit ita rectè agere posse.

76. Porrò si Curato eueniat casus, etiam non reseruatus, sed valde insolitus, & magnus horror aget mittendo ad Episcopum, vt pœnitens per tali missione laboret pro absolutione, & labor ille sit illi in partem pœnitentiæ, quando tamen pœnitens hoc acceptet, vel quando sperandum profectus, alias libere esset absoluendus.

77. Qvæst. *An Curatus absoluat eum qui nullam omnino velit pœnitentiam?*

Resp. Silu. *confessio p. q. 25.* Caiet. *citatus à Soto vt infra,* Armil. *confess. §. 29.* Nau. *c. 26. n. 20. & alij affirmant.* Sot. *verò dist. 20. qu. 2. ar. 2.* Tolet. *inst. l. 3. c. 9. n. 6.* negant. Et ex Conc. Trid. *sess. 14. c. 8. in fine,* vbi habetur, datas claues Sacerdotibus, ad ligandum, & soluendum, & eadem *sess. can. 15.* eliciunt Doctores asserentem contrarium esse hæreticum. Ita Nau. *ibi licet pro se gloss. set, &* Henriq. *de pœnit. lib. 1. ca. 8. n. 1. Vide etiam* Candelab. *de satisfactione n. 25. & seq.*

In hac quæst. duo sunt consideranda.

78. Primum est. An pœnitens teneatur acceptare aliquam pœnitentiam ad minus paruam. Et certè probabilius videtur teneri, secundum opinionem Soti, & aliorum, & ad eam imponendam

dam teneri sub mortali etiam confessarium, per rationes à dictis allatas. Præterquam quod idem affirmat Suarez de pœnit. *disp. 38. sect. 3.* addens hanc obligationem esse grauem, cum pertineat ad Sacramenti integritatem, & religionem Deo debitam.

Poterit tamen Curatus accommodare se pœnitenti, minuendo iustam pœnitentiam quantum voluerit. Omnes.

Secundo considerandum, an vnquam Curatus sine pœnitentia possit absolutionem largiri, & tunc dicendum posse.

Primo in morte, vt dicitur infrà de pœnitentia infirmorum.

Secundo. Quando scrupulosus, sæpè intra horam redit cum nouis peccatis. Sed & tunc dare asperam expedit, nam vexatio dat intellectum, & liberat à scrupulis.

Tertio. Quando creditur pœnitentem satis feciisse Deo per magnam contritionem. Sed nec tunc inconuenit aliqualem imponere.

Quarto. Quando confessarius probabiliter iudicat pœnitentem non acceptaturum aliquē, ne Sacramentum, qnod institutum est ad pœnitentis vtilitatem vertatur illi in laqueum. Henr. *de pœnit. l. 3. c. 20. n. 6.* Tutè enim tunc pœnitens relinquitur in sua conscientia.

Quinta. Posset addi Curatum non peccare, quando obliuiscitur pœnitentiam imponere.

79. QVÆST. *An Curatus peccet, si dimittat ex abrupto eum, quem absoluere non potest, cum astantes sint intellecturi non esse absolutum. Et per consequens sit illi pœnitenti ad aliquam infamiam?*

Resp. Non peccare, quia vtitur iure suo, & rationabile est iudicare non absolutum propter aliquod impedimentum cum ad confessionem accedatur sæpè, & pro confessione, & pro capiendo consilio, & pro recipienda consolatione similibus. De Graff. *tamen parte prima, lib. cap. 24. num. 25. Consulit.* confessarium recitare orationem dominicam, vel aliud super pœnitentem, facta cruce qua sic eum dimittat, ut pœnitens discedat confusus. Bonum sed non necessarium.

80. Qvæst. *An Curatus in Paschate det schedulam confessionis ei, quem Sacramentaliter audiuit, sed pœnitentis ipsius culpa, non fuit absolutus. An igitur danda sceda pro scandalo vitando?*

Resp. Posse dare si velit, sed non teneri. Henriquez *de pœnit. libr. 3. cap. 22. numero 2.* Hæc resolutio fundatur super hoc. An confessio tali informi satisfiat præcepto Ecclesiæ, vel non. Silvest. *confessor. 4. quæst. 2.* in fine tenet satisfacere, & secundum hanc opinionem Curatus dare tenetur schedam, velit nolit. Alij dicunt non satisfacere. Sic Sot. *distinct. 18. quæst. 3. art. 3. ad 4. argum.* Viguer. *c. 15. §. 4. versu 14.* Navarr. *cap. 10. num. 4.* Azor. *prima parte, inst. lib. 7. cap. 40. quæst. 4.* Candelab. *de confessio. num. 22.* Et secundum hanc non tenetur dare. Et si velis tenere opinionem Silvestri, tamen habes remedium ad cogendum hunc ad confessionem, quod est. Tempore statuto, hostiatim schedas recipere, & non dantes denunciare Episcopo. Et sic iste inter non dantes reperietur, & cogetur. Antequam

quam tamen hoc remedio vtaris, si Episcopus iubeat Curatum excommunicare omnes, qui non sunt confessi, si Curatus sciat per solam confessionem hunc non confessum, non excommunicet, quia reuelaret confessionem.

Porrò si iste non confessus habeat inimicitias, an expediat dicto remedio vrgere? consule Episcopum, qui iudicabit. Si Episcopus arbitrio tuo relinquat, non cogas, ne malè Sacramentum recipiat, & ne medicina conuertatur in venenum. Sot. *dist. 13. q. 1. art. 6. in probat. 2. concluſ.*

81. Et si in Episcopatu sit lata excommunicatio contra non confitentes, vel non communicantes in Paschate, hic, cuius confessio solo Curato nota est, non incurrit excommunicationē. Henriquez vbi supra *in gloſ. C.* licet afferat auctores contrariæ sententiæ, sed suam vocat probabiliorem.

82. QVÆST. *An Curatus det opem externam indigenti petenti, quando in confessione talem indigentiam nouit? Verbi gratia, vir cogit vxorem moribundam testari, & ipsum instituere hæredem, & non sinit alium à Curato alloqui vxorem, & ipsa opem petit. Vel, ancilla vix potest se liberare à Domino procaci; & similes casus. An tunc Curatus; cuius auxilium postulatur debeat opitulari?*

RESP. Quosdam negare, nisi extra confessionem pœnitens reuelet factum complicis citantur ab Henriquez de pœnit. *lib. 2. capit. 10. nu. 4.* Alij citati ab eodem affirmant. In hac re magna est opus prudentia: in casu tamen quo adiuuet, nō moueat se, si alius adsit, qui hoc præstare

possit. Et Henriquez consulit habendam priu licentiam in scriptis, & addit interdum etiam expedire eam non habere nisi in confessione vt si productus fueris Curatus in testem pos negare.

An Curatus, & quando peccet in hoc?

Resp. Duo videri hic considerandà. Primum Correctio eius, qui malè agit impediendo, u pœnitens iure suo vtatur: & secundum. Necessitas indigentiæ auxilij. Igitur Curatus ratione correctionis tenebitur, quando emendatio speratur, quia sub hac regula correctio adstringit. Ratione verò necessitatis tenebitur, quando aliter non potest adiuuari.

* *Vide* Suarez *de hac re fusè docentem & in substantia ita tenentem tom. 4. disp. 34. sect. 4. per totum.*

Quid si iste adiuuetur, sed Curatus notabiliter patiatur?

Resp. Si iste indigens, indiget in re, quæ est peccatum mortale, vt est dictum de ancilla, tenetur Curatus, (si alius iuuans non reperitur) cum periculo propriæ vitæ opem ferre, si tamen speratur bonus effectus, quia alias omnis diligentia frustratoria esset. Ratio horum est, quia anima socij est altioris ordinis vita propria, & cum damno huius tenemur saluare alteram. Si verò is qui indiget, est in indigentia rerum corporalium, vt est dictum de vxore, quæ non permittitur testari, tunc Curatus cum damno corporis, aut bonorum suorum, non tenetur opem ferre; quia tenemur magis amare bona nostra, quam aliorum, Rem Deo commendet antequam aggre-

aggrediatur, & consultat sapientes, & facienti quod est in se nunquam deest Deus.

83. QVÆST. *Quid aget Curatus, qui in confessione, vel non iussit, vel non curauit restitutionem?*

RESP. Tres mein hac re inuenire sententias. Prima est dicentium, si hoc egit ex malitia, vel aduertendo malè agere, vel quod deberet studere antequam absolutionem conferret, tenere ipsum de proprio restituere, & est communis. Secunda est Lessij *de iust. lib. 2. cap. 13. nu. 77.* Curatum, & Episcopum teneri ad hoc, reliquos confessarios non teneri. Tertia est Rebelli de obligationibus *lib. 2. q. 14. sect. 8. num. 65.* dicentis confessarium solum ad restitutionem teneri quando malè iussit restitutionem fieri puta Petro, cum facienda esset Ioanni, non teneri verò, (licet mortaliter peccat) quando, etiam data opera, non iussit eam. Ratio est, quia confessarius in ordine ad creditorem nulla obligatione tenetur ratione officij suscepti, nec eius procurator existit. Lessius etiam in fine tenet hanc probabilem etiam in Curato, & Episcopo.

84. Errans verò bona fide credens benè agere, secundum omnes, nec peccat, nec tenetur ad restitutionem, sicuti, si oblitus est, ac etiam si restitutionem non iussit, cum tamen crederet pœnitentem spontè facturum. Nau. *cap. 17. n. 22. & omnes.*

85. QVÆST. *Quid aget Curatus, quando errauit in absolutione absoluendo, quem non posset?*

RESP. Nauarr. *capit. 26. num. 14.* Si errauit absoluendo ab excommunicatione, aut casibus reseruatis, debere, obtenta facultate absoluendi,

absoluere eum præsentem, si habere eum potest sin, absentem, cum creditur esse in gratia. At de ista absentia dicendum, non valere talem absolutionem per decretum Congr. regularium, Episcoporum sub Cle. VIII. sæpe citatum.

* Valere verò pro excommunicato affirmat Suarez *tom. 4. disp. 32. sect. 6.*

Igitur, si speratur pœnitens acquieturus, obtenta licentia, narra ei errorem, & secundum eius voluntatem absolue, vel dimitte in absolutum. Si nequis scire de profectu rem Deo commenda siue pœnitens sit præsens siue sit absens. Magis autem correctionem erroris procura cum resultat in damnum tertij.

86. QVÆST. *Quid aget Curatus, si quis velit eum confessionem vxoris vel alterius reuelare?*

RESP. Nullatenus reuelet, etiam si certo esset ei moriendum. Lenibus eum primò deterreat a mala voluntate, deinde etiam asperis, si prudenter iudicauerit expedire.

87. QVÆST. *Quomodo Curatus aget, si debeat confessionem reuelare de pœnitentis licentia?*

RESP. Angel. *confessio vltim. qu. 5. & alij citati à* Sot. *distinct. 18. qu. 4 artic. 6.* dicunt confessarium, etiam cum tali licentia non posse confessionem reuelare. Silu. verò *confessio 3. q. 3.* Armil. *conf. §. 10.* Sot. *ibi* Nau. *c. 8. n. 15.* dicunt posse reuelare cum tali licentia.

* Citantur Doctores vtriusque sententiæ, & examinantur à Suarez *tom. 4. disp. 34. sect. 4. par. per totum.*

PRAXIS. Curatus faciat sibi dari talem licentiam per scripturam, vel testes, ne accuseturtanquam

quam confessionis reuelator. Vel absoluta confessione, pœnitens roget confessarium, vt talia, & talia dicat, licet iam ea dixerit in confessione, quia tunc Curatus habet se vt merus nuncius.

Si tamen pœnitens extra confessionem loquatur cum Curato de confess. non dicetur Cur. reuelare confessionem. Henriq. *de pœnit. lib. 3. ca. 21. num. 2.*

88. QVÆST. *An vnquam Curatus sub dictis regulis teneatur petere licentiam reuelandi confessionem, vt si quis iuxta patibulum erubescat confiteri peccatum causans scandalum?*

RESP. Teneri, & credo sub mortali, cum ablatio scandali sit de re graui in bonum alterius, aut publicum, ordine charitatis. Intelligo tamen, quando Curatus audiuit confessionem istius pœnitentis, quia si non audiuit, tenetur qui audiuit.

89. QVÆST. *Quam pœnitentiam dabit Curatus sanis?*

RESP. Omnes affirmare debere dare congruentem, & peccatis correspondentem. Alij dandã conformem canonibus pœnitentialibus. Sed prima sentẽtia nihil docet. Secunda verò est falsa ita Nau. *citatus à* Candelab. *de satisfact. nu. 24.* nam veritas est, pœnitentias Sacramentales esse arbitrarias. Ideò Curatus dabit eas secundum regulas prudentiæ, præseruatiuas, & punitiuas. Et quidem quoad punitiuas, credo melius esse dare breues, sed asperas, maximè inter idiotas, quia vt experientia docet, graues numquam fiunt. Quæ vero sint hæ, prudẽs Curat. vel suo marte effinget, vel à vicinis discet. Aliquo maximo vitio illaqueato persuadeat, vt interdum voueat se

illam, aut illam pœnitentiam ſubiturum, ſi illud peccatum reciderit, numquam autem, iuret, vel voueat, ſe id non admiſſurum. Na *cap.26.n.25.in fin.* Curatus iſto remedio vtatu cum probabiliter ſperat profectum maximè peccatis magnis, in præiudicium tertij, vt beneficijs, & ſimilibus. Optimum remedium eſt, mittere ad lucrandas indulgentias. Caueat tamen Curatus ne omnibus omnes det, quia miniſterium poſſet irrideri. Recta horum abſolutio prudentiæ relicta.

90. * Inter fructuoſa ſuum locum obtinent, quæ voluntariè fuerit aſſumpta à pœnitente approbatione confeſſarij : putà confeſſarius hortatur pœnitentem conſuetudinarium: quod de his maximè ſermo ad eligendam ſibi exactam confeſſionem tamẽ, certam pœnitentiam, quoties reinciderit, quia iſta valide operantur, ad euitandum peccatum.

91. QVÆST. *An publica pœnitentia poſſit imponi?*

RESP. Nau *ca.8. num.10.* negare, eo quod hoc ſit confeſſionem reuelare. Ideo nota pro peccato occulto male dicere ieiunium ei, qui non ſolet ieiunare, cum ex ieiunio domeſtici poſſint intelligere grauitatem peccati.

92. QVÆST. *An confeſſarius poſſit grauem pœnitentiam imponere abſque obligatione eam implendi ſub mortali?*

RESP. quoſdam negare. Suarez vero cum Med. *citato 4. diſp.38. ſect.7 concl.2.n.5.* affirmat poſſe. Sed & credo confeſſarium illum prudenter acturum, qui ſub hoc modo pœnitentias impo-

imponeret, quando dubitaret de illarum adimpletione.

93. QVÆST. *An peccet Curatus, qui omissis solitis addi post formam necessariam absolutionis sola forma substantiali absoluit?*

RESP. Candelabr. de absolut. *nu. 48. & 49.* Citra contemptum nec esse veniale. Idem. Sot. *distinct. 14. qu. 1. art. 3. antè versum. Tandem quod est per col. antè finem.*

DE
POENITENTIA INFIRMORVM.

QVAEST. 94. *A quibus absoluat Curatus in articulo mortis?*

RESP. Ab omnibus peccatis, & censuris, etim Papalibus. Conc. Trid. *sess. 14. cap. 7. de pœnit. vide cap. 5. num. 24. & 26.*

Absolutus autem in articulo mortis à casibus Episcopalibus, non tenetur se præsentare ei, cui absolutio extra dictum casum competebat. Omnes. Absolutus verò ab excommunicatione, tenetur se præsentare, alioquin reincidit in excommunicationem. Omnes.

95. QVAEST. *An absolutus in articulo mortis à censura possit sepeliri in Sacro?*

RESP. Dic quod sic, vide *cap. 13. n. 5.*

96. QVAEST. *An Curatus, qui absoluit in articulo mortis, hoc possit etiam non requisito superiore ad quem alias absolutio de iure spectabat?*

RESP. Candel. *de absol. n. 14.* Quosdam tenere requirendum prius superiorem. At ipse tenet posse absolui etiam superiore non requisito,

cum Conc. loco dicto absolutè doceat, omnem Sacerdotem in tali articulo absoluere posse. Idem tenet Suar. *to. 4. disp. 30. sect. 3. n. 5.*

97. QVÆST. *Quomodo intelligendum illud, quod absolutus in articulo mortis ab inferiori, debeat se præsentare quamprimum superiori.*

RESP. Silu. *excomm. 8. nu 3. an re dubia* Intelligendum, quamprimum sublatum fuerit impedimentum. & absolutus sibi prouiderit de necessarijs pro eundo, secundum illos qui dicunt, quod teneatur ire, secundum vero illos, qui docent, quòd possit mittere, vt est dictum *ca. 5. nu.* cum prouiderit de necessarijs promittendo.

98. QVÆST. *Quomodo se gereret confessarius, si is post absolutionem dixerit se non potuisse, nec intendere mittere?*

RESP. Si verè pœnitens crediderit se non potuisse, credendum est illi. Silu. *vbi supra excommunicatio.?*

99. QVÆST. *Quis censeatur in articulo mortis*

RESP. Primò, & dico videndum esse, *c. 5. n.* Deinde dico aliquos distinguere inter periculum, & inter articulum mortis. Articulum volunt esse, cum mors est iam in fieri per caulam naturalem, aut violentam Sot *dist. 18. qu. 4. art.* Graff. *p. p. lib. 1. cap. 13. n. 6.* Periculum verò esse, cum quis se obijcit periculo mortis, vt ingrediendo prælium, vel mare. At re vera pro absolutione sunt idem Silu. *absolut. 1. nu. 7. & confessor. p. quæst. 6.* Nauarr. *cap. 27. numer. 271. not. 7.* Henriqu. *de pœnitentia libro 3. capit. 11. numero 3.* qui vocat hanc sententiam certam, & in praxi tutam. De Graff. verò vult de periculo fieri articulum, cum

mors

mors, quæ in principio non imminebat, postea imminet. *Tene cum* Silueſt. *& reliquis.*

100. Morte proximus, non ita quod iam iam agat animam: sed cum est in tali termino, in quo communiter moritur. Omnes. Sic qui est in morbo, vel est senio confectus, vel habens vulnus lethale. Angel. *mors quæst. 6.* Henriq. *lib. dicto cap. 9 num. 1.* Silu. *mors quæst. 4.* Qui nauigaturus est per loca periculosa. Silu. *& alij ibi.* Febricitans febre graui, & acuta. Habens inimicum potentem, & eum ad mortem quærentem vel si non potentem, tamen quærentem ad mortem habens difficiles partus, quæ prima vice parit. Henriquez ibi numer. 1. Sed omnia ista dicuntur exemplariter, relinquitur enim arbitrio prudentis, quis dicatur esse in articulo mortis. Silu. & Angel. mors.

101. Qvæst. *Quomodo Curatus audiat confessionem infirmi?*

Resp. Non cogat eum surgere, sed finat decumbere. Confessionem viri poterit ostio clauso audire, fœminæ vero non audirem, nisi ostio aperto, plus minusve, vt prudentia docuerit. Iudico bonum patere omnium oculis. Adiuuet ægrum interrogationibus, quæ vt plurimum in hoc casu sunt de præcepto sub mortali, vt est dictum supra *nu. 23.* Et si se non præparauit, vel quia de hoc non cogitauit, vel quia non potuit, audiendus est, vt dicitur ibi Laborantes febre maligna, aut alio morbo, qui contrahi possit; audiat in tali distantia, quod satisfiat Sacramento, & Curatus prouideat sibi prudenter vtili remedio. Et si æger sit ita languidus, vt non

possit

possit audiri nisi è vicino, & aure ad illius os admota, admoueat, quia cum quantouis proprio periculo ita agere debet, etiamsi esset illi certo moriendum, vt quando audiendus est peste infectus. Vide *c.1.n.6.*

103. Ideo poterit inquirere à medicis, an infirmitas, qua æget laborat, sit contagiosa, vt sibi valeat prouidere. Bonum remedium est ignem interponere, dicimus nos (di Carboni accesi) vel aliquo odorifero suffitu vel gestare in manibus globulum odoriferum, vel munere se aqua rosacea, aut aceto, aut alia re odorifera in manibus gestata, maximè in sinistra, vt admonuerunt medici periti. Omnia tamen sapienter, ne nimia cautela propria, cauteriet, seu potius confodiat animum miseri languidi. At nec semper, nec a plurimum his vtatur remedijs, sed tunc solùm cum clarum est, vel valdè probabile necessarium esse. Omnium decentior est, habere in manibus chirotechas odoriferas, quibus & se muniet, & videbitur quasi non agere factum suum. Sed dum infirmus validè loquatur, sufficiet eum audire in aliqua distantia, tali tamen, quod non videatur infirmum refugere: & si infirmus vix loquitur, poterit etiam ab eadem distantia audiri, admonito respondere per nutum, & renutum quia hoc sufficiet, & ne infirmus terreatur, Curatus addat ita illum admonere, vt sine fatigatione, & facilius confiteatur. Vide etiam *c.9.n.20.*

104. QVAEST. *Quid aget Curatus cũ fuerit vocatus ad audiendam confessionem parturientis, vel vulnerati moribundi, qui moritur, & non posset relinqui ab illis qui opitulantur eis, ita vt necessario*

rio confessio sit facienda coram ipsis adstantibus?

Resp. Expellat plures, & relinquat pauciores, quos potest, & ex relinquendis eligat prudentiores; Fœminas, si possibile est, omnes expellat, quod credo possibile, nam & mihi contigit casus de parturiente, expulsæ enim sunt omnes, & tamen parturiens, non periclitata est. Si non possent expelli omnes, relinquat pauciores, & prudentiores, & relictæ non sint cognatæ, vel affines, ne maiori verecundia acta infirma faciat confessionem mancam. Potest etiam confessor vti hoc remedio, interrogare pœnitentem ad aurem, per nutum, & renutum excipere responsum, & admonere astantes se auertant, dum infirmus respondet. Admoneat tamen semper Curatus astantes teneri ad sigillum de auditis, vt not. Silu. *confessio, 3. q. 4.* Nauarr. *c. 8. num. 4. & est communis.*

An saltem tunc sufficiat audisse vnum, aut alterum peccatum, vel an confessio debeat fieri integra? Dic faciendam integram, si potest, alias non valeret: quia esse integram est conditio necessaria de iure diuino. Omnes. Porrò in similibus difficultatibus sufficiet mortalia audire, venialia vero omnia vnico contexta confiteri.

105. Qvaest. *Quid aget Curatus cum pœnitente moribundo, qui nolit, præ tedio, vel propter odium, aut aliud simile confiteri?*

Resp. Blandè primum omni possibili artificio conetur eum lucrari; si omnia cedant irrita, asperius eum deterreat de vtilitate sua, respectu maiestatis Dei offensi etiamsi infirmus esse Imperator, & incussione terroris ob vicinum Infernum.

num. Benè etiam mihi cessit quadam die, cum vocatus fuissem ad excipiendam confessionem cuiusdam infirmi qui paulò post obijt? Cum enim non possem eum inducere, vt rectè confiteretur, interrogaui, scis in quo statu maneas, & respondente, scio me malè habere adieci. Imo cum iam iam moriaris & pedes posueris in Inferno, per tua peccata, dormis quasi alienum factum agatur. Multa similia à peritis audiui. At prudentia, & ad ista non nisi periclitante omni spe, & alio remedio deficiente, non apponenda manus. Et diligenter perspicio, in quo consistat tota ratio fundamenti, et quo iste nolit confiteri, & ad hoc demoliendum omnes artes adhibe. Verbi gratia, Iuuenes amore vitæ ægrè se voluntati Dei aptant. Tu hunc amorem discute. Alius amore filiorum, vel vxoris tali malo laborat, cum tamen alias de confessione non curaret, tu dissipa istorum fundamentum malum, & omnia facilitèr benè cadent. Ideò opus est magna charitate, & prudentia, & Deus non deerit. Et si contigerit istum obdurato animo resistere Spiritui Sancto, saltem Curatus videat an possit eum inducere ad actum contritionis maiorem, qui fieri possit. Nunquam tamen absoluendus cum cautela, inquantum possum, & indiges, si, cum possit, nullum peccatum confiteatur, vel non confiteatur integrè, quia hoc priuilegium conceditur solum non potenti confiteri, vt dicitur infra *num. 68.* Et, si iste animo indurato deueniat ad mortem, numquam Curatus eum deserat, sed omnia artificio conetur

illum

illum inducere ad saltem eliciendum dictum actum contritionis, vt vi Sacramenti de attrito fiat contritus, vt dicitur de extrema vnctione.

106. QVAEST. *Quid faciendum, cum recenter vulneratus moritur, & inimicus veniam petit?*

RESP. Vulneratum hunc debere ex animo depellere odium, & Curatus non nisi eo depulso debet eum audire in confessione. Si verò inimicus veniam petit, an vulneratus tenetur veniam dare vulgariter *Dar la pace*, & si noluerit dare, an absoluendus?

RESP. Azor. *Instit. 2. lib. 12. ca. 5. quæst. 7.* non teneri dare pacem, dummodo ex animo verè deponat odium, & desiderium vindictæ: quia, ait, est difficile, & ferè violentum statim ista præstare. Sed cum eodem cap. dicat dare pacem esse signum speciale amoris, ad quod non tenetur aliquis, nisi in præparatione animi, & cum si non ostendatur tale signum amoris causet scandalum; Tu vide, an qui sciuerit pacem peti, & læsum nolle dare, scandalizetur. At credo tunc Curatum posse hunc absoluere cum nitatur opinioni dicti doctoris, quod sufficere dicitur, vt in capitulo de elect. opinionis. Ideò credo Bonum in tali casu, cum non appareat signum probabile infirmum daturum pacem, melius esse non petere, sed dextro modo parochus curabit non peti, ne alicuius offensionem incurrat, ne si fortè petatur, & ille neget, infirmus cogatur carere necessario remedio pœnitentiæ, quæ sine dubio, ratione scandali, illi neganda videretur, nisi malis excusare scandalum, eo quod liceat sequi opinionem Azorij.

107. QVÆST

107. QVÆST. *Quid aget Curatus, cùm vocatus ad infirmum, qui habet casum in quo est dubium super restitutione, & interim infirmus moritur, & non datur tempus consulendæ veritatis per librum vel sapiente?*

RESP. In dubio non obliget ad restitutionem Silu. *conf. 3. q. 10.*

Poterit tamen Curatus obtinere ab hoc pœnitente, vt re benè consulta possit hæredibus restitutionem mandare, nomine mortui, nec dicetur confessionē reuelare de Graff. *p. p. li. 1. ar. 23 nu.*

108. QVAEST. *Quid aget Curatus si sollicitatur à mala fœmina?*

RESP. Millies potius teneri, quàm vel leuiter Deum offendere, & qui ita instructus accesserit non confundetur, nam Deus non derelinquit sperantes in se sed & prudentiæ debentur suæ partes. Vide quæ dicuntur *num. 88.* Et si Curatus aliquid simile sibi obuenturum timeret, posset non audire confessionem istius fœminæ, nisi socio in decenti distantia constituto. Credo tamen bonorum consilium, nam & scio religionem valdè piam ita practicare, nunquam mulieres tangere, quamuis causa, etiam quantumuis honesta, etiam super vestes, & loca honesta, vt brachia, vt inter loquendum quidam faciunt: Nec admittere ad deosculationem manus grandiusculas, puta supra octauum annum, licet blandiri paruulis sit res eorum parentibus grata, & quæ Curato amorem conciliet. Prætereà à toto genere melius est esse cum fœminis asperum, quam placidum, nam & hoc præcidit viam ad malam consuetudinem. Sed & bonum abstinere à non necessaria

cessaria locutione cum fœminis, & necessarium non protrahere vltra sufficientiam.

Pro quo nota. Contingit aliquoties personas religiosas, quæ confitentur singulis octo diebus, & fortè sæpius, dum accedunt ad confessionem immorari tantum, quantum sufficeret pro facienda confessione vnius perditi latronis, & dant multum, quod loquantur astantibus. Tu vide an benè hoc cedat, & tollatur ista admiratio. Postquam personam noueris, non audias nisi mortalia, si habet, vel venialia grauiora, reliqua omnia facias verbo generali eas confiteri, quia ita bene confitetur, & nulla lassatur expectando, & omnis admiratio tollitur, cum ista breuissimè possint præstari. Et si talis pœnitens conqueratur, quasi non planè satisfiat illi tu doce de veritate, & de, non dicam necessario, sed decenti modo se confitendi.

IIO. QVAEST. *Quid aget Curatus vocatus ad infirmum, qui loquelam amisit?*

RESP. Si ostendit signum doloris, seu desiderium confitendi, sed non valet omnino loqui, audiat confessionem per nutus.

Si hoc non potest, sed tamen ægrè poterit, iam iam enim moritur, aperire oculos, stringere manum, pete an doleat de peccatis, & in signum claudat oculos, vel manum tuam stringat, & altero horum faciente, absolue in quantum potes, & ille indiget. Idem agas, si, cum aduenisti, ostendit signum pœnitentiæ tundendo pectus, vel aliud simile, & postea amisit omnem sensum, quia licèt Sotus *dist. 18. q. 2. articulo 5. col. 4. circap. argum.* Nauarr. *cap. 26. num. 28.* Vict. *de confessione concluſ.*

concluſ. 183. & alij negent tali dandam abſolutio
nem, tamen contraria ſententia, quæ affirma
eſt in praxi tuta. Et Suarez *tom.* 4. *diſp.* 23. *ſect.*
numero 5. vocat ſecuram, & exercendam. Cer
nulla iniuria fit Sacramento, cum conditio ſuſ
pendat irreuerentiam, quæ poſſet fieri, ſi aliqu
eſſet Sacramento. Multò magis concedunt om
nes poſſe abſolui eum qui dicto aliquo peccat
ſi deficit, & confeſſionem perficere non valet. V
Graff. *parte prima, libro* 1. *capit.* 26. *numero* 7.

Practica bona. Interroga tunc de communio
ribus ſtatui pœnitentis, per nutus, & renutuer
cipe confeſſionem, numerum verò peccatorum
per oſtenſionem digitorum, ſi fieri poteſt: ſi
non poteſt, meliori modo quo poteſt. Et ſi facta
diligentia poſſibili videris pœnitentem non
poſſe explicare omnia requiſita, abſolue à qui
bus potes, admonito de reficienda integra con
feſſione cum conualuerit.

III. QVÆST. *de iſto caſu. Fui ſemel vocatus a*
excipiendam confeſſionem infirmi, qui poterat lo
qui, ſed ægrè, & dicto vno peccato per horam integ
gram, non potui aliud ab eo elicere, ipſe me audien
te, & præſtupore, vel aliud non reſpondente?

RESP. Si iſte verè non poteſt loqui, nec reſ
pondere per nutus, abſoluendus cum conditio
ne. Inquantum poſſum, & indiges. Si verò alteru
trum poteſt, & non præſtat, non abſoluendus
quia non vocatur confeſſarius, vt diuexetur
ſed vt confeſſionem excipiat. Bonum ta
men erit, admonitum de errore inducere a
confeſſionem, quod ſi aliter nolit agere, & tu il
lum deſere. Verum eſt tamen, quod ſi tibi con
trarium

trarium non constat, tutò potes credere, illum non posse aliud præstare, & hoc credens admoneas de confessione rectè facienda cùm conualuerit, & interim absolue cum conditione: cùm tamen credis, vel dubitas de morte illius, secus, si contrarium scias, quod vix possibile videtur.

112. QVAEST. *Quid si infirmus vocauit Curatum cum magna deuotione, & dicens se velle confiteri, & cum Curatus aduenit infirmus loquelam amisit, & nullatenus potest confiteri. An possit absolui domesticis infirmi fidem facientibus ab infirmo Curatum vocatum fuisse?*

RESP. Suarez *tomo 4. disp. 23. sect. 2. n. 21.* Posse Sed opinio ingerit scrupulum, cum Sot. *vbi suprà*, vocet hunc modum confitendi esse per nuncium, & confiteri per nuncium sit damnatum sub excommunicatione *à Clemente VIII. per decretum relatum à* Candelabro *de confessione. Dixi coram. n. 3.* At opinio Suarez videtur tuta, maximè absoluendo, cum conditione, & inquantum possum, cum nec opinio Soti habeat talem rationem nuncij. Inter alia enim deest, quod mittens sit absens, quod non est, vt patet: & cum simus in pœnalibus stricte accipere debemus, quod non potest fieri in casu nostro. Et si opinio Soti tibi visa fuerit rationabilior, adiuuetur infirmus tunc extrema vnctione *vide cap. 8. nu. 3.*

113. QVÆST. *Quid si pœnitens dicto aliquo peccato, amittat loquelam, & modum perficiendi confessionem, & Curatus cognoscat illum multa debere restituere, vel quia de illis confessus est, vel*

vel quia est publicus vsurarius, aut est in publica excommunicatione, & non possunt imponi, quæ veniunt imponenda, quid agendum? absoluet absque quod aliud imponat, vel an nullatenus absoluet;

Resp. Debere absoluere, cum cautela, in quantũ possum, & indiges. Tol *inst. l. 5. c. 36. n.*

Aduertat tamen Curatus, admoneat eum quod cùm conualuerit teneatur de perficienda confessione, & tunc imponet imponenda. Quòd si postquam conualuerit, nolit vlterius confiteri parochus non curet, quia satis est suo muneri functus.

114. *Et si antequam confessus iste absoluatur, rè expiret, & habeat excommunicationem, & Curatus non possit primò ab excommunicatione absoluere, & deinde à peccatis, quid?*

Resp. Sufficere dicat; Absoluo te, intelligendo ab excommunicatione, & peccatis Candel. *absol. n. 47.* Sed si supersit tempus ob maiorem certitudinem addat, Ab omnibus censuris, consuluit. Suar. *to. 5. disp. 10. sect. 2. in fin. n. 7.*

115. Qvæst. *Quid de isto casu, Infirmus vocauit Curatum, & dictus multis peccatis, dicit se non posse vltra loqui, an Curatus tunc debeat eum absoluere?*

Resp. Medina videtur affirmare. Sed videtur dicendum, tunc confessionem per nutus perficiendam; si hoc non potest, & sit probabile superuicturum non absoluerem, quia de substantia confessionis est, vt confessio sit integra.

Dubium potest esse, An infirmo dicenti non posse vlterius loqui, nec valere per nutus confiteri, melius sit absolutionem dare cum conditione, quam negare Resp

Resp. Et in vniuersum melius credo dare, quia conditio suspendit irreuerentiam, si qua posset adesse, nisi Curatus certas rationes habeat infirmitatem non esse periculosam. Quod an sit admittendum in alio à medico valdè peritò, non falli crediderim.

116. Quaest. *Quomodo audienda confessio eius, qui dicit se peccasse mortaliter, sed non meminisse speciei?*

Resp. Sufficere quod dicat, peccaui mortaliter toties, licèt non recorder qua peccati specie. Nau. *c. 10. n. 7. not. 8.*

117. * Aduertendum tamen *cum* Suarez *to. 4. disp. 22. sect. 9. dub. 3.* quod si veniat pro absolutione, qui habet peccatum, dubium putà quod dubitat, fecerit nec ne, tunc non esse absoluendum, nisi addita materia certa, id est, confessis alijs peccatis certis, quia ista absolutio sub conditione sine certa materia debet vitari quantum fieri potest, si tamen detur, non erit peccatum conditione excusante. Suarez *ibi.*

Quid aget Curatus, si fuerit vocatus ad audiendam confessionem eius, qui est in statu peccati mortalis, an absoluat promittentem exiturum à peccato, vel antequam absoluat debeat ille exijsse è dicto statu mortifero?

Resp. Et distinguo. Aut est in statu peccati mortalis publico, aut occulto. Et in vtroque prius debet exijsse è peccato si potest, quia alias malà sacramenta susciperet. Communis. Dic tamen exemplariter.

Quid est in excommunicatione publica, *vide c. 5. nu. 24.*

Qui est in concubinatu, non absoluatur nisi prius concubina abijciatur, siue concubinatus sit publicus, siue illum sciat vnicus testis. Silu. *concubinatus, quæst. 2.* Si verò concubinatus sit occultus, Silues. ibi ait non esse absoluendum. Nau. etiam idem regulariter faciendum, concedit tamen concurrentibus quatuor causis à se allatis posse absolui. *cap. 3. num. 5.* Ponuntur autem istæ causæ. Et si vrgeat mors, & desit tempus eijciendi concubinam publicam, potest, absolui, si habet propositum eijciendi. Tol *Instit. libro 5. cap. 10. numero 13. concordat etiam cum Nauarr. in hoc ibi. Practica.* In concubinatu publico, & occulto eijciat prius concubinam, si potest, sin proponat quamprimum eijcere, interim procuret non practicare cum infirmo, si possibile est: Si non est possibile (quod vix credo dari, cum non videatur probabile, alios defuturos, qui seruiant) ad nihil aliud obligandus quod tamen non admitterem nisi verè in articulo mortis, & graui morbo. Et si dicti concubinarij moriãtur, sunt sepeliendi in Sacro. *vide n. 120.* Si est meretrix, si sit periculum recidui, puta quia est in prostibulo, & eam possunt inuisere, qui voluerint, etiam ij, qui cum ea peccauerunt, si est in articulo mortis, & ita infirma, vt non possit peccare, poterit absolui stante proposito non peccandi de cætero: Si est periculum peccandi, non absoluatur, iuxta dicta superius.

Practica. Ponas eam in tuto in hospitali vel in domo aliqua honesta, & tunc absolue: si hoc non potest fieri, non sinas visitari nisi à perso-

personis non suspectis, & absoluas. Et si nec hoc permittitur, quia iam iam spirat, absoluas, quia cum hæc nihil plus præstare possit, non vlterius vrgenda.

Vsurarius publicus non absoluatur, nisi prius restituat, si potest, vel saltem det cautionem, *vt dicit. c. 5. nu. 24.*

Practica. Si instet mors, & vsurarius habet propositum restituendi, sed tunc non potest, Curatus faciat sibi promittere, quod restituet, & faciat sibi dare licentiam reuelandi factum Episcopo, & hoc coram duobus testibus, ne accusetur tanquam fractor sigilli pœnitentiæ. Deinde Episcopi partes erunt cogere cogendum. Si verò vsurarius nihil horum potest præstare, & instet, mors, sed solum ostendit signa contritionis, absoluatur cum conditione, si possum, & indiges. Tol. *inst. li. 5. c. 36 nu. 8.* Et tunc potest sepeliri in Sacro.

121. Vsurarius verò occultus non absoluendus, nisi prius restituat.

Practica. Induc ad restitutionem si, non potest, cõfiteatur debitum coram tabellione, & testibus, & det cautionem, & tunc absolue. Silu. *vsura 9, qu. num. 5.*

122. Si verò nihil horũ potest, & mors vrgeat, absoluatur, vt est dictum de vsurario, publico.

123. Quando verò vsurarius siue publicus, siue occultus alias restituere promisit, & non præstitit promissum, & nunc habet causam rationabilem, vel non restituendi: vel non restituendi statim, absoluendus est cum proposito hoc præstandi cum poterit, Nauar. *cap. 17. num. 59 not. 4.*

Si verò peccator in occasione peccati mortalis, non absoluatur; nisi prius occasionem relinquat. Communis. Nauar. *tamen capit. 3. numero.* Concedit etiam posse absolui occasione non præcisa in quatuor casibus.

Primus est. Quando pœnitens verè est contritus. Secundus, Quando habet verum propositum non redeundi ad peccatum. Tertius. Quando habet propositum semper cauendi. Quartus. Quando adest aliqua causa rationabilis non abstinendi ab ea occasione, vt habet, qui peccat cum cognata quæ manet in eadem domo & non potest ab ea separari. Et similes causæ.

124. QVAEST. *An qui semel promisit restitutum vel relinquere occasionem, & postea non stat promissis, sit denuo absoluendus?*

RESP. Concurrentibus dictis quatuor conditionibus, semper etiamsi millies, posse absolui. Nauar. *c. & num. dicto 1.*

24. QVÆST. *An Curatus omnium infirmorum confessiones domi excipiat?*

RESP. Si verè infirmus non possit adire Ecclesiam, domi excipiendus si potest, quia idem infirmus discedit à domo longius, quam sit Ecclesia, librum esse audire, & non audire. Contigit mihi aliquoties vocatum fuisse ab eo, qui tota die vagabatur, credo vt citius expediretur, & ne cogeretur diutius in Ecclesia expectare. Expedit aliquoties non audire, vt discant Sacramenta honorare, maximè rudiores, & magni peccatores sed & est bonum hos vltimos, & credo melius, quandocunque veniunt, amplecti.

126. QVÆST. *In quo habitu Curatus confessiones infirmorum domi excipiat?* RESP.

Resp. Conformet se consuetudini loci scitæ, & probatæ, & si sit corruptela, saltem habeat talares, vel detentiores, quas poterit.

127. Qvæst. *Quomodo Curatus curabit ne sui infirmi inconfessi moriantur?*

Resp. Moneat Episcopum, & iussa exequatur. Vigilet semper vt medici, iuxta canones, & Bullam Pij V. infirmus confessionem præcipiant, & si defecerint, Episcopum moneat. Vt autem ab illorum imaginatione euellat, si resident, conceptum illum, quo sibi parum conuenire, & multum infirmis nocere asserunt, si de confessione admoneant, hortetur eos, vt tamquam quid certum statuant, omnes in tertia visitatione, de confessione admonere, & sic fungentur officio suo, & ab infirmis omnis suspicio euelletur, cum viderint tanquã rem ordinariam cum ipsis agi.

128. Qvaest. *Qualem, & quantam pœnitentiam det Curatus moribundo?*

Resp. Paruam, quam possit perficere, si iam moritur. Imò etiam nullam, quando videt defuturum tempus ad eam perficiendam. Nauar. *cap. 26. num. 21. vide sup. numer. 55.*

Expedit globulo benedicto, qui largitur indulgentia inuocanti nomen Iesv accommodatum infirmo, eum ad talem indulgentiam lucrandam, quæ sæpè est plenaria, animare, & instruere. Potest etiã monere infirmũ, vt petatà domesticis & pro illo talia, vel talia agant, & per ipsos faciat adimplere pœnitentiam: Sed moneat, ne dicant esse pœnitentiam. Potest etiam, si infirmus sit diues, pœnitentiam in eleemosynam commutare. Potest etiam nullam omnino dare, *vt est dictum nu. 59.*

Si verò infirmus creditur superstes futurus der pœnitentiam, secundum regulas generales doctorum.

129. Sed nunquid, si Curatus in tali casu dare pœnitentiam congruentem, & ipse postea eam impleret pro infirmo malè ageret? Tu esto arbiter.

130. QVAEST. *An Curatus possit recipere pecuniam pro Missis dicendis, & eleemosyna faciendis pro pœnitentia imposita?*

RESP. Non omnia quæ licet expedire debent licet enim recipere, si hoc sit citra scandalum & si pecunia sponte à pœnitente offeratur. Attamen bi cura de bono nomine, & melius ageres si mittere ad alium, etiamsi tu alteri largiendo assumeres. Concordat *de* Graff. *p. 3 l. 1. c. 31. n.*

131. QVAEST. *An pœnitentia imposita à primo confessario possit mutari à secundo, stante ipsa causa?*

RESP. In tota hac quæstione sermonem esse de pœnitentia punitiua, quia præseruatiua dum modo rationabilis, & possibilis nunquam mutatur. Igitur in hac re quatuor reperio sententias. *Prima est* Nau. *c. 26. nu. 22. & citatorum ibi* Tol. *inst. lib. 3. c. 11. n. 11.* posse non reiterata confessione eorumdem peccatorum. *Sed* Suarez *infrà nu. 3.* vult hunc modum esse impossibilem & illicitum.

Secunda est Silu. *Conf. p. q. 27. & citandorum* Candelab. *de satisfactione n. 36. & sequentibus* Sot. *d. 20. q. 2. ar. 3.* qui vult superiorem posse mutare pœnitentiam datam ab inferiori: sed non æqualem datam ab æquali; & hoc vult faciendum

dum iterata confessione eorundem peccatorum.

Tertia est Henriquez *de pœnit. lib. 2. ca. 22. nu. 1.* qui concedit commutationem prædictam absque reiteratione confessionis eorundem peccatorum *vt*; Nauar. *&* Tol. Sed tamen in confessione aliorum peccatorum, *& n. 4. addit* virum pium, & doctum de confessarij consilio posse sibi mutare.

Quarta est Suarez *to. 4. disp. 38. sect. 10. qui concordat* Soto: sed addit hoc agendum in pœnitentia data tam ab æquali, quam ab inferiore, & superiore, super peccata non reseruata, & etiam commutationem pœnitentiæ peccatorum reseruatorum: dummodo superior non reseruauerit sibi talem commutationem: & dummodo necessitas vel vtilitas ita expostulent: puta quia recursus ad superiorem difficilis; & vrget mortalis necessitas, quæ quanta debeat esse, vt excuset, relictum prudenti. Talem Suarez ibi existimat eã, per quam Episcopus vel superior potest in ordinarijs præceptis Ecclesiæ dispensare.

132. Practica Si eueniat pœnitentia commutanda, quæ sit data claue errante, vel quæ fuit iusta, cum data fuit: sed postea pœnitens factus est impotens ad eam implendam; vel superuenit causa eum excusans implere, Curatus declaret talem pœnitentiam non obligare, ex Suarez *ibi*. Et vt pœnitens consolatus recedat, aliqua vel ex impositis, vel alia proponat exequenda, quæ tamen non obligabunt, nisi ad modum consilij: id est citra mortale: cum alias pœnitentia secundum communem ex suo genere obliget ad mortale licet Caiet. Satis. neget. Si autem

veniat habens pœn. quam potest implere, sed cum difficultate, si difficultas est superabilis non mutet, si est dubium de superabilitate, commutet dispensanda in eo, quod deest illi de iustitia; *iuxta dicta capit. 12. numero 25. & hoc iuxta opinionem* Tol. & Nauarr. & inter causas excusantes erit periculum malè implendi primam pœnitentiam, fragilitas pœnitentis; occupatio primi confessarij, absentia, censura, vel similia. Henriq. vbi supra.

133. QVÆST. *Quomodo commutanda pœnitentia, cum per iustam causam commutatur?*

RESP. Posse commutare iuxta aliquam ex his pradictis quatuor sententijs; è quibus quartam credo rationabiliorem, & tunc potest augeri, minui, vel etiam ad libitum tolli; si pœnitentis dispositio ita exigat, vel lucratus fuerit indulgentiam. Suarez ibi adde, vel lucranda sit indulgentia.

134. QVÆST. *Intra quantum tempus à confessione pœnitentia mutanda absque confessionis reiteratione?*

RESP. Sot. *dist. 20, quæst. 2. art. 3.* velle intra tres dies recurrente pœnitente: alij docent intra octo dies Cand. *de satisf. numero 36. extendit ad plures.* Suarez *ibi, num. 4.* ait, si intra tempus adeo breue fiet vt mortaliter possit existimari idem iudicium præsens: præsertim si confessarius causam memoriæ retinet, & subest causa rationabilis prædictæ commutationis. Duo possumus in hac re considerare. Primum est conueniens impositio pœnitentiæ, & ad hoc requiritur memoria peccatorum auditorum. Secundum

cundum est absolutio pœnitentiæ, seu perficere Sacramentum sua absolutione; ita vt quoad hoc dicatur perfectum, cum accesserit absolutio, & ad hoc non requiritur certum tempus. Nam in confessione generali quæ potest durare per multos dies, ritè datur absolutio in vltimo, & omnes conueniunt. Ideo ad quæstionem dicitur, durante memoria peccatorum auditorum, semper posse commutari pœnitentiam.

A. VICTORELLI
Ad Caput VII. Notae.

VBilibet intellige de eo peccatore, in quem habeas iurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Nonnulli Parochi præter ordinariam facultatem, in sibi subditos obtinet, petendo ab Episcopo, delegatam, ad omnes homines illius diœcesis audiendos.

Summus Pontifex, Episcopus (hi etiam pro foro exteriori, ille in tota Ecclesia, hic in sua diœcesi) Parochus ordinariam habent pro Sacramento pœnitentiæ, iurisdictionem. Pontifex eminentiorem immediate à Christo Episcopalem iurisdictionem habere iure diuino, quidam; iure humano. S. Tho. *2.2.q.39.ar.3.* Caiet. *to.1. opusc. to.1.c.2.* Io. Med. *q.39 de conf.* Turrecr. *li.2.ca.14. Summæ de Ecclesia affirmant; &* Suarez *to.4.d.25 sect.1.* vbi docet, cum Episcopali munere ordinariam, in foro pœnitentiæ, iurisdictionem coniunctam esse, omnesque Episcopos pastorale munus, per Summum Pontificem, vel ab illo dependentem habere. Vbi non immediate à Chri-

sto (vt Summus Pontifex) sed ab eo per eunde
Summum Pontificem; & hoc sensu humano iu
iurisdictionem habent: quamuis diuino iure
stitutum sit à Christo: vt Petrus, & succesſo
Ecclesiam Episcopis in partem solicitudinis a
hibitis, gubernent.

Parochus in hoc eodem foro, ordinarius est
bi creditarum animarum index sed non hab
immediate (quicquid dicat Sot.) iurisdictione
& vocatur proprius sacerdos, *cap. omnis vtriusq
de pœn. & remiſ.* Hæc iurisdictio non locis,
personis clauditur; quare Episcopus, & Paroch
suos subditos vbicumque absoluere possu
Pontificis Summi iurisdictioni totus orbis su
iectus est; pro vtroque foro.

*Regula est, ex ca. inter cætera, de off. ord. &
omnis cir.* ordinario iurisdictionem suam delega
re posse: sed Parochus est ordinarius: ergo iuris
dictionem suam delegare potest; sacerdoti ta
men ad audiendas confess. exposito V. Tol. *lib.
cap. 13. 6.* Ratihabitione de præsenti delegat iu
risdictionem, *putat* Sot. *4 dist. 18. quæst. 5. art. 3.*
Nau. *cap. 9. n. 6. & alij*; at plures alij negant; quos
refert, sequiturque Suarez *d. 26. sect. 1. num. 13.*

Quoad consuetudinem, Suarez *sect. 2. l. cap.
num. 2. ait neminem* (art. mortis excepto) iuris
dictione propria delegata instructum esse, ex
consuetudine cũ de nulla huiusmodi consuetu
dine cõstet, *& d. 27. sect. 3.* consuetudinem, ait
non dare facultatem elegendi confessorem; sed
fieri posse, vt sit signum facultatis, per tacitum
consensum concessa.

9. Tertius si offendit. Suarez *dist. 25. sect. 1. nu.
18.* certum putat, ratione delicti; in hoc iudicio
iurisdictionem non acquiri. 13. In

13. In morte esse clarum.] Posse illum sacramentaliter, in articulo mortis, absolui, qui nequit crimen aliquod, in specie, fateri, sed signa tantum contritionis ostendit, negant Abul. *quæst.* 43, *in cap.* 16. *Matth.* Sot. 4. *d.* 18. *quæst.* 2. *articul.* 5. Nauarr. *cap.* 37. *numero* 298. Lopez 1. *Instruct. capit.* 18. Cano. *Relect. de pœnit.* Affirmant, *& verius*, Angel *Confessio* 4. *n.* 8. Silu, *eod.* 1. *nu.* 16. Ant 3. *part. cap. de infirmis tit.* 2. Ioan. Med. *quæst.* 39 *de confess.* Tolet. *li.* 3, *ca.* 8. Corduba *quæst.* 29. *de Indulg. lib.* 5. Bellarm. *li.* 2. *capit* 7. *de pœnit.* Greg. de Val. *tit.* 4. *d.* 7. *quæst.* 11. *par.* 1, Suarez *titulo* 3. *p.* 69. *sect.* 2. *titulo* 4 *d.* 23 *sect.* 1. (vbi hanc sententiam probabiliorem, in praxi tutam, & vsurpandam, dicit) Ruardus Tapp. *art.* 3. *contra Lutherum.* Henriquez *libro* 3. *cap.* 10. *de pœnit.* Sanchez *li.* 2. *d.* 36. *de matr.* Rodriquez *part.* 1. *cap.* 59. Cand. *de absolut. numero* 71. Sa. *v. absolutio nu.* 10. Sacerdotale Rom. *c.* 29. Fundamentum habet hæc sententia, in quibusdam sacrorum Canonũ locis lege *cap.* Qui recedunt, *ex Conc.* Aurisi. *libr.* 15. qui ex pœnit. *ex Concil. Cartag. cap* His, qui in tempore, *ex Leone* 26. *quæst.* 6. *cap.* Ægrotantes, *ex conc. Cartag. de consecra. d* 4. *& fulcitur rationibus à* Suarez *allatis tit.* 4. *l. c.* Si te vrgeat scrupulus, absolue, sub cõditione. Idẽ de amente dicendum, qui ante amentiam signa doloris edidit, Sa. *l. c. vide ca. Qui recedunt cap. eis, qui* 26. *quæstio.* 6.

Sanum, qui, ob linguæ ignorantiam, non omnia detexerit, posse absolutionis beneficio affici, non est improbabile, Sa. *v. Absolutio n.* 9. Nau. *cons.* 9. *de pœn. & remiss.*

19. Consuetudinem non dare iurisdictionem,

testatur Suarez *tom. 4. dist. 27. sect. 3.* sed esse argumentum concessæ per tacitum consensum facultatis; de quare supra

24. Qui nihil vult confiteri, nisi interrogetur non est capax absolutionis. V. Sa. *v. confessio n.*

Confessarius ne sit nimis in interrogationibus; ne forte doceat pœnitentem, quæ nesciat aut se, vel illum in alicuius lethalis culpæ periculum conciliat. S. Thomas *4. dist. 16. q. 3. quæ sequuntur* Sot. *d. 28. q. 1. a. 4.* Suarez *to. 4. d. 32. sect. 3. & alij.*

Si Confessor sciat, pœnitentem diligentem quidem fuisse, sed tamen omisisse mortale peccatum, tenetur eum interrogare, ob integritatem iudicij: *M. 4. dist. 19.* D. Tho. *& alij*, Suarez *etiam l. c.*

Quando interrogas pœnitentem rudem aut parum suæ salutis cupidum de mortali crimine seu de mortali circumstantia considera, an respondeat, se accusans, & dolens; an vero, tantum narrans; si hoc modo, da operam, vt grauitatem criminis, aut circumstantiæ cum dolore agnoscat; & rite omnia explicet, cum proposito non peccandi de cætero. Hoc in praxi apprime obseruandum: multi enim interrogati, explicant grauia crimina, & lethales circumstantias sed infructuose, immo sacrilegium patrantes; quia sine vlla attritione hoc faciunt, 25. V. Sa. *v. confessio n. 40.*

29. Tutiorem eligant pœnitentes viam.

30. Absolutum à reseruatis ab eo, qui poterat, animo incapaci absolutionis, quicumque sacerdos expositus absoluere potest: iam enim

scelera

scelera amplius reseruata non sunt: Sà. *v. casus, n. 7.* Silu. *conf. 1. num. 21.* Caiet. *v. casus, tom. eodem nu. 4.* S. Ant. *3. p. tit. 14. cap. 19. §. 7.* Comitol. *li. 1. q. 30. resp. mor.*

31. Qui non explicat, aut qui negat crimen, quod tu ex alterius confessione ab eo admissum cognouisti, absoluendus est; altero tamen consentiente, caute & prudenter mendacij abs te argui posset, *v.* Sà. *v. absolutio nu. 14.* Nau. *c. 8. n. 17.* Siluest. *confess. 3. n. 10.*

32. Ignorantia, quæ à peccato excusauit, cum quis inualidè est confessus, à repetenda eorum criminum confessione excusabit. *v.* Suarez *tit. 4. dist. 20. sect. 4. n. 21.*

33. De pueris lege Suarez *tom. 3. dist. 70. sect. 1. tit. 4. dist. 70. sect. 1. tit 4. dist. 36. sect. 2.* & quæ à me notata ad *cap. 11. lib. 6. Instruct. Sacra. Card.* Toleti.

Qui, cum esset puer, nesciebat, aliquid esset lethale scelus: cum cognoscit; illud explicare, sat est. Nau. *c. 9. n. 15.* Sà. *v. Confessio 33.* sed est explicandum omnino.

34. Præceptum de confitendo semel in anno non obligat, pro determinata anni parte. Suarez *tom. 4. dist. 36. sect. 3.*

35. Excommunicatus occultus &c. Excommunicatum, ad scandalum vitandum, posse Eucharistiam sumere, *negauit* Sot. *4. d. 12. qu. 1. art. 4. affirmant* Corduba, *casu 142.* Silu. Euchar. *2.* Angles de Euch. Viualdus *de eadem numer. 125.* Nau. *cap. 27. num. 239.* Lopez *part. 2. ca. 93.* Azor. *lib. 10. cap. 31. part. 1. qu. 6.* Sà. *v.* Euchar. *2. num. 2.* Angles de Euchar. Viualdus *de eadem num. 125.*

Nau. *c.* 27, *n.* 239. Lopez *p.* 2. *c.* 93. Azor. *l.* 10. *c.* 31. *p.* 1. *q.* 6. Sà. *v.* Euchar. *n.* 13. *Vide etiam* Comitolum *l.* 1. *q.* 43. *Resp. mor.* Suar. *tom.* 3. *d.* 66. *sect.*

Admiratio quædam populi non est causa sufficiens vt quis, post lethalem culpam, animo confessione non expiato Eucharistiam suscipiat Suar. *l. c.*

44. Ratione excommunicationis Parochus potest absoluere (in foro conscientiæ) ab excommunicatione à iure nemini reseruata Silu. *absol.* 1. 4. S. Tho. S. Bona. 4. *d.* 14. Nau. *c.* 27. *n.* 39. *citatq;* Host. & Innoc. Tol. *lib.* 1. *cap.* 17. & fin. ab homine generalis Sà. *v. Absolutio ab excom. n.* 15. Nisi Episcopus loci reseruet sibi absolutionem à maiori excommunicatione.

Absoluat Episcopus, &c. Episcopus à quibuscumque occultis casibus, summo etiam Pontifici reseruatis, quoscumque sibi subditos, in sua diœcesi per se, aut per Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ absoluere potest Conc. Trid. *sess.* 24 1. Licet, de ref. derogat huic facultati clausula Bullæ in Cœn. dom. quoad eas excommunicationes quæ in ea expressæ sunt. 48. Omni exposito.) Tol. *li* 3. *ca.* 13. Graff. *l.* 1. *ca.* 13. *n.* 46. Soti sententiam tutiorem putat *Com. l.* 1. *q.* 28. *resp. mor.*

De modo absoluendi à reseruatis diligenter, & scite Suar. *to.* 4. *d.* 31. Comitol. *l. quæst.* 29. *breuiter & scite* Sà. *v. Absolutio, num.* 24. *non male* Rodriq. *p.* 1. *c.* 55.

De casibus reseruatis, Lælius Zecchus. Io. Chapeauile, & Graff *scripserunt*. Ego quoq; multa huc spectantia collegi; quæ in vnum, illudque exiguum,

exiguum, volumen coniecta Deo duce, cũ breui casuum varijs Episcopis reseruatorum explicatione fortasse edentur! opus ante 6. annos inceptum. Mortuo, vel amoto Episc. quilibet Confessor à casibus, quos ille sibi reseruauerat, absoluere potest: Bart. Met. *l. 1. c. 10. inst.* Sà. *v. Absolution 20.* Graff *l. 1. c. 4. regul. 11.* Practicę quinque casuum: nisi reseruati fuissent per modum perpetuæ constitutionis.

52. De diuersitate opinionis confessarij ab opinione pœnitentis. Nauarr. *ca. 26. num. 4.* Ioan. Med. *quæst. 19. de confess.* Comitolus *lib. 5. qu. 16. Resp. mor.* Suarez *to. 4. dist. 32. sect. 5.* Conrad. *qu. 100. de contract.*

Pœnitentem ritè dispositum sententiam practice probabilem sequentem, (etiamsi illa in tertij detrimentum cedat) quilibet confessarius qui illius confessionem excepit, tenetur, si aliud non obstet, absoluere: est enim bene dispositus, & contra conscientiam non agit. *Suarez lib. cap.* Quicquid alij senserint, excipientes, quando confessor non proprius, sed delegatus est, & suam sententiam probabiliorem putat.

Si pœnitens dubia nitatur ratione, Confessarius autem ratione, aut textu claro non potest hic illum in sua sententia, quæ probabilis non est, perseuerantem absoluere. Potest tamen iubere pœnitenti confessarius, vt contrariam, sed probabilem sententiam amplectatur. *Ita* Ioann. Med. *q. 19. de confess.*

58. Pœnitens rationabilem pœnitentiam à confessario impositam recusare non potest Con-

Confessarij (*iussu* Conc. Trid. *sess. 14. c. 8.*) salutares pœnitentias imponere debent: ergo & pœnitentes suscipere. *Vide eiusdem sessionis:* vbi pœnitentis actus, contritio, confessio, & satisfactio quatenus in pœnitente, ad sacramenti integritatem, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem, ex Christi institutione, requiruntur, pœnitentiæ partes appellantur. *Vide* Greg de Val. *to. 4. d. 7. qu. 14. part. 4.* Comitolum *lib. qu. 25. Resp. mor. & alios citatos à me Aphorismo* Sà. *v. satisfactio n. 4. & à* Suarez *to. 4. d. 38. sect.* docente, posse pœnitentem obligari à Confessario ad acceptandam, implendamq; satisfactionem; quam sententiam (puram de fide à Victoria) sine temeritate improbari non posse, ai cum à Tr. Syn. aperte quasi definita sit: addit etiam hanc obligationem ex genere suo grauem obligare sub mortali.

Non potest Confessarius, vt plurimum pœnitentem obligare; vt satisfactionem, ante absolutionem, peragat: nisi rationabiliter putet satisfactionem ab eo omittendam, si absolutionem præmittat. Potest etiam, ac interdum debet absolutionem differre, donec pœnitens satisfactionem in alia confessione iniunctam perficiat: & si pœnitenti vtile remedium putet, satisfactionem absolutioni anteponere, id præcipere potest, & pœnitens parere tenetur: sed si alia, æque vtilia remedia habeat, & hoc pœnitenti non placeat, aliud aliaue vsurpet: eiusque desiderio satisfaciat. *Vide quæ* Xauerius *apud* Tursellinum *lib. 6. cap. 17.*

68. Cum munus Confessarij sit pœnitentium animis

animis mederi, eorumque saluti consulere, ius habet, ad ea, pro animorum curatione præscribenda remedia, quæ eorum vulneribus medicinam afferre, eosque à lapsu in scelera præseruare possunt Pœnitentes remedia præscripta à Confessarijs accipere; & ad vsum reuocare debent. Quod si plura remedia præ manibus Confessarius habeat, eaque eadem instructa vi, & vnum, aut alterum pœnitenti displicet: aliud, aut alia proponat: vt is eligat, quod malit: sic hominis imbecillitati, & saluti consulet. *Ex* Suar. *similia hauries to. 4. disp. 38. sect. n. 7.*

De arbitraria satisfactione Sacramentali Valerius Reginaldus *cap. 18. de prudentia Confessarij.*

Si dubites, an absolueris pœnitentem, absolue, sub intellecta conditione, si non absolui. *Vide* Sà *Absolutio, num. 11.*

71. De articulo mortis nonnulla diximus *ad cap 5. num. 18.* [Absolutus verò, &c. ab excommunicatione Canonis, vel hominis in mortis articulo, si transacto periculo, & impedimento, ei à quo absoluendus erat, extra articulum, se præsentare contemnat, mandatum eius super ijs, pro quibus fuerat excommunicatus, recepturus, & satisfacturus, in eandem excommunicationem recidit: *sic* Bonifacius VIII. *cap. eos qui de sentent. excommun. in 6.*

Si hic, qui beneficium absolutionis, imminente morte, accepit, illi pareat à quo alias absoluendus erat, in eandem excommunicationem non relabitur; si non se præsentet; quia cessat ratio legis: neque enim se præsentem exhibere debet,

bet, vt absoluatur; sed vt pareat, & satisfaciat. Nau. *cap. numer. 26. probatus* Sà *v. absolutio in excommunicatione numer. 6. at* Suar. *tom. 4. dis. 30. sect. 3. numer. 6.* Nauarri sententiam non probat; quia cessante fine præcepti præceptum non cessat. Adhærentem Nauarro non damnarem.

72. *V.* Tol. *l. 1. c. 15. vel 16.* Suar. *li. ca.* tuetur sententiam, quæ placet Viual.

73. Si adsit superior, vel adesse facile queat à quo excommunicatio tolli potest sacerdotem in art. mortis absoluere non posse, censet Tol. *lib. 1. cap. 16.* non improbabiliter, citataq; Innoc. contraria sententia non displicet. Simplicem sacerdotem, à moriente rogatum, posse illum absoluere, *affirmat* Sà. *v. Absolutio, nu. 3. &* Comit. *l. 1. q. 22. Resp.* mor. licet adsit Parochus, vel alius Sacerdos approbatus.

Verum Suarez *tom. 4. D. 26. sect. 4.* simplicem Sacerdotem, ait, non posse, in articulo mortis absoluere, si adsit Sacerdos approbatus, ad confessiones audiendas, etiam alterius diœcesis; quia, approbato Sacerdote præsente, necessitatis articulus deficit, affert simile ex ijs verbis, *cap. presbyter, 26. q. 6.*) [Nisi absente Episcopo extrema necessitas cogat.] Sed si moriens Papalis excommunicationis laqueo irretitus sit; & adsint proprius Parochus, & alter Sacerdos, qui priuilegio Pontificis eam excommunicationem tollere posset; poterit Parochus absoluere morientem, quia ex Concilio Tridentino nulla est in articulo mortis reseruatio. *Sic* Suar. *sect. 3. n. 5. lib. 6. & bene.*

74. Quam

74. Quam citò commodè poterunt, ait Bonifac. VIII. *c. eos, qui de sent. excom. lib. 6.*

78. [Vnum, aut alterum, &c.] Si ægrotus dixit, quæ potuit, absoluendus est; ne fortè sine confessione migret è vita. Sà. *v. Absolutio, nu. 9.* Vict. *n. 194.* Rodriquez *p. 1. c. 59. nu. 6.*

Si non absoluta confessione, deliquium animi ægrotum cum periculo vitæ corrupiat, absolue: si eum deliquium deserat, audi cætera crimina, quæ is potest exprimere, eumque iterum absolue: hoc enim nouum Sacramentum, est, assentitur Suarez *to. 4. D. 23. sect 2.*

84. Lubricum negotium non necessaria & longiora colloquia habere cum fœminis: in his ingens periculum, exiguum, aut nullum lucrum. Ne fidas facilè muliebri ingenio, apud viros potius, quam apud mulieres tempus & operam impende: tutius ages, & maiora lucra capta. bis. His consentit sanctus ille vir Franciscus Xauerius, qui Euangelij lumen ad Indos detulit. Legat obsecro, mulierum confessarius egregium librum Didaci Perez; cui inscriptio. Monita spiritualia: & quæ Xauerius apud Turscll. *lib. 6. cap. 17.*

Doctus Theologiæ professor, magni æstimatus, mulierculæ, cuius patrem spiritualem agebat, familiaritate deceptus, credidit eam, vt eadem iactabat, ingentia mysteria ab Angelo edoceri; se illi discipulum exhibuit praua mentis cęcitate, in multas hæreses incidit: credidit se Regem, Pontificem esse, Angelis, & Apostolis sanctiorem dixit, se oblatam sibi vnionem hypostaticam recusasse, & se, quoad efficaciam,

vt

vt aiebat, orbis redemptorem. Nullis disputationibus rectè docentium Theologorum ad mentem, & fidem reuocari potuit, quare Iudicis sententia, corpus eius abijt in cineres. *Hæc multis narrat* P. Ioseph Acosta *lib. 2. cap.* 11. de Nouissimis temporibus, & recenset Martinus Delrio *lib. 4. cap. 2. Q. sect. 3. Magicat. Disquisitio* 82. Contraria sententia, &c.] *De hac re ad nu. 13. huius cap. 89.* Ingerit scrupulum, &c.] Quamuis Sot. hunc confitendi modum per nuncium vocet: non tamen de illo Clementis VIII. decretum loqui videtur: sed de modo confitendi per nuntium propriè, non censendus Pontifex Sacris Canonibus repugnare, hos per lege.

Concil. Arausic. *cap. 3. c. qui recedunt 26. qu. 6. hæc habet.* [Subito obmutescens (prout statutum est) baptizari, aut pœnitentiam accipere potest; si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis suo nutu.

Conc. Carthag. *4. cap. 76. c. is qui, l. c. hæc.*] Is, qui pœnitentiam, in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierũt, & accipiat pœnitentiam; & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.

Leo *epistola octuagesima nona ad* Theodo. *hæc.*] Quod si aliqua ægritudine ita fuerint aggrauati; vt quod paulo ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium, & circũstantium prodesse debebũt; vt simul, & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.] *c. His, l. c.* Concil.

Concil. Carthagin. *in 3. cap. 34. de Consecrat. dict. 4.* [Aegrotantes, si pro se respondere non possunt, cùm voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur; similiter, & de pœnitentibus agendum est.]

Nauarr. *cap. 27. num. 268.* de Sacramentali absolutione Canones loqui negat. *affirmant* Tol. *l. 3. c. 8.* & Suarez *tomo 4. D. 23. sect. 1.* qui decretum Clement. VIII. de confessione per nuncium, aut litteras non instituenda, vidit. & Gregor. de Val. *tom. 4. D. 7. q. 11. part. 1. Concilium* Cartag. *4. c. is qui, 26. q. 6.* de Sacramentali absolutione loqui, docet.

Qui iura explicant de absolutione ab excommunicatione, falluntur. Post mortem absolui potest excommunicatus, *cap. A nobis, el secundo, de sentent. excommunicat.* Excommunicati etiam inuiti absolui possunt; at Canones, eos dicunt reconciliandos, qui reconciliationis voluntatem præ se tulerunt Præterea non Sacerdotes ab excõmunicatione absoluere possunt; sed non à peccatis, & *Concil.* Carthaginen. (cap. is qui) Sacerdote loquitur.

Præterea, Baptismus, & Pœnitentia sunt Sacramenta apprime coniuncta: illa omnibus, hæc lapsis necessaria; & dicitur secunda tabula, (*c. secundo de pœnit. dist. 1.* Conc. Trid. *sess. 6. c. 14. & sess. 14. can. 2. de pœnit.*) sed Canones, ægrotantes, & qui recedunt de Baptismo, & Pœnitentia loquuntur: ergo de Sacramento.

91. *Vide notata ant. num. 78.*

94. De concubina pellenda, antequam concubinarius absoluatur. Silu. *v. concubinarius, n. 2*

96. De

96. De publico vsurario ad num. 18. cap. 5.

97. De euellendis mortalium peccatorum occasionibus, Lopez *tom. 1. part. 1. à cap. 19.* Tol. *lib. 3. cap. 18.* Rodriq. *part. 1. cap. 49.*

104. Vir, probitate, & zelo animarum insignis, Franciscus Xauerius pecuniam neque restitutionis, neque eleemosynæ nomine pauperibus diuidendam à Confessarijs accipi volebat. Turfell. *lib. 6. ca. 17. Vitæ* Xauerij.

Ex eodem insigni animarum medico, Francisco Xauerio, præclara monita, Confessor, hauries *apud* Turfell. *l. 6. c. 17.*

Comitate pœnitentes excipe; efficiet comitas, vt ij latens scelerum virus euomant, abditaque animarum vulnera ostendant. Enitere omni ope, vt cogitationes animum incursantes, tentationesque omnes explicent. Malè cum ijs agitur, si seueritate Medici, scelera, ignotasque alijs dæmonum impugnationes silentio supprimant. Timidis comitate animum adde. Diuinam clementiam effer, grauiora aliorum crimina te agnouisse pronuncia: narra scelestorum hominum exempla, quos pœnitentia ductos in gratiam recipit Deus, mirisq; beneficijs cumulauit.

Vbi latentia vulnera agnoueris, aptis verbis eorum grauitatem, fœditatemq; aperito, ponitoq; ante oculos, & illa æternarum miseriarum supplicia, quibus scelestos apud Inferos, & illa, quibus in hac vita nonnullos ex ijs, cruciare cõsueuit Deus. Differenda, (cum id profuturum censes) interdum absolutio, & ea proponenda, quæ hominem ad cognitionem, odiumq; flagitiorum excitent.

In imponenda satisfactione (differt satisfactio pro admissis criminibus à remedijs, quæ Confessarius proponit, ne animus in scelera recidat) D. Thom. documentum obuijs vlnis excipe.

Caue ne pœnitenti ita grauem pœnitentiam proponas, vt is vniuersam dimittat; sed nec leuem nimis, ne peccatum spernat, aut ex leuitate libentius ad cœnum facinorum redeat. Misce misericordiam seueritate. Tutius est minorem, quam maiorem iniungere. Nimia misericordia facilius quam nimia seueritas excusationem habet apud Deum. Iteranti peccatum maiorem præscribere satisfactionem. *Hæc* D. Tho. *l. c.* Sed alijs verbis.

Non festinata, sed diligenti opera cum confitentibus agendum est. Vna rectè instituta confessio *multis* cursim, vtcumque confectis anteponenda.

Exceptis confessionibus, latentes animi tui recessus percurre, seduloque considera, an culpam aliquam, dum alienis culpis eluendis operam nauares, admiseris. Si culpam inuenias, dole, veniam à Deo pete, remedium adhibe, eamque in posterum corrige.

Si is, qui confitenti aures præbet, hominem malè de fide loquentem audiuit; præcipe illi, vt Censoribus fidei auditam hæresim detegat: Sed animaduerte, quæ Petrus Nau. *li. 2. c. 4. de Restit. n. 209 his verbis pronunciauit.*

Ex quibus colligo malè facere, & grauissimè peccare eos, qui denunciant errantes in fide, lapsu quodam linguæ, & si sint Prælati, & Doctores; nam vel leuissima culpa, vel nulla fieri solet:

in

in quo iniustè famam lædunt, & alia damna committunt, ac per consequens ad restitutionem tenentur. Secundò idem dico de ijs, qui inter disputandum, & concionandum, nonnulla ex iniuria quadam, & inconsiderationem dicunt: quos omnes, certum est, non ex animo velle Ecclesiæ iudicio contrauenire. Vnde eos monere prius debent; an id verè, & ex animo sentiant. Tertio idem dicendum de simplicibus, qui simplicitate quadam, errorem aliquem dicere solent. Hi enim cum charitate sunt *prius* instruendi, potius quam procedendi, cum constet eos paratos ab Ecclesia corrigi.

Hæreticum, qui respuit, non esse denunciandum, *docet* Sot. *de ratione teg. num. 2. quæst. 4.* Corduba non idem omnino sentire videtur, *l. 1. cap. 43.* Hæreticum admonitione corrigendum denunciandum non esse, D. Thom. *auctor est, 2. 2. quæstion. 33. articulo septimo.* Denuntiandam hæresim ita occultam, vt probari nequeat, negant Menochius *de Arbitr. iud. c. 355.* Decianus *p. 1. tit. crim. lib. 5. c. 39. num. 4.* Villadiego *tit. de hæreticis, quæst. 10.* affirmant nonnulli alij; quos recensui in Notis ad Toleti instructionem *lib. 5. cap. 57. vbi de hac re.*

CAPVT VIII.

DE COMMVNIONE,

De Communione in genere.

1. *Communicandus non reconcilietur ad altare.*
2. *Communicantes an admoueant manum ori post sumptam Euch.*

3. Cu-

3. Curatus instruat suos de modo communicandi.
4. Si particula ceciderit.
5. Modus communicandi.
6. Modus conseruandi particulam pyxide.
7. Quanta debeat esse particula.
8. Quibus sit neganda communio.
9. Hora communicandi.
10. An Cur. teneatur dare communionem toties quoties petitur.
11. Quis sit communicandus, vel non. (nicandi.
12. Amens semifatuus, damoniacus, an sint cõmu-
13. Puer quomodo debet communicari.
14 Puer etiamsi dubitatur de vsu rationis, an possit communicari.
15. De frequentia communicandi se sæpius.
16. Communicandum singulo octauo die.
17 Vili nec neganda est communio.
18. An Cur. possit bis in die se communicare. (cula.
19. Quid si veniant cõmunicandi. & non sint parti-
20. An ob aliquam causam possit Cur. consecrare absque celebratione.
21. An communicandum ad tollendum scand.
22. An excusetur Cur. si communicabit ob timorẽ.
23. An cõmunicandus accedens cum vanitatibus.
24. Ignotus an admittatur ad communicandum.
25. Communicans, an lauet digitos.
26. De communione infirmorum.
27. Qua hora sit communicandus infirmus.
28. An in eadem infirmitate sit sæpius communicandus infirmus.
29. An infirmus semper possit communicari etiam non ieiunus.
30. Curatus an possit seipsum communicare.

31. Curatus sanus an possit se ipsum communicare item & laicus.
32. An Cur. non ieiunus pro communicando infirmo possit celebrare.
33. Modus communicandi infirmum.
34. Quid de eo, qui statim post sumptam communionem moritur.
35. Qua hora deficientibus particulis pro infirmo possit Sacr. consecrare.
36. Ratio extremarum horarum consecrandi.
37. Qua hora sol oriatur.
38. Pro quibus infirmitatibus anticip. seu postpositio sit licita.
39. Quibus infirmit. commu. neganda.
40. Quid aget Cur. ob aliquam irreuer.
41. An freneticus non confessus sit communicandus
42. Denunciationes quot, & quales.
43. De dubio an sit freneticus.
44. Quid agere debeat cum freneticis.
45. An indecentia, & immunditia infirmi impediat communionem.
46. Quid agendum in magna incommoditate.
47. An peste infecti sint cõmunicandi, & quomodo
48. An communicandum instrumento aliquo.
49. Rabido an communicandus.
50. Peste infectus an sit cõmunicandus sub mortali
51. Quid de infectis cancro, lepra, vlcere fœtenti.
52. Quibus neganda communio in morte.
53. De communicando vsurario publico.
54. An omnis infirmus communicandus.
55. Quomodo Cur. non ieiunus sumat reliquias.
56. Vbi reponenda sint reliquiæ Sac.
57. An possit ferre communionem Curat. equo, vel pedester.

58.

58. An Cur. possit facere ferre communionem pro modico tempore per laicum.
59. Quid de urato inter portandum communionem aliquid mali cadat.
60. An laicus stante quauis necessitate possit communicare infirmum.
61. An Diaconus possit communicare infirmum.

1. CVRATVS communicandum non reconciliet ad altare, quia sub prætextu breuis reconciliationis, potest se præsentare pœnitens excommunicatus, vel irretitus magnis peccatis, à quibus fortè nequit absolui, vel qui indigeat magna discussione, vel qui debeat repetere multas, & magnas confessiones, à quibus Curatus aut vix, aut malè se explicabit. Et quid tunc agendum cum nequit absolui, & si non communicet generetur scandalum, vel saltem admiratio, *vide c. 7. n. 43.*

2. Non patiatur statim à communione, nec mares, nec fœminas admouere manum, vel sudariolum ori, ne forte extrahant communionem ad superstitiones, aut Incantationes, maximè si in loco sint strictæ, vel superstitiones regnent. Ideò de hoc prius admoneat populum. Et si aliquos in hoc peccantes viderit; bellè, & appositè redactos in parte, quasi secretum aliquod communicaturus, videat quare manum ori admouerint. Publicè tamen nunquam hoc agat, ne infamet. Sed & vt sui decenti habitu, & gestu, & situ corporis communicent, eos omnia exactò doceat. Benè eueniet, si cum primò communicantibus hoc egerit, maximè pueris.

4. Si particula ceciderit in terram, locus radatur,

quantum satis est. Intellige quanta est superficies terræ tactæ, & rasum deijciatur in Sacrarium. Si ceciderit in tabula, eodem modo fiat: si in panno profano, lauetur ter, & ablutio reponatur in Sacrarium: aliqui dicunt, locus scindatur, & comburatur, at hoc fit si ceciderit de sanguine: Si ceciderit in panno sacro, puta super manicas camisi, sufficiet lauetur, & fiat vt suprà absque scissione, rubr. Miss. de defectibus in ministerio occurrentibus. Si laicus præueniens Sacerdotem, particulam sustulerit è terra, *credo* lauare debere manus, ablutione dimissa in sacrarium propter eandem rationem. Sacerdos tamen quantum potest prohibeat ab illo eã tangi.

5. Communio non benè datur cum sola Pyxide, quia semper fragmenta cadunt, quæ sinon excipiatur à patena retẽta inter indicem, & medium digitum sinistræ manus, cadunt insensibiliter in terram, etiamsi particulas diligenter minutissimis fragmentis purgaueris antè consecrationem. Applica patenam, & *experientia* veritatem docebit. Sedem in magnis communionibus.

Nec tutum est custodiam esse multum repletam, propter periculum, ne particulæ, in eis tractandis, cadant. Item nec tutum communicare particulis positis super patenam, quia potest fieri, vt eas tantum appropinques communicando vt ille sola respiratione possit eas è patena deijcere. Nec bonum est, dum communicas particulas digitis tenere in maiori parte illius, quia cùm communicaueris necesse erit tangere os communicandi, & per consequens vix euades, quia

quin digitos madefacias, ex quo postea magnũ incommodum senties, alijs particulis hærentibus digitis, & ægrè se auellentibus. Igitur particulas tantum digitis acciperem, quantum sufficeret ad eas tractandas, ne caderent. Et sic tota Sacramenti administratio euadet munda. Caue inter communicandum, ne porrecta particula, digitos, quasi sic mandaturus, tergas dentibus, vel ori communicati, quia scrupulus est, & indecentia, & in fœminis habet nescio quid mali.

6. QVÆST. *Quomodo particulæ sint in Pyxide conseruandæ?*

RESP. Conforma te iustæ consuetudini loci. Vidi conseruari in parte corporalis posita in pyxide, & vidi in nuda pyxide, & hoc communius, & tutius, quia cum particulæ renouantur imminet magnum periculum in purgando dicto corporali, ne fragmenta longè extra altare resiliant, propter qualitatem corporalis, quam ab amicto contrahit.

7. QVAEST. *Quanta debeat esse particula?*

RESP. Decens, non nimis parua, aut magna, iuxta aliorum consuetudinem, vel secundum Episcopi præscriptum.

DE COMMVNIONE SANORVM.

8. QVÆST. *Quibus sit communio deneganda? Vide cap. 5. nu. 13.*

QVÆST. *An Curatus omni hora diei possit sanum communicare.*

RESP. Posse, nullo enim iure, aut consuetudine, ait Azor. prohibetur communicari ieiunum omni hora.

Congruentior tamen est hora, qua celebratur, quæ est vsque ad meridiem, Angel. Euch. 3. q. 5. Silu. Euchar. 3. q. 15. nu. 5. Azor. Instit. p. p. l. 10. c. 25. q. 8. Candelab. de Euch. n. 49. Obserua constitutiones tui Episcopi, & consuetudinem probatam loci.

9. An Curatus teneatur dare communionem toties quoties petitur? *Vide c. 5. n. 7.*

10. Qvæst. *Quis sit communicandus, vel non?*

Resp. Amens à natiuitate non communicatur. Omnes.

11. Amens habens lucida interualla communicatur, si dum esset sanæ mentis eam petijt, & non sit periculum irreuerentiæ. Communiter sufficiet, dare in Paschate, citra dictum periculū.

Semifatuus, id est, qui habet debilem vsum rationis, citra irreuerentiam, communicetur in Paschate, & non frequentius.

Dæmoniacus citra irreuerentiam communicetur.

12. Puer habens vsum rationis, sed maiorem, quam requirat, communicetur. Quando adsit dictus vsus rationis *c. v. cap. 7. nu. 36.* Puerum tamen qui nunquam communicauit, non vrgeat Curatus, vt statim communicet, sed si idoneum iudicauerit, iubeat in sequenti Pascha communicare. Sil. Euch. 3. q. 5. Sot. d. 2. q. 1. a. 9.

In dubio tamen de sufficienti discretione in morte expedit communicare, vt etiam in dubio. Quod etiam placet. Nauarr. *cap. 21. num. 57.* Licet etiam concedat posse differre communionem vsque ad tempus, in quo, si bene valeret communicaret.

* Suarez

* Suarez *verò tom. 3. quæst. 80. disput. 70. sect. 1. in fine* vult cum puer est capax confessionis sub præcepto, hunc puerum Curatum debere communicare: non verò esse consilium, vt vult Nau.

13. Et si puer absque examine Curati præsentet se linteo altaris? Ego non communicarem: quia, cum Curatus sit administrator Sacramenti tenetur benè administrare, & hoc præstare non potest, nisi suscipiẽtem cognoscat per examen. Verum est tamen, quòd si puer dixerit se mitti à confessario idoneo, poterit Curatus credere dignè admissum. Remedium erit.

14. Curatus quando parœcios suos describit dixerit pueris, qui de proximo videntur communicandi, non accedant ad altare, antequam de illorum idoneitate viderit. Prima vice, qua admittit puerum, doceat eum diligenter de tota re vt bene assuescat bonę communioni, & in hoc sit valdè diligens, quia magnam rem præstat.

De adultis verò nullo impedimento detentis dic, quod Curatus à nimia communione poterit arcere eum, qui diebus singulis, vel ternis eam petit, nisi constet de illius bonitate.

In dubio tamen, melius est dare quam negare.

15. * Porrò quoad istam frequentiam multi multa dicunt; In hoc omnes conueniunt rem totam relictam esse prudentiæ admittentis. Vt autem innoxiè accipiatur, sufficit conscientia mortali purgata. Vt verò cum vbere fructu; magna præparatio per orationem, & exercitium virtutum.

16. Communiter singulo octauo die decenter,

& sufficienter sumitur. Ita prudentes, & experti in hac materia, & communis vsus Ecclesiæ declarat, propter venialia verò, vel quia homo non sentiat feruorem deuotionis, & charitatis; non est omittenda; quia non est exiguus fructus, quod homini in magnis peccatis impediat consensum & in minimis sensum minuat. *Et Suarez tom. 3. quæst. 80. disp. 69. sect. quarta, concluſ. 3.* Ideo Curatus sanctè aget, si in sua cura sensim introduxerit frequentiam Communionis. Videbitur enim quodammodo habere populum iuxta faciem Ecclesiarum melius sensientium, vt per totum orbem terrarum in multis locis est videre. Vt autem hoc agat honesto aliquo colore propter ista irridentes, introducat in sua cura aliquam societatem, puta Rosarij, vel aliam; & occasione lucrandarum indulgentiarum; (quæ cum confessione, & communione vt plurimum consequentur) hortetur ad illas consequendas, & verè in magnum decus Curati redundat; videre suum Curatum in festis occupatum administratione pœnitentiæ, & communionis.

Eodem die verò nunquam eundem bis communicet.

17. Omni alio adulto, quantumuis vile exercitium tractanti, vt carnifici, triremium castigatori, & similibus, dummodo sint extra statum peccati non est neganda communio. Candelab. *de commun. num. 60.*

18. QVÆST. *An Curatus, qui manè sacrificauit, possit postea, quando aliter non saluatur honor Eucharistiæ, puta quia hæreticus, vel alius infide-*

lis

lis vrbem inuadit, & timet conculcandam hostiam, an possit eadem die, eam sumere, & ita bis communicare?

RESP. Et credo posse, etiamsi non sit ieiunus, quia præceptum de honorando Deo est iuris diuini, & de non communicando bis eadem die, est iuris humani, & ita præualet dignius, quod est diuinum: deducitur etiam *ex rubr. Missal.* de defectu intentionis in casu simili: Azor. *institut. p.p. libr. 10. cap. 33. quæst. 7.*

19. QVÆST. *Si veniat quis communicandus siue sanus, siue infirmus, & non adsit particula, quid aget Curatus?*

RESP. Consecret si est ieiunus celebrando, & communicet, si hoc illi eueniat dum celebrat & non est in tempore in quo possit particulam cõsecrare, det partẽ hostiæ consecratæ, Silu. Euch. *2. qu. 10. not. 7.* Dum tamen possit consecrare particulam, nunquam det partem hostiæ, sed particulam consecret, quia ita vsus vniuersalis Ecclesiæ.

20. QVAEST. *An Curatus possit consecrare, stante aliqua necessitate, vt communicandi infirmum, vel alia simili, absque quod celebret?*

RESP. In hoc duas esse sententias; Prima affirmat, *& est Maior. citati à* Candelab. *de Sacram,* Euch. *n. 55. &* Sot. *dist. 12. q. 1. à 4. casu primo.* Alia negat. *& est canonis c. Comperimus de consecrat. dist 5.* Nauar. *c. 1. n. 53.* Candelab. *ibi,* & est communis, & vera.

21. QVAEST. *An Curatus teneatur communicare eum, qui, si non communicat, credibile est scandalũ euenturum, vel dandam admirationem?* Vide *c. 7. nu. 43.*

22. QVÆST. *An Curatus excusetur à communicando illo, qui de iure non potest communicari, puta publicus excommunicatus, aut peccator, si minetur atrocia, ni communicet?*

RESP. Non excusari, sed potius debere mille mori. *Vide c. 7. n. 41.*

23. QVÆST. *An Curatus communicet accedentem cum vanitatibus, puta cum cincinnis ciuffis & similibus?*

RESP. Si secretò potest hortari ad eos deponendos hortetur, si non potest communicet, quia ista e suo genere non sunt plusquam venialis culpæ signa, & communio negatur soli peccatori publico? sed si signa sint signa mortalis culpæ clara, & per nullam tergiuersationem possibilia celari, est neganda communio. Communis. *Vide c. 7. num. 3.*

24. QVÆST. *An Curatus admittat ignotum ad communionem?*

RESP. Curatum non posse alienum communicare, nec in Paschate, nec extra, nisi sub spe legitimæ ratihabitionis, de qua dictum est *cap. 7. num. 10.* Tol. *Inst. lib. 2. c. 28. n. 2.* Caiet. Communionis minister. Alias agens mortaliter peccat. Suarez *tomo 3. disputat. 72. Sect. 1.* Poterit tamen communicare in casibus, in quibus etiam potest alienum absoluere, per dicta *c. 7. n. 5. & sequ.* In Paschate verò omnino nõ communicet eos, qui possunt adire vicinam suam parochiam; quia omnes tunc tenentur in ea communionem recipere. Communis. Si tamen curatus nesciens esse suum, sed credens suum communicet, non peccat: sicuti non peccaret, si communicaret sub rati-

ratihabitione. Nauarr. *cap. 21. num. 52.* quem tamen non admitterem in Paschate, nisi valdè vrgentem, & probabilem. Sciens verò esse non suum, & communicans absque ratihabitione valida, credo mortaliter peccare, quia in re seria, & graui delinquit. Credo tamen quod posset excusari à mortali, si rationabiliter crederet, illum tunc ex deuotione communicare, deinde in propria parochia satisfacturum præcepto Ecclesię infra tempus legitimum *iuxta dicta cap. 7. nu. 8. & sequ.*

25. QVÆST. *An Curatus post administrationem communionis teneatur lauare digitos, ita vt ea lotio seruiat pro ablutione communicati?*

RESP. Ita esse vniuersalem consuetudinem, à qua non est facile recedendum. Si tamen communicet aliquis, qui nolit ablutionem, sufficit digitos mundare abstergendo eos purificatorio, sicut etiam sufficiet, dum Curatus aliqua rationabili causa tetigerit corpus Christi, quia illa ablutio non est necessaria. Si tamen vinum, vel aqua in aqua fuerint digiti abluti, supererunt in communione, deijcienda sunt in Sacrarium. Et quia sæpè abstemij communicant, bonum erit præbere vinum, & aquam, vt pro libito vtantur. Sed & si Curatus pro maiori mundicia habuerit vas pro purificatione digitorum, quem nemini porrigat, & aliud vas pro communicatis, optimè aget, maximè si communicandi sunt nobiliores, vel ciuiliores. Et si communicauerit personã, quæ alijs sit horrori, quales sunt carnifex, & habens leprã, vel cancrũ, vas quo isti sunt vsi, non porrigat alijs, ne turbentur, sed frangat,

vel pro vsu eorundem alia vice reponat. Præterea in ablutione digitorum bene aduertat antequam abluat, ne fragmenta parua hæreant, quia si in ea absolutione deiecerit, magnum sacrilegium committet, vel dum deijcientur in Sacrarium, si superfuerint, vel dum assumentur, à iam communicato, quia esset eundem bis communicare.

DE COMMVNIONE INFIRMORVM.

26. QVAEST. *An Curatus communicabit infirmum, per modum Viatici omni hora?*

RESP. Communicabit etiam non ieiunum Omnes. Adde sit hora, siue diei, siue noctis, dummodo non communicauerit per octo dies antè, tunc enim communio illa sufficeret. Sot *dist. 12. qu. 1. ar. 11. col.* & media ante finem. Si tamen de nouo voluerit communicare non erit peccatum. Et tunc Curatus rectè communicabit, si infirmitas fuerit periculosa, in qua non est dandus locus scrupuli. Peritus autem, siue medicus iudicabit, & in absentia Medici Curatus.

27. Practica. Si medicus iudicauerit morbum periculosum, vel Curatus bonis rationibus in absentia medici, & infirmus non credatur futurus viuus mane sequenti, vel si fuerit viuus, non futurus sanæ mentis, sed freneticus, communicet etiam non ieiunum, & etiam de nocte; nam nec scrupulis credendum, nec præcipitandum. Fuge tamen nouitates pro posse; quomodo vero de nocte sit ferenda communio *vide cap. 5. num. 39.*

28. QVÆST.

28. QVAEST. *An in eadem infirmitate possit sæpius communio dari?*

RESP. Posse semel per modum viatici, alia vice communione ordinaria, non tamen hoc faciendum quotidie. Sed si saltem transierint ab vltima communione sex dies *Tab. communicare nu.* 54. Spirituales verò, & Ecclesiastici, quare non poterunt etiam sæpius, cum si sani essent, etiam sæpius communicarent?

29. QVAEST. *An quando pluries in eadem infirmitate communio porrigitur, possit dari non ieiuno?*

RESP. Aliquos distinguere, inter communionem per modum viatici, & communionem ordinariam. Primam videntur velle dandam semel solum infirmo etiam non ieiuno. Aliam eidem infirmo non dandam nisi ieiuno, ita potest deduci: licet ægrè, ex Armil. *communio. §. 18. in fine.* Alij indistinctè dicunt, vtramque posse dari infirmo etiam non ieiuno, quod tamen intelligendum crediderim, cum commodè non possit eidem ieiuno dari: *ita tenet* Armil *ibid.* Tab. *communicare, §. 48.* Tol. *Inst. libr. 6. cap. 15. num. 4.*

30. QVAEST. *An Curatus in loco vbi est solus, possit in articulo mortis in peste, & alia necessitate seipsum communicare?*

RESP. Posse, etiamsi non sit ieiunus, etiamsi sit excommunicatus, sed debet vti stola, & superpelliceo, quia ita necessarium de præcepto Ecclesiæ, in tractante Eucharistiam, vt iste, & etiam ad hoc poterit celebrare. Caietan. communionis minister.

31. * QVAEST. *An Curatus sanus possit etiam seipsum communicare?*

Resp. Suarez *tom. 3. qu. 82. sect. 3. disp. 72.* posse citra scandalum, tamen quia non est res vsitata de facili fieri non debet. Sed quod dixerat Suar. de sacerdote, concedit etiam laico in necessitate extrema mortis, & in absentia Sacerdotis, & affert exemplum Reginæ Scotiæ, quæ se ita communicauit, dum statim esset occidenda: quod tamen factum ait forsitan de summi Pontificis licentia processisse.

32. Qvæst. *An Curatus pro communicando infirmo possit non ieiunus celebrare?*

Resp. Non posse. Silu. Euch. *3. quæst. 6.* Sot. *di. 12. quæst. 1. art. 8. 7. arg.* Azor. *1. p. lib. 10. cap. 30. qu. 2. vlt. quæres.*

33. Qvaest. *Quis modus communicandi infirmi?*

Resp. Et dico videndum Rituale. Obserua consuetudinem probatam loci. In locis montuosis, quando communio est ferenda valdè longè, & per loca cœnosa, in quibusdam locis defertur in vase decenti in bursa serica honesta collo appensa, ne si contingat Sacerdotem cadere particulæ effundantur in terram.

Obserua in communicando infirmo, si fragmenta hæreant digitis, non reponas in pyxide, sed eas porrige infirmo; antè ablutionem tamen: ratio est, quia sæpè communicat infirmus laborans febre maligna, aut pestilentia, seu alio morbo contagioso, & in dictis fragmentis possunt contrahi qualitates inficientes, quæ si assumantur à sano, poterunt ei nocere. Ablutionem totam sumat infirmus, si superfit aliquid deijciatur in Sacrarium, vel in ignem, ne asseruatum superstitioni deseruiat. Poterit autem ablutio

sumi

sumi in vase profano, vt communiter fit, & in vase per Ecclesiam deputato. Obserua consuetudinem legitimam loci.

34. QVAEST. *Quid aget Curatus, si infirmus statim à communione moriatur, & vix particulam deglutiuerit?*

RESP. Si deglutijt, nihil agendum, etiamsi infirmus statim moriatur, & Sot. *distinct. 12. quæst. 1. art. vndecimo column.* & media antè finem, refert de quodam, qui statim à communione mortuus est, & nihil aliud de communione meminit. At si communio post mortem appareret in ore mortui, debet extrahi, & reponi in tabernaculo, quoad species Sacramentales consumentur. Si nescitur an deglutiuerit, & non appareat, credendum est deglutiuisse.

Porrò antè communionem Curatus consideret, an infirmus saltem sit supervicturus ad horam, quod est facilè factu, & quod medicus arbitrabitur, vel poterit iudicari ex signis viuacitatis infirmi, & non communicet, nisi saltem speretur species Sacramentales digerendas fore: quod tamen non intelligas de necessitate Sacramenti, cum sufficiat eas deglutijsse: nam tunc confertur gratia, sed intelligas de decentia, & honore tanti Sacramenti, à simili concordat de Graff. *p. p. lib. 1. c. 13. n. 83.* propter eandem rationem. Nauarr. *to. 2. concl. tit. de pœn. & remiss. cons. 16. q. 2. n. 12.* idem habet. Sed & in dubio de ista superuiuentia, credo melius communicare: ratio est, quia nihil repugnat, vt ex dictis apparet.

35. QVÆST. *Si cõmunicandus sit infirmus, & particulæ desint, qua hora poterunt consecrari, & per consequens celebrari Missa?*

RESP.

Resp. Duplicem esse terminum pro celebratione. Primum à parte ante, & secundum, à parte post, & vtrumque includi ab aurora, quod est, quando apparent signa orientis solis : vsque ad meridiem inclusiue. S. Tho. *3.p.q.83. art.2.ad quartum. Angel. Missa quæst.41.* Silu. *Missa p.qu. 6.* Rosel. *Missa num.2.* Sot. *dist.13.quæst.2. art.2.* Nauar. *ca.25.n.85.* Azor. *1.p.lib.10.cap 25.quæst.1.* Tol. *Instit.lib.2.cap.1. num.8.* Pro meridie verò intellige horam, in qua ritè pulsatur Aue Maria, sic interpretante vniuersali consuetudine, imò & post meridiem posse celebrari per totum tempus vsque ad nonam, quæ secundum horologia erit vsque ad tertiam horam ante noctẽ, affirmat Nauar. *cap.25.nu.85.tract.de orat.21.num* 31. & *Miscell.de orat.76.* Sed confutatur à Francolino citato ab Azor. *cap.d.qu 2.* & Tol. *loco dicto*, eo quòd contra Nauar. sit vsus vniuersalis Ecclesiæ, qui habet vim legis. Igitur iuxta communem, à parte ante, sine dicta causa, omnes poterunt celebrare, ab aurora, quod est iuxta Suarez *tom.3. disp.80.sect.4.* per horam, & mediam ante solis ortum, id est antequam appareat substantia Solis: Imò Azor. *ibi.qu.6.* addit, posse etiam anteuerti dictum tempus per tantam partem, quæ sit minor tertia parte horæ: At Suarez ibi concedit posse anteuerti tantũ, vt Missa finiatur in principio auroræ. Pro communicando verò infirmo quantum poterit præueniri? Azor. *capit dicto q. 7.* concedit quidem posse, non multum ante dictum tempus, de consensu superioris si adsit, sin, de proprio consilio. Sed non declarat per quantum tempus. Salua superiorum censura, videtur dicen-

dicendum, id licere per horam: quia, & multi habent priuilegium à Papa celebrandi tali tempore, maximè si mors regnat, & deuotio infirmi, vel saltem, quod videtur tutius, licere per mediam horam, eo quod tale tempus sit modicum.

An etiam post meridiem pro eadem causa possit post horam celebrari? credo, propter eandem rationem, salua semper licentia Superioris, si possit obtineri, qui in hoc citra dubium poterit declarare, & dispensare, si dispensatione, sit opus.

36. * Igitur pro communicando infirmo, vt de dictis constat, poterit dici Missa per tres horas excepto medio quadrante ante solis ortum iuxta aliquorum opinionem.

37. *Si autem pergas quærere qua hora Sol oriatur?*

Resp. Ex tabulis Astronomicis quæ inter se sint variæ non posse aliquid certi statui. Itaque communiori peritorum sententiæ standum.

* Tutè verò poteris sequi regulam Missalis Pij Quinti positam ad calcem singulorum mensium, in qua declaratur ortus solis, pro singulis diebus vniuscuiusque mensis.

38. Quaest. *An anticipatio, & postpositio de quibus est dictum supra, sint facienda pro omnibus infirmitatibus, vel pro quibus?*

Resp. Non pro omnibus, sed pro illis, in quibus commodè æger non potest expectare horam solitam, necessitate concedente anticipationem vel postpositionem dictam.

39. Quaest. *In quibus infirmitatibus Curatus communionem negabit?*

Resp. In omnibus impedientibus, vel sumptionem Sacramenti, vel eius reuerentiam, quæ erunt

runt illæ, in quibus est periculum vomitus, seu expuitionis, & quod particula non possit deglutiri, tales sunt Angina vulgariter dicta; schirantia, tussis vehemens, frenesis cum furore, & similia. At ne credas dicendo tussim alia via venire, puta à pulmone, & alia, particulam descendere ad stomachum, quasi concludere volens, nullam tussim posse impedire communionem; quia, & si assumptum sit verum, tamen experientia clarè constat, vehementiam tussis non posse cohiberi, & causare vomitum.

40. At si dubium sit Curato infirmum aliquam irreuerentiam commissurum, ponarse in tuto, & non communicet, ne exponat se periculo irreuerentiæ. In tussi verò, quæ rarò aggreditur, & quam infirmus ad libitum potest reprimere, communica, quia cessat ratio periculi, & irreuerentiæ; In omni tamen casu, quo infirmus impediatur communicare, inducendus est ad spiritualem communionem, vt Sacramenti fine non frustretur. Ideo nota bonam practicam. Cum communicandus est infirmus, antequam afferas communionem, vide an sit sanæ mentis, vt dicitur numero sequenti.

Vide præterea an habeat tussim, & age vt proximè est dictum: Idem agas si patiatur vomitum. Præterea numquam communices in die, quo infirmus medicinam accepit, propter periculum vomitus. Vix enim ab eo tales immunes euadunt. Si autem infirmus communionem euomat, vide *Rubr. Missal. & Summas, præcipuè* Silu. Euch. *2. q. 9. not. 4.*

41. QVÆST. *Si freneticus ante infirmitatem Chri-*

Christiane vixit, & ostendit deuotionem ad Eucharistiam, sed in infirmitate factus est freneticus, & non potuit confiteri an saltem communicandus in morte, etiamsi non confessus?

Resp. Sot. *dist. 12. q. 1. art. 9. concl. 3.* affirmare, licet ostenderit dictam deuotionem, etiam multò ante, etiam ad annum, modo non sit periculum irreuerentiæ.

41. *Quid autem, infirmus erat quidem freneticus, sed per interstitia habebat etiam lucida interualla, & sæpè postulatus à Curato ad confitenda peccata, numquam potuit induci, ita vt remaneret, dubium, an dictus infirmus esset freneticus, an nollet respondere, quid agendum?*

Resp. Si infirmus erat alias bonæ existimationis, non potest credi nisi freneticus, cum nemo sit censendus suæ salutis immemor, & ideo si non est periculum irreuerentiæ, est communicandus: Si verò erat malæ famæ, non est communicandus, quia non est Sacramenti capax.

42. *Sed si freneticus iste non confessus, dubius autem an etiam habeat lucida interualla, maneat vt stupidus, an tunc sit communicandus?*

Resp. Si probabiliter timetur periculum irreuerentiæ, non est communicandus. Credo autem probabiliter iudicari, posse communicare, si sumit quæ porriguntur, sine expuitione vel difficultate. Porrò in dubio melius est sequi partem tutiorem, vt est dictum *num. 30.* Contigit mihi hic casus.

43 Communicaui infirmum petentem communionem in freneſi absque furore, & habentem lucida interualla, benè particulam accepit, deinde

deinde ei dum porrigeretur ablutio dentibus fregit vitreum poculum, & cœpit fragmenta mandere, quid agendum erat? Si mittebas digitum in os, vt videres an particulam deglutiuisset, periculum erat, ne morderet: si hoc non agebas, periculum erat expueret eam cum vitro. Ita actum. Vi apertum os, & viso particulam descendisse, interpositum est dentibus tantum ligni, quòd saluaret digitum ne morderetur, & illo immisso fragmenta sunt extracta. Ideo in freneſi, licet omnes dicant, quando cessat periculum irreuerentiæ posse communionem dari. Silues. *communio 3. qu. 5. not. 9. & omnes*, tamen cum non possit determinari, an tale periculum cesset, tutius est, nunquam communicare.

44. Quid si euenerit dictus casus, & stante adhuc particula in ore, vitrum manderetur, & periculum esset, ne vna cum particula deglutiendum foret, & infirmus inde læderetur? Ego facerem vt est dictum, extracta prius particula, deinde extracto vitro eadem eundem communicarem, at fortè esset melius non communicare propter periculum alicuius irreuerentiæ.

45. Stante verò quantauis paupertate infirmi, immunditia loci, fœtore, & alia quantauis indecentia, non est neganda communio, est tamen hortandus ad decentiorem præparationem, propter Sacramenti reuerentiam.

46. Qvæst. *Quid agendum cum communicandus sit infirmus in magna incommoditate, puta quia est tam pauper, vt non habeat mensam, cassabellum, aut aliud simile, in quo reponendum sit Sacramentum dum reliqua peraguntur; Vel si quid habet,*

habet, sit illud tam inutile, puta quia fractum vel tam debile, quod periculum sit, vt cadat Sacramentum, si in eo reponatur?

Resp. Me nunquam in tali casu deponere Sacramentum, sed tenere eum collo appensum in sua bursa serica decenti, & interim lego legenda, & peragenda perficio. Cæterum in reponendo Sacramento, dum aguntur agenda, obserua consuetudinem legitimam loci.

Sed nota, quod si possis antequam afferas Sacramentum, reconciliare infirmum, reconcilies propter dicta, *num. 1.* Si non vales aliter agere, puta quia infirmus multum ab Ecclesia distat, obserua consuetudinem loci.

47. Quaest. *An peste infecti sint communicandi, & quomodo?*

Resp. Posse communicari, quia nullibi prohibitum, & si non communicantur propter periculum ne inficiant, non credo rationabile: rationabilius est enim mori pro functione Sacramenti: Suarez *subscribit tom. 4. disp. 44. sect. 3. nu. 17. & vult obligari.*

Cum verò dicti communicantur an danda communio manu, vel instrumento, puta instrumento argenteo, aut alio apposito?

Resp. In peste (vt audio) tempore B. Caroli Cardinalis Boromæi vetitum fuisse ministrari instrumentis istis. Certè videtur dandam manu, est enim proprium instrumentum pro administratione Sacramenti, nam & ad hoc manus consecrantur in collatione Sacerdotij.

48. Cæterum, si quis administraret patena, puta, posita particula super eam, & ita infirmo

porri-

porrigat, dum propter ch ragram non valet aliter fieri, credo non peccaret, dummodo cessaret scandalum, & periculum ne particula caderet in terram, quod est facilè factu. Sed & si quis vellet contendere posse etiam ministrari instrumento affabrè facto, per quod caueretur deiectioni Sacramenti, & fragmentorum, quod non est impossibile, fortè possent sustineri; Primò, quia extremam vnctionem tali modo posse dari affirmat Andreas Victorellus, *vt ca. 9. n. 21.* Præterea, quia si potest ministrari patena, vt est dictum, sic etiam poterit ministrari tali instrumento. Si verò seris, patenam esse consecratam, instrumentum verò nec benedictum; posset responderi, pyxidem, qua continuò seruatur Sacramentum, non benedictam debere de necessitate esse, ita Azor *Inst. p. p. lib. 10. ca. 27. q. 7.* ita nec erit necesse tale instrumentum debere esse benedictum. Ego tamen consulo non recedendum à communi vsu Ecclesiæ, qui est ministrare immediatè manu, & qui aliter ageret præter peccatum, posset etiam ab Episcopo puniri. An autem talis mortaliter peccaret, dubito, quia contraueniret graui ceremoniæ Ecclesiæ vniuersalis.

49. Rabido verò, siue per morsum canis rabidi siue per morsum alterius hominis à rabido morsi, non est danda communio, quia Aegineta, & schola medicorum docet istos nihil posse deglutire.

50. QVÆST. *An tempore pestis Curatus tenetur sub peccato communicare infectum?*

RESP. Secundum Maior. & alios, qui dicunt communionem in morte esse de iure diuino, re-

nen

neri sub mortali, secundum Sotum verò, & alios docentes esse de iure diuino semel in vita, non teneri sub mortali. Sed quid sit peste infectus velit communicare in Paschate, ad quod tenetur ratione præcepti Ecclesiastici? *Resp.* Credo Curatum tunc non teneri, quia Ecclesia non obligat cum tanto periculo ad obseruantiam suorum præceptorum. *Omnes.* Suarez tamen *tom. 4. disp. 44 sect. 3. num. 5. & seq.* videtur velle teneri sub mortali.

§1. QVÆST. *An communio sit danda infirmo habenti cancrum, vel vlcus maximè fœtens?*

RESP. Communicandum. Idem dicitur de leproso. In quibus casibus, fœtor non potest excusare, vt excusat pestis secundum opinionem Soti, & aliorum: ratio est, quia fœtor non inficit, & benè depellitur odoribus, vel saltem magno igne interiecto, dicimus nos, *Carboni, accensi*, & sufficit accedere ad infirmum in ipso actu communicandi, reliqua enim possunt perfici à longè.

§2. QVÆST. *An communio in morte negetur aliquibus, & quinam sint?*

RESP. Iuxta dicta *c. 7. n. 93. & seq.* quia quæ dicuntur ibi de pœnitentia, intelliguntur etiam de communione. Addo non negari communionẽ omni, qui si non est confessus, per eum non stetit, sed id fuit, vel quia Sacerdos erat surdus, & non aderat alius Sot. *distin. 12. q. 1. ar. 4. in fine casu pri.* Vel infirmus amisit loquelam, aut habuit aliquod aliud impedimentum simile nõ voluntariũ. Omnes. Curatus tamen in omni casu, quo communionem negat, inducat ad bonam contritionem.

53. Vsu-

53. Vsurarium verò publicum, etiam post bonam confessionem, non communicet, nisi restitutione facta, aut data cautione, vt est dictum *capit. 5. num. 24.* Omnes alios quantumuis magnos, vel publicos peccatores, postquam confessi & absoluti fuerint, communicet: communicantur etiam interdictus, suspensus, excommunicatus, & hæreticus, cum cautione, & iuramento, vt est dictum *ca. 5.* per multos numeros, & præcipuè à *num. 18.*

54. QVÆST. *An communio sit danda omni infirmo eam petenti?*

RESP. Contigisse me aliquoties vocatum ab infirmo, & hunc communicasse hodie, & cras ipsum domo exijsse. Igitur facilis sit Curatus, sed & prudens, ne nimia facilitas vertatur in parvum honorem Sacramenti.

55. QVÆST. *Quid aget Curatus ruralis, si vadens ad communicandum aliquem longè à parochia positum, puta per aliqua milliaria? ibi in aliquo sacello consecret, & post communionem infirmi, & post ablutionem ab ipso celebrante acceptam, reperiat fragmenta, quæ casu remanserunt, quæ nec decenter potest conseruare, nec deferre ad propriam Ecclesiam?*

RESP. Vide rubric. Missal. de defectu intentionis. Potest eas sumere, etiamsi non sit ieiunus licet Nau. videatur negare.

56. At quid de reliquijs repertis in altari post communionem, & post sumptam purificationem, ita vt minister non sit ieiunus?

RESP. Suarez *to. 3. q. 80. sect. 6. disp. 66.* posse eas sumere. Practica ex Suarez. Si sunt pars illius sacrificij

sacrificij, si possunt reponi, reponendæ : si hoc non potest fieri, siue sint paruæ, vt quidam à *Suarez* citari volunt, siue magnæ, possunt assumi. Idem credo si sint particulæ integræ quia nec paruitas, nec magnitudo accidentium adduntur ad Sacramentum.

57. Si verò sint alterius sacrificij pars, debent reponi in loco solito: nam & est facile, quia eo modo quo hactenus conseruatæ sunt, poterunt etiam in posterum conseruari. Et si nescitur, an sint eiusdem, vel alterius sacrificij, credendum est esse illius, quia rationabile est prius celebrantem non dimisisse eas.

58. Possunt autem dictæ reliquiæ sumi toto eo tempore, quo celebrans est in altari, licet sit per horam post absolutum sacrificium, puta quia interim communicauit. Ex *Sauarez ibi.* Commodius est, communicare post sumptionem sanguinis ante ablutionem, quia cessat omnis disputatio de ieiuno in sacrificio; Postquam verò discessum est ab altari, non possunt sumi nisi rationabilis causa excuset, eo quòd aliter conseruari non possint, vt est dictum supra.

59. Qvæst. *An Curatus ruralis ferens communionem infirmo longè distanti, possit ire equo, an debeat ire pedes?*

Resp. Conformet consuetudini loci, & si nulla sit consuetudo, nullum est peccatum equo ferre, nisi equus esset indomitus, & præceps ratione spirituali.

60. Qvæst. *An si Curatus sit multum fatigatus, dum longè fert communionem, possit pro modico tempore, dum quiescit facere eam ferre per laicũ, vel aliũ Sacerdotem?*

Resp. Per Sacerdotem posse, si non habet stolam, nec superpelliceum, citra scandalum est nullum peccatum, quia necessitas illius indigentiæ excusat: Per laicum verò non Remedium erit, duos hinc inde sustentare brachia Curati, qui vix fatigabitur, si Sacramentum tuleritin bursa collo appensa, vt est dictum supra.

61. Sed si casu inter portandam communionē Curatus cadat in syncopen, aut aliud simile: Tunc etiam omnis laicus poterit Eucharistiam ferre, quia necessitas non habet legem. *Nunquam tamen laicus*, stante quauis necessitate, poterit infirmum communicare; benè posset diaconus de licentia Curati, quam tamen non det, nisi pro vltimo remedio, nec quando abEpiscopo præcisè prohibetur: nam canones qui hoc concedunt, vix aliter sunt in vsu; sicuti etiam diaconus poterit sub ratihabitione Sot. *dist. 13, q. 1. ar. 3.*

A. VICTORELLI
Ad Capvt VIII. Notæ.

VNiuersalis consuetudo vi præcepti munita, requirit, vt in templis ante Eucharistiam semper lumen ardeat: Monet autem lumen, adesse ibi candorem lucis æternæ, Christum Dominum, & ad pietatem venerationemque tã eximij Sacramenti nos assiduè sollicitat.

Extat præceptum de lumine, quando diuinum hoc Sacramentum defertur *ca. sane, de celeb. Miss.* Nau. *ca. 18.*

Si quid contra voluntatem deglutisti, si cibus ant;

ante mediam noctem sumptus concoctus non est, si non dormisti, potes nihilominus Eucharistiam sumere. Vide Sua. *t. 3. D. 68. sect. 4.* Sa *V. Eucharist. n. 27. 28.*

De veritate corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia, de eadem Eucharistia asseruanda. Ioan. Gropperus.

DE COMMVNIONE SANORVM.

QVouis die, & quauis diei nota, homini sano, qui nihil à media nocte, ne per modum quidem medicinæ, sumpsit, Eucharistia administrari potest, [amoto scandalo] etiam die Christi passione sacro; quando Sacerdotes consecrare nequeunt. *Vide* Sa *V. Eucharistia nu. 19.* Silu. *Eucharistia. 3. q.* Suarez *to. 3. D. 69. sect. 4.*

Amenti, qui dum rationis vsum habebat, piam erga augustissimum Sacramentum ostendit mentem, & putatur esse in statu gratiæ, potest Parochus in articulo mortis, imò tenetur (si irreuerentiæ periculum absit) Eucharistiam ministrare. Suarez *tomo 3. D. 69. sect. 2. ex sancto* Thom. *vsque Ecclesiæ V. c. is qui 26. qu. 6. De demoniacis idem, quod de amentibus asserit S.* Thom. *3. q. 80. art. 9. ad 2.* Suarez *de eadem re l. c. in fine.*

Perpetuò amentibus, infantibusque ante vsum rationis non datur Eucharistia: hoc tamen diuino iure non est vetitum. Infantibus aliquando exhibita fuit. *V.* Suarez *l. c. & cõ. art. 9. q. 80. 3. p.* S. Tho. Greg. *de* Val. *t. 4. D. 6. q. 8. p. 2.* Vict. *q. 84*

Puerorum obligationem, pro sumenda Eucharistia, inter decimum & decimumquartum annum contineri, putat Suarez, *D. 70. sect. 1.* Azor *l. 7. c. 41.* Eos obligari, credit decem, vel vndecim

annos natos: si diuinum panem à terrenis cibis secernant, & hoc velit loci consuetudo. Vide, si libet, nostras Notas ad *cap. 11. libr. 6. Instruct. Sacerdotum* Toleti *Cardinalis*, *ad* Sa *Eucharistia*, *nu. 12. &* Val. *l. c.*

12. Sacerdos non ieiunus bis eodem die Eucharistiam suscipere potest, id est, vt sacrificium perficiat, 2. vt consumptione Hostiæ, grauem illius irreuerentiam effugiat. *Suarez to. 3. D. 83 sect. 6.*

De semel in anno, sæpius, & quotidie communicando; & de meritoria ab vsu Diuini Panis totum Christum complectentis, abstinentia, Adrianus Adriani Societate Iesu. De Eucharistia, interiori deuotæ mentis occupatione Petrus Cotonus.

DE COMMVNIONE INFIRMORVM.

20 NOn ieiunum, &c.) Non semper ægrotus, non ieiunus hoc Sacramentum percipere potest; sed tunc cum creditur moriturus, ante initium sequentis diei; vel in cephrenesim casurus, in qua sine irreuerentiæ periculo, diuino epulo recreari non poterit, vel (si non nisi post multos dies extremum, diem obiturus putetur) cum eo morbo, vel ea imbecillitate vexatur, vt sæpe cibo reficiendus sit: & melioris valetudinis spes non effulgeat. Vno verbo dicam. Quotiescunque Diuinum Viaticum sine graui damno, aut periculo, ieiunus sumere non potest. Medicus, si aduertit, damni, aut periculi iudex erit. *Ex* Suarez *to. 3. D. 68. sect. 5.*

Dices. Comedit infirmus ante mediam noctem, post mediam noctem duas horas inedia tolerare po

re potest; est ne intempestiuo eo tempore, administranda ei, tunc ieiuno Eucharistia? administrari potest; sed non necesse: neque erit crimen, illucescente die, ægrotum non ieiunum cælesti Viatico confirmare, ac munire Ecclesiæ consuetudo, quæ leges optime explicat, hoc docet. Noctu moralis difficultas adesse facile: & forte illa reuerentia desideraretur, quæ augustissimo Sacramento debetur. Assentitur *Suarez* loco citato.

Homini præcepto Iudicis occidendo non ieiuno non neganda Eucharistia; si differri mors nequeat: in vtriusque enim naturalis, & violentæ mortis articulo. Diuino hoc remedio indiget animus ex eodem *l. cit.*

Quoties in eodem morbo Angelorum panem, post violatum ieiunium, accipere licet? Bis, ait Fumus *V. communionum. 18.* Si decem, aut octo dies idē mortis articulus perseueret, ægrotum bis Dominicum Christi corpus sumere posse ait *Suarez l. c. & rectè.* At si longior sit ægritudo, & sæpius abeat, redeatque articulus, aut periculum, toties parocho licebit Diuinum Viaticum ægroto præbere, quoties is in illud, quod euaserat, mortis discrimen inciderit. Hoc quoq; placuit *Suarez*: noua enim tunc noui articuli seu periculi mortis molestia afflictatur ægrotus: & noua cælesti ope adiuuandus videtur. Non repugnat *Sa V. Eucharistia numer. 5.*

Quidam tamen, semel tantum in eodem morbo Diuinum Viaticum, post sumptum cibum, præberi posse existimant: sed eos intellige, si ægrotus, illo sumpto, breui moriturus sit.

Cur licet, in mortis articulo, sumpto cibo, Eucharistiam sumere? Vel quia diuino præcepto cogimur, in articulo mortis diuinas hasceepulas percipere, vel quia pia mater Ecclesia, quæ illius vsu non ieiunos prohibuit, salutis in suprema lucta periculo considerato, tam præclaris armis (etiam cum corporis imbecillitas ieiunos nos esse non patitur) priuatos nos esse, noluit.

Iure diuino sumendam, si fieri possit in articulo mortis, Eucharistiam, pia sententia est. Hanc docuere Dur. *3. dist. qu. art. 2.* Gab. *qu. 1.* Sot. *4. d. 12. qu. 6. art. 1.* Petr. *de* Sot. *lect. 9. de Eucha.* Greg. *de* Val. *l. c.* Suarez *to. 3. d. 69. sect. 3. & alij*: Caiet. tamen. Victoria, & quidam alij semel tantum in vita, hoc diuini iuris præceptum locum habere scripserunt de hac re Comit. *t. l. 1. Resp. mo. qu. 43.*

Cum *Suarez* probabile existimo, toties homini, diuino iure Eucharistiam sumendam esse, quoties in articulo mortis versatur. In quo qui Viaticum negligeret, salutem suam spernere, & suspectus de fide videretur. Vide *Suarez* loco citato.

Qui paulo ante mortis articulum (vtpote octo dies) nihil de morte cogitans Eucharistiam percepit non tenetur eam iterum percipere: est enim ad mortem paratus, ea diuini cibi sumptione: quod diuinum de illa sumenda præceptum intuetur. *Sot.* addit, dummodo post esum diuini corporis mortalē culpā nō admiserit: quòd *Suarez* non probatur; sed alicui forsitan probabitur.

Palud. Vic. & Sot. à *Gregor.* de *Val.* non improbati, lethalem culpam eum putant admittere, qui biduo ante imminentem mortem Eucha-

chariſt. refectus moriens illam non ſumit.

Mala valetudine, longo tempore, impeditus ſæpius ex deuotione (ieiunus tamen) Diuini Conuiuij epulas deguſtare poteſt; ita etiam Fumus. *l. cit. Vide* Sà *Euchariſtia num. 5.*

Hoc noſtræ peregrinationis Viaticum, quod nobis in mortalis vitæ ſolitudine ad cœleſtem Hieruſalem properantibus mirificum robur addit imminente morte, ſumendum, docent Concilia, ſuadent præclara Sanctorum hominum exempla. *Concil. Nicænum 1. can. 12.* De his, qui recedunt ex corpore antiquæ legis regula obſeruabitur etiam nunc; ita vt ſi forte quis recedat ex corpore, vltimo, & neceſſario viatico non defraudetur. *Concil. Trid. ſeſſ. 13. ca. 6.* mortem deferendæ ad infirmos Euchariſtiæ ſalutarem, & neceſſarium vocat; & retinendum ſtatuit. Vide etiã *Concil. Arelat. ſecundum can. 12.* Aurel. *3. can. 24.*

Sanctum Ioannem Chryſoſtomum è vita hac migraturum SS. Petrus & Ioannes cœleſti pane recrearunt. Nicepho. *l. 13. c. 37.* Lucianus Martyr moriturus in carcere eadem eſca animum ſuum muniuit, *l. 6. c. 31.* S. Romula morti proxima idẽ animorũ pabulum petijt, & accepit: S. Gregor. *4. Dialog. c. 15. & Ho. 40. in Euangel.*) Idem factum à Theodoſio Mauritij filio obtruncando, Cedr. *in Compend. Hiſtor. à* D. Remberto *Bremenſi Epiſcopo* Surius *to. 1. 4. Feb. à* S. Guilhelmo Biturcienſi Archiepiſcopo, idem, tomo primo, decimo. Ian. teſtati ſunt. Serapion ſenex miſſam ſibi per puerũ à Sacerdote Euchariſtiã, cum ſuprema illi adeſſet hora, ſuſcepit. Euſeb. Cæſar. *lib. 6. ca. 36. Hiſt. Eccleſ.*

S. Ambrosij animus corporis obitu imminente, diuinis hisce epulis recreatus, ad beatarum mentium sedes euolauit: ex Paulino in vita sancti Ambrosij.

Sanctus Benedictus exitum suum, vt ait verbis D. Gregorij) Dominici Corporis, & Sanguinis perceptione muniuit, atque inter discipulorum manus imbecilla membra sustentans, erectis in cœlum manib. stetit, & vltimum spiritum, inter verba orationis, efflauit. Diuino hoc pane refecta S. Brigitta abijt in cœlum. *Ex Bonifacio IX. in Bulla Canonizationis.*

APPENDIX I.

ESt ne, ante Viaticum Extrema Vnctio mittenda?

Recepta est in Ecclesia consuetudo, vt pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, ante extremam vnctionem ministrentur: quare, sine causa, præpostero ordine vtendum non est; nonnulli tamen iniuncti sacro oleo Eucharistiam susceperunt; inter alios Otto Episcopus Bambergensis S. Guilielmus Archiepiscopus Bituricensis, quorum aliorumque exempla in nostro de extrema vnctione libro, videre est, pag. 54.

Ex pœnitentiali Theodori Cantuariensis Archiepiscopi hanc ante viaticum collatam fuisse colligimus. In Gratiani Decreto extant verba *c. ab infirmis. 26. qu. 7.* [Orationibus, & consolationibus Ecclesiasticis sacra Vnctione inuncti secundum statuta Sanctorum Patrum communione Viatici reficiantur.]

Est ne lethale scelus Vnctionem Viatico præmitte-

mittere; Non est, si desit contemptus: non extat præceptum de hac re; ordo rei grauis non censetur: neque horum sacramentorum vnum ad alterum natura sua aditum munit; cum vtrumque gratiæ statum requirat. Non abhorret Suar. *to. 4. D. 44. sec. 1.*

Iusta de causa, Viaticum prætermittitur, (vt cum haberi, aut sine grauis alicuius irreuerentiæ periculo suscipi non potest) & Extrema Vnctio exhibetur. *V.* Aleuinum *de Diu. Offic. c. 40.*

Si ægroti confessione excepta, eum, antequam domum Eucharistiam delaturus, redeas, moriturum existimes; potes, & debes, sacro oleo, tecum allato, supremam mortis luctam ineuntem linere: & si superstes, mortis adhuc discrimen subeat, Diuino Viatico pascere, & confirmare. Non dissentiet *Suarez* loc. cit. Paucis. Cũ Viaticum ante Vnctionem conferri non potest; tunc post eam rectè datur & sumitur; si nulla lethalis noxa dantis, & sumentis animum afficiat. 23. In mortis articulo, Diaconus, Sacerdote absente, Viaticum præbere potest. Quod si ille Sacerdoti periculosè ægrotanti id deferat, sacerdos sibi illud ipsum, sua manu, ministrabit *Dur. 4 d. 13. quæst. 4.* Suarez *D. 73. to. 3.* Sa, *Eucharistia, n. 4. & alij*, quos ad eum locum retuli, v. etiam Comitolum *li. 1. q. 44. Resp. mor.*

Eucharistia ad ægrotum, qui eam suscipere nequit, deferenda non est, vt ab eo adoretur. *Ex Cong. Conc.* Sa *Eucharist. 6. & ex* Pio *V.* Rodriquez *p. 1. c. 64. n. 3. vbi refert Cõgregationis respon.* 27. Sacerdotem non ieiunum, posse sacrum facere, vt pro ægroto in extremis laborante cõ-

secret nonnullis visum est. Maior. 4. *disput.* 49. *quæst.* 3. *ad* 5. communiter reiectus. Sacerdotem, extra sacrificium, pro huiusmodi ægroto consecrare posse, etiam fermentatum panem, etiam sine sacris vestibus, falso existimauit. Cõmunis sententia docet? hanc causam non sufficere; vt Sacerdos, sumpto cibo, Sacrũ faciat. *Vide* Palud. 4. d. D. Q. 2. *Vlc. num.* 83. *Alios citat* Suarez *& idẽ sensit, to.* 3. D. 68. *sectio.* 5. primam verò sententiam improbabilem non censerem.

30. Impeditur communicare, &c.] Ad spiritualem Sacrosanctæ Eucharistiæ vsum, & ad Extremam vnctionem petendam, aut doque animo accipiendam excitandus ægrotus; qui eam nequit suscipere.

31. *Vide ca. qui recedunt, ca, is qui,* 26. D. Th. 3. *p. q.* 80. *art.* 9. Suarez *to.* 3. D. 69. *sect.* 2.

34. Parochũ debere peste affectis Diuinũ Viaticum præbere, certũ est: si hoc nequeat facere, sine periculo vitæ, Rodriquez (*p.* 1. *cap.* 77.) hac obligatione eũ liberat, cũ Tabiena: at *contraria* sententia, *probata* Suarez, *to.* 4. D. 44 *sect.* 3. *n.* 17. probabilior, & tutior. Nec placet, quod idẽ Rodriquez, cum Syl. scribit; Parochum, scilicet, per negligentiam, Viaticum, in mortis articulo non præbentem à lethali culpa alienum esse.

43. Scotiæ Regina fide, pietate, alijsque Christianis virtutibus insignis, cum in Anglia iniusti mortis supplicium subitura esset; Diuinum Viaticum clam allatum, summa veneratione sibi ministrauit *v.* Suar. *to.* 3. *d.* 72. *sect.* 3.

Diaconus olim sanguinem ministrabat; nunc in necessitate corpus: quod olim quoq; ei licuit.

(Præ

[Præsente Presbytero] (*ait Concil. Carthag. c. 38.*) [Diaconus Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget] *v. Const. Clem. Rom. l. 8. c. 28. 32. & alios Cã.* si nullus Sacerdos adesset, & ægrotus sine Viatico moriturus putaretur, posset Diaconus nõ iussus ministrare. Si præsens Sacerdos nolit (per scelus) morienti cœleste hoc pabulum dare, nec Diacono permittere, vt det, Diaconum hoc facere posse, eo inuito, censeo, *cum* Suar. *to. 3. D. 69. sect. 2.* Sotũ *secuto*: quicquid dixerit Syluester.

Dum ne Diaconus quidem adest, à laico, in extrema morientis hominis necessitate, hoc sacramentum ministrari posse negat. Sà *Vide Eucharistia. nu. 4.* cum alijs: affirmat *Suarez* probabiliter, *l. c. in fine.* Id non vetat Diuinum Ius: pontificia iura de hac necessitate non loquuntur: & contrectari Eucharistiam à laico, non est per se, malum: nam olim fideles manibus eam excipiebant. *Idem* Val. *to. 4. D. 6. q. 10. part. 1. Vide notata ad Aphorismos* Eman. Sa *V. Eucharistia num 32.*

Plectendis capite Eucharistia pro viatico, datur, etiam non ieiunis, vt dixi: si supplicium differri non possit. Vnam horam ante supplicium dari eam posse, *ait* Sà *V. Eucharistia num. 2. quatuor horas Romæ dari scribit* Nauarr. *misc. 4. de ora.*

Morem Hispanorum reis iugulandis Viaticum negantium Pius V. sustulit, V. Rodriqu. *part. 1. cap. 68. & notata à me ad* Sà. *l. c. & ad* Toletum *li. 2. c. 28. Vide etiam si libet, c. quæsitum 13. quæst. 2. ca. super eo de hær. in 6.* Ægroto, qui nequeat sumere Eucharistiam deferre, vt is eam adoret, nõ licet, *ex Congreg. Concil.* Sà, *Eucharistia num. 6.*

APPENDIX II.

TVnc homo confessarij copia destitutus videtur, vt contritione donatus, Eucharistiam suscipere possit: cum non adest Sacerdos, qui illum absoluere queat: aut, si adsit, is pœnitens non potest illi, sine graui damno, & periculo, sua crimina explicare. Damnum autẽ & periculum, viri prudentis iudicio definietur *Hoc scriptum quoque à* Suarez *D. 68. sect. 4. t. 3.*

Dies, intra quem non licet bis sumere Eucharistiam, à media in mediam noctem consideratur: vt dies ieiunij Ecclesiastici. Sic vsu Ecclesiæ receptum est. Si paulo ante mediam noctem comedisti, aut Eucharistiam sumpsisti (qualibet diei hora, seiuncto scandalo sumi potest, vt diximus, Eucharistia) post eandem mediam noctem Dominici Corporis epulum tibi licet suscipere. Suarez *D. 69. sect. 4. to. 3.*

APPENDIX III.

De Sacerdotis iurisdictione, pro administranda Eucharistia.

QVi sine iurisdictione, vel facultate ab habente iurisdictionem concessa, Eucharistiam ministrat, mortifere peccat: alienum enim ius in re graui vsurpat Communis sententia. Non igitur quilibet Sacerdos, Eucharistiam ministrare potest.

Religiosi præsumentes ministrare Eucharistiam sæcularibus Clericis, aut laicis, sine Pastorum licentia (Pastores sunt Sũmus Pontifex, Episcopus, Parochus) Papali excõmunicatione afficiũtur. *Clemen. Religiosi, de priuil.* Nõ loquimur autem

autem de Religiosis priuilegijs immunitis: vt facultatem à Pontifice Summo ad id sint assecuti. *V. etiam* Eman. Roder. *cum t. 1. can. & reg. q. 56. art. 1.*

Ordinariam iurisdictionem habent Pontifex (Supremam) Episcopi, Parochi: delegatam, ij Sacerdotes: quibus à Pastoribus ordinarijs administrandorum Sacramentorum facultas facta est.

Simplex Sacerdos, concedente Parocho, huius Sacramenti minister esse potest. Episcopi approbationem, pro solo Pœnitentiæ Sacramento Tridentina Synodus postulat. (Suarez. *to. 3. D. 72. sect. 2. V. etiam* Rodericum *art. 7, lib. c.*) *&* ex Clement. 1. *de priuileg.* discimus, Parochos, concedere posse alijs Sacerdotibus; vt Sacramenta Eucharistiæ, & Extrema Vnctionis conferant, & matrimonia solemnizent. Vide, quid tibi tuus præcipiat Episcopus.

Cui concessum ab Episcopo, vt confessiones audiat, concessum etiam, vt Eucharistiam ministrare possit, nonnullis visum est: sed hanc sententiam nec veram, nec tutam existimant *Suar.* distinctis enim actibus ministrandi pœnitentiam, & Eucharistiam, distinctæ facultatis respondet.

CAPVT IX.
DE EXTREMA VNCTIONE.

SVMMARIVM.

1. *An Curatus peccet si vtatur oleo veteri.*
2. *Quid agendum deficiente oleo.*
3. *An sub peccato danda sit extrema vnctio.*

4. Cui danda est extr. vnct.
5. Quibus negatur extr. vnct.
6. Quando est danda extr. vnct.
7. Dando extra periculum mortis an sit peccatum.
8. Quis dat extr. vnct. (vnct.
9. An plures Sacerdotes possint simul dare extr.
10. Si Sacerdos deficeret.
11. An danda sit solum petenti.
12. An necessaria sit contr. in suscipiēte extr. vnct.
13. An Cur. habeat minist. respond.
14. An extrema vnct. ferenda cum lumine.
15. An bene retineat domi.
16. An iniungendus per ordinem ritualis.
17. Modus vngendi infirmum
18. Sacerdotes quomodo vngendi.
10 In fœminis loco renum.
20. In cæco à natiuitate, muto. surdo.
21. Practica bona pro vnctione.
22. Si soluenda infirmum in vnct. moriatur, an sit Sacerd. irreg.
23. Quoties sit danda extrema vnct.
24. Quid aget an sit dubius Cur. viuat ne an sit mortuus infirmus.
25. Circa obseruantiam rituum in extr. vnct.
26. Bona obseruantia Cur. in extr. vnct.
27. Modus properandi cum extrema vnct.
28. An danda sit extr. vnct. peste infecto.
29. Practica bona pro morbis inficientibus.

QVÆSTIO. I. *An Curatus possit vti oleo extremæ vnctionis illo anno non benedicto?*

RESP. Nō posse: *ita de consecr. d. 3. c. literis.* Si tamen antequam à cathedrali possit afferri (citra negligentiam) poterit sine peccato vetus vsui esse.

QVÆST.

QVÆST. *An deficiente oleo extremæ vnctionis, possit per Curatum aliud benedictum addi?*

RESP. Posse, dummodo quod additur sit in minori quantitate consecrato. Ideo gustatim potest infundi. Omnes.

Si tamen posset haberi consecratum, melius esset addere consecratum. Porrò oleum, quod additur sit ex oliuis. Andreas Victor de extrema vnctione.

QVÆST. *An extrema vnctio necessario sub peccato sit danda?*

RESP. Victorellus, An vitæ periculum excuset parochum, & prius de obligatione parochi? Curatum de iustitia teneri, & affirmat esse dandam sub mortali, eo quod ad hoc Curat. teneatur per locum Conc. *sess. 23. ca. de refor. p. quod specificat* Suar. cum commodè Curatus potest teneri, cum infirmus non valuit recipere alia Sacramenta, addit enim ibi Victorel. posse fieri. Vt infirmus sit attritus, & vi huius Sacramenti euadat contritus, quod est benè notandum.

QVÆST. *Cui danda est extrema vnctio?*

RESP. Illi, qui est in periculo mortis proueni-entis à natura, siue ex se, siue à natura delibata veneno, vulnere, aut alio simili lædente Silu. *vnct. q. 5. Omnes Et* Sot. *dist. 23. q. 2. art. 2. concl. 2.* exemplificat esse tunc, quando tentata naturalia remedia non censentur sufficere pro salute infirmi. Datur etiamsi infirmus esset in gratia, vel per recentem baptismum, vel indulgentiam plenariam: ijdem *ibi. & Victorel. ibi.*

Pueris habentibus vsum rationis est danda cum iam communicarunt. Sot. *art. dicto concl. 4.*

5. Sed

5. Sed an etiam ante communionem, cum aliàs haberent vsum rationis? Credo, & bonum iudico non admittendos scrupulos in hoc, nisi aliud declaret Episcopus.

Habentibus lucida interualla datur, si dum sanæ mentis essent petierunt illam: vel si Christianæ vixerint *Silues. vnctio. q. 5.*

Furioso datur, etiamsi resistat, qui potest ligari. Decentius tamen est teneri.

Rabido potest dari, sed cauendum ne tangatur eius sputum, seu saliua, quia habet vim inficiendi rabiæ tangentem: ideo vnguatur loco oris pars vicina.

Peccatori publico. *Vide c. 5. nu. 32.*

Amentibus perpetuis non datur. Omnes.

Frenetico qui cecidit in freneſim in mortali notorio non datur. *Silu. ibi.*

6. QVÆST. *Quando stante dicto periculo est dãdar*

RESP. Non benè dari, quando infirmus iam amisit sensum nec quando salus est deplorata. Sot. *vbi supra.*

Sed quamuis tunc daretur, non esset peccatum, quia sufficit ita dare, licet fructuosius detur infirmo integros sensus habenti. At & in infirmitate lethali, licet longa, & in vulnere violento, vel cum potauit venenũ potest dari in principio morbi. Sed neque est necesse dare antè communionem, vel post eam, sed potest dari secundum vrgentiam casus pro Curati prudentia. Congruentius tamen datur post quia vt sonat ipsum nomen extrema vnctio, est tamquam vltimum Sacramẽtorum, & remediorum infirmi.

7. QVÆST. *An Curatus peccet, si det extremam vnctio-*

vnctionem ei, qui videtur mori, & verè non habet infirmitatem mortalem?

RESPON. Negatiuè, si quidem det de consilio medici, vel dum prudenter sic arbitratur faciendum ipse, vel alius prudens. Alias in villis oporteret Curatum esse medicum.

8. QVÆST. *Quis dat eam?*

RESP. Curatus, vel alius de eius licentia, si non prohibeatur ab Episcopo. Omnes. Addit *Victorellus.* Posse alium sacerdotem sub ratihabitione, immo & sine ea in extremo vitæ periculo, & hoc etiam tunc vult licere regulari, licet alij negent. *Vide cap. 5. num. 51.* At si fortè Curatus sit excõmunicatus, poterit facultatem facere alio Sacerdoti extremam vnctionem administrandi. Victorell. *ibi; sed* Suarez tenet contrarium.

9. QVÆST. *An plures Sacerdotes simul cum Curato eodem tempore possint extremã vnctionẽ dare?*

RESP. Posse, dummodo vnusquisque suam formam proferat, & vngat locum distinctum à socio. Communis. Sed hoc non faciendum sine necessitate.

10. Et si primus Sacerdos deficeret morte, vel alio casu, vngat alius. Silu. *Vnctio.*

11. QVÆST. *An Curatus teneatur solum eã dare petenti, An vero etiam eam offerre non petenti?*

RESP. Teneri eam dare petenti, siue ipse infirmus eam petat, siue domestici eius, dummodo infirmus non prohibeatur eam recipere, *vt est dictum n. 4.*

Et *Victorellus* de obligatione parochi vult Curatum de iustitia teneri dare eam saltem petenti. Item credo teneri offerre, cum infirmus.

mus nullo alio Sacramento fuit adiutus, *vt est dictum n. 3* & tunc habet valde de probabili teneri sub mortali, cum deficiat in re, quam commode præstare potest, ad quam tenetur de iustitia iuxta nu. dicto, in magnum præiudicium subditi. In alio verò casu non credo teneri offerre cum commodè non possit, & non vrgeat periculum infirmi, iuxta dicta numero dicto. Et dato quod teneatur eam dare (nam multi volunt, cum non sit Sacramentum necessarium, non teneri Curatum ad eam dandam) tamen sufficiet eam dare, etiam, non auertente infirmo. Practica bona est. Cum Curatus audit confessionem infirmi, disponat eum ad volendum hoc sacramentum quando allatum fuerit, vt ita pœnitens habeat fructum suæ deuotionis ad hoc Sacramentum, quo carebit, si non consenserit explicitè, in illius receptionem. Et vt animetur ad Sacramentum deuotè suscipiendum, narret illius commoditates, puta sanitatem corporis, & discussionem metus, & mœroris propter peccata admissa. Sot. *dist. dicta articul. 2. conclus. 2.* Nunquam tamen Curatus dicat infirmo intelligenti, cum fuerit tempus eam dabo; Nunc est tempus eam dandi, aut aliud simile: quia quis est, qui non timeat mortem, quam similia verba vicinam iudicant?

12. QVAEST. *An eam accipiens debeat saltem esse contritus?*

RESP. Debere esse contritum, vel saltem attritum reputatum contritum. Suarez *to. 4. disp. 41. sect. p. n. 19. & omnes.* Curatus tamen excusabitur si det peccatori incontrito, dummodo, vel ille

ille petierit, vel Christianè vixerit. Practica; Reconciliet prius infirmum, si ille valet loqui, si nõ valet, inducat ad actum contritionis maiorem, quem potest.

13. QVÆST. *An Curatus teneatur habere ministrum respondentem?*

RESP. Non esse necesse. Si tamen in tuo Episcopatu aliter prouisum fuerit, obserua constitutionem. Communiter sine ministro datur.

14. QVÆST. *An Curatus peccet, si deferat extremam vnctionem sine lumine aut cæteris solemnitatibus?*

RESP. *Dictum esse cap. 5. num. 39.* Adde obseruandas constitutiones proprij Episcopi. Qui ferret sine causa, venialiter credo peccaret; qui vero cum causa nullatenus. Item si Curatus, quando de nocte timet se vocandum pro infirmo periculoso vespere ferat oleum extremæ vnctionis in cubiculo, vt vocatus expeditius vadat, non benè agit: sufficit, relinquat in Ecclesia in loco solito, & Curatus inde assumat.

15. Sicut nec benè agit, si de nocte reuersus ab vnctione infirmi, vt se citius expediat, oleum non referat ad solitum locum, sed retineat domi vsque mane: Nullum tamen credo peccatum mortale, citra scandalum, vel periculum alicuius irreuerentiæ, & in his obseruet constitutiones sui Episcopi.

16. QVAEST. *An Curatus peccet, si vngendo non obseruet ordinem præscriptum à Rituali?*

RESP. Agat sicut præscribit Rituale: obedien. dũ est enim Eccclesiæ. Quod si cum causa, puta, cũ accedit ad infirmũ videt illũ spirare, & ne hoc

Sacra-

Sacramento careat, vngat partes, quæ sunt illi magis ad manus, tunc non puto eum agere contra pium Ecclesiæ sensum.

17. QVÆST. *Quomodo vngendum?*

RESP. Obseruet ordinem, & modum Ritualis. Communiter in singulis locis sit cum vnctione crux. Nota tamen quoad loca necessariò vngenda, esse duplicem sententiam, quandam affirmantem, quinq; sensuum vnctiones esse necessarias: *ita* Victor. *de extrema vnct.* An ad singulas vnctiones, &c. & citat auctores istius sententiæ. Alteram, non esse necessariam vnctionem singulorum, sed aliquorum. Secundum primam sententiam, quæ est communis, & vsu Ecclesiæ approbata, inungenda sunt loca determinata sensuum: secundum alteram, poterunt aliqua vngi, aliqua nō, stāte necessitate, vt in peste grassante, in qua tunc poterit vngi sensus magis expositus sub vnica forma, vt, Per istam sanctam vnctionē, & suam pijssimam misericordiā, parcat tibi Dominus quicquid per visum, auditū, odoratū, gustatum, & tactum deliquisti, & in hac necessitate organum tactus, poterit esse frons, vel genę. Communiter verò in singulis locis sensuū fit vnctio. Partes, quæ sunt binæ, vt oculi, aures, & aliæ extra necessitatem singulæ vnguntur. In necessitate verò, alterutram sufficiet ad libitum vngere.

18. In Sacerdotibus non vngitur palma, sed vola manus; *Sacerdotale Romanum de extrema vnctione:* licet aliqui negent, *citatur à* Victorello *ibi.* Ego non recederem à Sacerdotali.

19. In fœmina loco renum, non vngitur vmbilicus,

cus, nec partes proximiores renibus, licet *Sot.* loco dicto videatur velle hanc renum vnctionẽ. Carentibus partibus vngendis vnguntur proximiores. Omnes.

20. In cæco à natiuitate bene vnguntur oculi, quia habuit potentiam, licet nõ actum peccandi. Idem dicitur in muto, & surdo organa illorum sensuum. Sot. *ibi.* Tol. *tamen Inst. de extrema vnct. cap. 3. num. 8.* vult prętermittendam vnctionem pedum, & renum, etiam in mare, sed certè Ritualia omnia, & praxis vniuersalis est in contrarium; Vbi tamen fuerit contraria consuetudo, seruanda est: *Victor.* loco dicto, & hoc fortè voluit *Tol.* dicere, eodem modo intelligendus *Victor.* quæ corporis partes inungendæ, &c. Vbi habet in monachis renes non vngendos. In aliquibus locis, post abstersionem locorum vnctorum panno, vel bombice ficco denuo abstergantur alio panno, vel bombice madefacto, aqua prius expressa, bonum, sed non necessarium. Obserua consuetudinem legitimam loci.

21. In partibus binis fit bina crux, sed forma solum profertur semel. Vide an ista practica tibi placeat collata vnctione, ego facio infirmum, ore si potest, siue mente recitare mecum symbolum Apostolorum: Postea protestari se in ea fide velle manere, ac mori, vt sicut in ingressu vitæ, in baptismo symbolum recitauit, sic in egressu ex hac vita idem repetat. Hortor deinde ad concipiendam spem vitæ æternæ. Præterea moneo ad agendas Deo gratias de omnibus beneficijs acceptis, & præcipuè quod moriatur in

suo

suo lectulo Sacramentis munitus. Moneo item, vt se totum Diuinæ voluntati adaptet, eliciendo etiam actum amoris erga D. Maiestatem. In fine instruo quomodo se armet contra desperationem, vel præsumptionem proprij meriti. Doceo præterea aliquas breues orationes iaculatorias, quibus toto tempore agonis vti possit. Præterea curet Curatus semper, vt dum infirmum vngit, & ei commendat animam, astantes genuflexi actionem, & orationes suas, oratione, & deuotione iuuent.

22. QVÆST. *Si in vnctione, & propter vnctionem moriatur infirmus, an vngens fiat irregularis, puta si decumbentem supinum, vt vngat renes faciat voluere in latus & illa ex volutatione moriatur?*

RESP. Benè vngere, qui partes viciniores loci ad vnctionem deputatis vngit. Sed licet casus dictus contingeret, nulla tamen contraheretur irregularitas, quia Curatus dat operam rei licitæ. Sot. *de Inst. num. 5. q. 1. art. 9.* parum vltra medium, & quia iste casus non est expressus à iure. Caueat tamen ab ista volutatione, quia fit frustra.

23. QVÆST. *Quoties sit danda extrema vnctio?*

RESP. Semel pro eodem statu morbi, & quoties pro eodem statu infirmus reciderit, & conualuerit Silu. *vnctio. qu. 8.* Sot. *d. 23. quæst. 2. ar. 3. concl. 3.* Victorel. declarat posse bis dari in eadem infirmitate, dummodo, dum secundo datur, licet infirmus non fuerit prius sanitati restitutus, tamen sit verè in nouo vitæ discrimine, quod concordare videtur dictis.

24. QVÆST.

24. QVÆST. *Quid aget Curatus, si dubitauerit, an infirmus sit viuus, vel mortuus?*

RESP. Si nondum incepit, incipiat, cum conditione si viuit, si incepit, videat an viuat. Sed & in vtroq; casu poterit prius videre an viuat, & postea inungere. Et, si in graui necessitate, quę moram non patitur, poterit Curatus velocissimè sine Cruce vngere vnũ oculum, vnam aurem, narẽ, manum, & os vnica sententia, partiales formales sententias complectens prolata, puta per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimã misericordiam, parcat tibi Dominus, quidquid per visum, auditum, gustatum, odoratum, & tactum dereliquisti. *Vict. ibi. cap.* Ad singulas vnctiones, &c. habet cum Suarez ibi citato, videri sibi probabile rectè agere, *vide etiam sup. nu. 15.*

25. QVÆST. *An, & quando Curatus peccet nõ obseruando ritus, seu non dicendo orationes, quæ sunt in Rituali? loquimur dum per tempus vacat, puta quia infirmus non expirat actu?*

RESP. Formam solam esse necessariam absolutè. Introeat verò, & aliæ orationes, sunt necessariæ de præcepto Ecclesiæ, & ista omittere sine causa non expedit. Reliqua, puta septem psalmos, nõ credo necessarios, quia in aliquibus Ritualibus habetur. Astantes dicant septẽ psalmos, in alijs verò habetur, Sacerdos dicat septẽ psalmos, postea vngat: quia si essent necessarij de præcepto Ecclesiæ, vbique eodem modo præscriberentur. Sed & si essent de præcepto, possunt, & debent omitti in vnctione illius, qui iam iam expirat. Ita praxis vniuersalis.

26. Expedit Curatum habere paruam crucem dan-

dantem indulgentiam plenariam inuocanti nomen Iesu, & hanc semper cum extrema vnctione afferre, & conari, vt infirmus dictam indulgentiam consequatur: Vel saltem hoc idem curare per globulum benedictum vulgariter, *grano benedicto*, quem secum pro hac re habeat.

27. QVÆST. *Quanta diligentia Curatus properet pro vnctione afferenda infirmo? Vide c.5.n.38.*

28. QVÆST. *An extrema vnctio detur peste infecto?*

RESP. Et credo communiter non dari, cum non sit, secundum aliquos, Sacramentum absolutè necessarium, sed regulas te iuxta dicta *c.8. num. 34.* In alijs verò morbis etiam inficientibus datur. Et si volueris dare in peste, non video prohibitum, poteris tamen vti remedio *dicto ca. 7.num.75.* Posse autem tunc dari instrumento ligneo, aut argenteo concedit *Victorel.* de extrema vnct. Non discedendum credo à constitutionibus tui Episcopi. Vide suprà aliam practicam pro peste infectis, *num.31.cap.8.* Idem dicitur de leproso, de habente cancrum, vel vlcus fœtens, & de rabido, quia omnium est eadem ratio. Porrò, quia potest contingere Curatum vocari ad infirmum, qui potenter fœteat, Curatus vtatur remedijs *cap 7.num.79.* Quæ nisi prosint sufficiet facere necessaria, & reliqua omnia omittere.

Præterea in agendo cum istis laborantibus morbo inficiente, nota bonam practicam. Curet Parochus habere vestes breues, & ita aptas eas colligat, vt quam maximè potest, fugiat cõtactum infirmi: licet enim sibi hoc modo prouidere

uidere vtili hac circumspectione. Et hæc nota pro omni administratione Sacramentorum in morbis inficientibus. Præterea ægrum faciat constituere in loco puro, & libero sine vestibus, quoad fieri potest, & vtatur meris essentialibus, *vt est dictum num. 19.* & muniat ex peste se antidotis & præseruatiuis iudicio medici. Suarez *tom. 4. disp. 44. sect. 3. num. vlt.*

A. VICTORELLI
Ad Caput IX. Notæ.

NOn posse, &c.] Vti veteri oleo, (sine contemptu & scandalo) lethalis culpa nō est.

De chrismate veteri comburendo, & nouo adhibendo præceptum *extat cap. si quis de alio, de consecr. dist. 4. c. litteris, dist. 3.*

De nouo infirmorum oleo vsurpando nullum legi præceptum, seruanda tamen consuetudo: & rituali tui Episcopi libello obtemperandum. *De hac re in Disput. de vnctione extrema, pag. 8.*

6. Si nullo periculoso morbo laboret homo, sciensque & prudens extremam vnctionem recipiat, peccat mortifere: & Sacramentum non perficitur: neque enim quilibet ęgrotans Sacramenti huius est capax.

7. Excommunicatus iurisdictionem exercere non potest: sed, quam docui, communis sententia est; & *Suarez* ipse excommunicatum vices suas, ex accidenti delegare posse non negat, *to. 4. dist. 44. sect. 2.*

Excommunicatus non vitandus, si vocatus Sacramenta ministret, nō peccat, vt multis placet. *Vide l. de extr. vnct. p. 92.*

15. Vnctionem quinque sensuum necessitate præcepti, necessariam esse, quidam putant: *ut* Sot. *4. d. 23. qu. 2. art. 3.* Val. *to. 4. d. 8. q. p. 2.* etiam necessitate Sacramenti S. Thom. *4. disp. 23 q. 2. art. 3.* hæc ait. [Illa vnctio ab omnibus obseruatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti. *Plura in nostro libr. de vnct. extrema, pag. 61.*

Sensus magis expositus, &c. Hoc non probat *Suarez*, (quod notatum est à me *pagina 66. in eodem libro*) nec probarent *Sot. & Val.* existimantes quinque sensuum organa necessitate Sacramenti perungenda.

In monachis renes, &c.] Sot. *li. ca. hæc habet* [Vnctio in renibus posset optime excusari: quare in religionibus, & in quamplurimis Ecclesijs vnctio illa non est in vsu, propter pudorem, præcipuè in fœminis.]

17. In nouo vitæ, &c.] *Ita sentiunt* Albert. Mag. *4. d. 23. a. 21.* Petr. *à* Sot. *lect. 2. de extr. vnct. ex* D. Tho. Sot. *4. disp. 23. qu. 2. art. 3.* Suarez *to. 4. d. 40. sect. 4. num. 5.*

21. De diligentia. *Vide* Concil. Mediolanens. *4. & 5. & quæ à me scripta libro de Extr. Vnctio præterea* S. Malachiæ *exemplum à* S. Bernardo *narratum, & à me relatum l. cit. pag. 137.*

22. Parochum vnctionem extremam cum vitæ periculo administrare debere, nonnulli censent. Suarez *to. 4. dist. 40. sect. 3.* de hac re copiosè differit, & ita statuit: si impendeat verum morale vitæ periculum, quod vitare Parochus nequeat, non tenetur, cum tam graui periculo, vnctionem præbere: tenetur tamen aptis medicorum reme-

remedijs vti, vt periculum vitet, vel illud præuenire: at si postquam omnia præstitit, morale periculum adsit, non tenetur; tenetur, si absit.

Teneturne Parochus tempore pestis Sacramenta per se ministrare? *Suarez* Parochum excusat, si idoneum Vicarium habeat, qui diligenter id efficiat, & necessariam ouium necessitati opem ferat: nec eum idoneo diligentique Vicario instructum cogeret, ad habitandum intra fines loci quem pestis vexat; dum tamen proximè adesset, animoque pro ouium salute diligentissime excubaret: & eas Vicario ministro diuinis aleret alimentis.

APPENDIX.

De Vnctione extrema.

CHrismate, ex oleo, & balsamo, aut oleo catechumenorum vnctionis extremæ sacramentum ministrandum non est: alterutro tamen peracto valeret. Oleum debet esse ex baccis oliuarum expressum, & ab Episcopo, necessitate Sacramenti, consecratum: Si Deus per miraculum liquorem aliquem in verum oleum verteret, id quoque aptum esset. Forma deprecatoria est: Trinitatis inuocatio, aut crucis efformatio, ad Sacramenti essentiam non spectat. Senes, dum ijs ex senio mors impendet, vnctione sacra liniri possunt; de angium morsibus ictis, de vulneribus affectis, de mulieribus in vitæ discrimen ex partu vocatis, idem sentiendum: Si post vnam, aut alteram vnctionem, quia hominem mortuum putabas,

alias omisisti: dum eum viuere agnoscis, omissas adhibe. Adultis statim post baptismum, morituris, ex morbo, ministranda Vnctio, iustisque ex materno vtero. Confessio præmittenda, non tamen ex præcepto. Cum nota attritione suscipi non potest, quia statum gratiæ postulat: attritus tamen, qui se inculpabiliter, contritum putaret, hoc remedio iustus efficeretur. In suscipiente suscipiendi sacramenti propositum, implicitum saltem, & petitio, saltem interpretatiua requiritur. Quinque, vt vidimus, sensuum organa necessario inungenda, & ad singulas vnctiones singulæ partiales formæ proferendæ sunt. Duo oculi, duo pedes, duæ aures, duæ nares, duæ manus liniuntur: vnius tamen oculi, auris, naris, manus, pedis vnctio sufficeret ad valorem sacramenti. Præpostero vti ordine peccatum est, sed non irritatur Sacramentum.

Sub mortali peccato, sacram hanc Vnctionem ab ægrotis in vitæ periculo constitutis, suscipiendam esse Petr *à* Sot. *lect. 2. de ext. Vnct. affirmat:* alij plures negant, si desit contemptus Petr. *à* Sot. probabiliter loquitur; non improbabiliter alij. *vide* Suarez *tom. 4 disp. 44. sect. 1.*

Initio diuturnioris lethalis morbi hoc Sacramentum conferri potest, & in diuerso mortis articulo iterari. Solus Sacerdos est minister, si Diaconus, aut laicus perungeret, lethali sacrilegio se obstringeret, & Sacramentum nullum esset Episcopus, Parochus, & ille Sacerdos, cui ab his facultas facta est, iuste ministrare potest. Qui sine facultate, aut ratihabitione, vel necessitate grauissima, minister esset, delinqueret grauiter:

& si

& si regularem trium votorum vitam professus esset, excommunicationis pœna plecteretur. Greg. de Val. *tom. 4. d 8. quæst. 2 part. 1.* cum alijs quibusdam, sæculares etiam Sacerdotes huius legis violatores excommunicationis mucrone feriri putat: se Clem. de solis loquitur Religiosis, & pœnæ sunt restringendæ, *c. odia de reg. iu. in 6.* [Religiosi qui Clericis, aut laicis Sacramentum vnctionis extremæ, &c.] Hanc veram sententiam quo *Suarez* que tuetur *tom. 4. d. 44. sect. 2.*

Plures Sacerdotes, vnus post alium, immo eodem tempore, si vnusquisque linia, & formam proferat, hoc Sacramentum valide ministrare possunt.

Hæc omnia, & alia multa, scitu digna, qua potui diligentia, in edito de vnctione extrema tractatu persecutus sum, ad eum confuge, si paucis hisce, necessarijs hac breuitate indicatis, contentus non es. De effectu huius Sacramenti hic *nihil*, ibi multa. Nicolaum Serrarium de extrema vnctione scripsisse, testatus est Petrus Ribadeneira in Catalogo Scriptorum Societatis Iesu: aut ego eam lucubrationem non vidi.

CAPVT X.

DE MATRIMONIO.

SVMMARIVM.

1. Requisita à Concil. Trid. pro matr.
2. Denunciationes quot, & quales.
3. Quis dispensat in denunciationibus.
4. An creditur Vicario iubenti denunciat fieri.

5. Interpellatio denunciationum.
6. Remissio denunciat an peccatum.
7. Denunciationes interruptæ quando resumãtur.
8. Quomodo fiant denunc. si adest. imped.
9. Curatus quomodo quærat fidem contrahentium
10. Vbi debeant fieri denuntiat.
11. An possint fieri in alia Ecclesia à Cura.
12. In qua Missa fiant denunc.
13. An Curat. possit Mat. celebrare sine denunciat.
14. Dies festus quis.
15. An Matrim. sit faciendum statim post denunciationes.
16. Curatus proprius an sit necessarius minister Matr.
17. An necesse sit Cur. esse Sacerdotem.
18. Vbi fiat Matrimonium.
19. An Cur. peccet mortaliter coniungens domi.
20. An Cura. possit in aliena parochia iungere suos.
21. An possit in alieno Episcopatu. (iungere.
22. An Cur. alienus de scientia proprij possit con-
23. Assistentia parochi qualis.
24. Quo habitu Cur. assistat.
25. Testes pro matrimonio.
26. Ætas testium requisita.
27. Matrimonium quando nullum.
28. De tempore celebrandi Mat.
29. Prohibitio benedictionis nuptialis.
30. Quando incipiat tempus prohib.
31. An tempore vetito licitæ sint letitiæ traductionis sponsæ.
32. Hora faciendi Matrimonij.
33. Dubium emergens in celeb. Mat.
34 Testes quot pro impediendo matrim.

35. Curatus sciens impedimentum an reuelet cum scandalo.
36. Cum quando periculo reuelandum sit.
37. De minantibus grauia Curato assistenti matr.
38. Cum consensus non est liber.
39. Consensus quomodo exprimatur.
40. Quando dissentiunt quid agendum.
41. Vagabundi quomodo cõiungendi sint matrim.
42. An litera dispensat. sint necess. qua.
43. Cur. qui scit impedimentum secretum.
44. Quomodo respondendũ habẽti votũ castitatis.
45 Quid agendum cum matr. quod prius fuit clandestinum.
46. Matrimoniũ clandestinũ q transit in sponsalia
47. Contrahentes cum conditione.
48. Forma matrimonij quanam.
49. Matrimonium per procuratorem celeb.
50. Forma mat. contracti per proc. ex parte Curatꝰ.
51. Forma procuratoris contrahentis.
52. Quæ prohibentur in celeb. Matr.
53. Benedictio nuptialis cui sit danda.
54. An non virgo sit benedicenda.
55. An vna benedictio possit fieri simul super multas sponsas.
56. Benedictionem quis dat.
57. Matrimonium quomodo reualidatur.
58. Infideles conuersi an reualident matr.
59. An renouare consensum bonum.
60. Quomodo puerpera sit introducenda in Eccl.
61. An officium puerperæ possit fieri domi. (rũ.
62. Officiũ pro dissolutione maleficij portuũ mulie-
63 Traduc. vxoris pro multum tempus.
64. De coniugatis absque præsentia parochi.

QVÆSTIO. 1. *Quod requirat* Concil. Trid. *sess. 24. cap. 1. de reform. matri pro matrimonio?*

RESP. Inter cætera requirere.

2. Denunciationes, quas vult esse tres faciendas diebus tribus festiuis continuis, in vnoquoque vnam: & Curatus in altero istorum deficiens, videtur peccare mortaliter, quia non obseruat graue præceptum Concilij, licet in aliquo illorum excusetur à doctoribus, vt dicetur infra, de omittente vnam denunciat.

3. In denunciationibus Episcopus potest dispensare. Vicarius gener sine speciali facultate non item Silu. *matrim. 6. q. 5. not. 2. in fine*, elicitur etiam ex dicto loco Concilij, nam ibi Concilium videtur requirere industriam personæ Episcopi.

4. QVAEST. *Si Vicarius generalis iubeat Curatum denunciare vna, aut altera vice, solum, an Curatus tuto possit credere Vicario ad hoc facultatem factam esse ab Episcopo?*

5. RESP. Posse, etiamsi Episcopus absit, vel Vicarius ipse paucis diebus antè interrogatus à Curato; an posset in numero denunciationum dispensare, respondisse non posse: quia rationabiliter Curatus potest credere, factam ab Episcopo postea facultatem Vicario dispensandi per epistolam.

6 QVAEST. *Quale peccatum sit interpellare denunciationes?*

RESP. Esse, qui putent esse mortale sine causa, quia sit præceptum in re graui. Omittere vero vnam esse solum veniale vult Rebell. *de oblig. li. 2.*

li.2.q.7.sect 2. num.10. Omittere verò eas sine causa erit mortale, cum sit mortale interpellare, quod est minus.

7. QVÆST. *An si Curatus ex causa, puta facta vna denunciatione, & detecto impedimento, interpellet denunciationes, postea superata difficultate, num. sufficiat, vt faciat duas omissas, an debeat facere omnes?*

RESP. Et credo sufficere, si facit duas omissas, quia quod denunciationes sint continuę concil. ibi præcipit, ne fraus in eis faciendis adhibeatur: at in casu nostro videtur cessare omnis ratio fraudis.

8. Porrò quando impedimentum inter contrahentes est clarum, possunt fieri ante, & post obtentam dispensationem, sed congruentius fiunt post Sil. *d. 28. q. 2. art 2. conc. 3.*

9. QVAEST. *An Curatus, qui scit contrahentem esse alterius Curæ, teneatur ipse ab isto contrahente fidem quærere, vel sufficiat per alios notificetur hoc impedimentum?*

RESP. Per se teneri, & ita practicari.

Bona practica est nõ facere denunciationes, nisi habito consensu sponsi, & sponsæ, vel parentum illorum, aut saltem illorum, qui eorum curam gerunt, quia ita multa inconuenientia euitantur. Si tamen in tua Cura fuerit consuetudo diuersa quæ ab Episcopo non fuerit improbata, illam obserua.

In quibusdam locis, cum sunt denunciationes faciendæ alicuius, qui antea matrimonio fuerit copulatus prius probatur esse solutũ, deinde denunciationes fiunt. Fortè est superfluum,

fluum, cum per denunciationes omnia soluentur. Sed nec superfluum, cum secundum legitimam consuetudinem loci, fœmina est vidua, sed non contrahens, cui debetur benedictio ratione consuetudinis in illo loco vigentis. *Sed vide, nu. 48.*

10. QVÆST. *Vbi denunciationes sint faciendæ?*

RESP. Concil. ibi velle faciendas esse in Ecclesia in Missa consuetudo interpretaretur in parochia sponsi, & sponsæ, si sint diuersarum parochiarum.

Si verò alter contrahentium sit quidem alterius Curæ, sed de nouo sit factus habitator illius Curæ, empta domo, & eam inhabitante, in qua Curæ denunciationes fiant?

RESP. Obseruandas constitutiones Episcopi, quæ si non adsint, ita posset agi. Faciendas quidem denunciationes ibi, sed & faciendas in priori parochia habitationis istius.

Si autem faciendæ sint denunciationes illius, qui nunc est vir, & habitat in tua cura, sed cum illuc venit, erat septennio minor; Credo tutò posse te facere eas, quia si non contraxit post aduentum in tuam parochiam, nec potuit contraxisse antè non solum matrimonium, sed nec sponsalia de futuro, per impotentiam ætatis, & ita potest tutò contrahere, & tutò possunt ibi denunciationes fieri.

11. QVÆST. *An si in oppido sit nisi vnica parochia, & in die festo populus confluat ad aliam Ecclesiam, quia ibi de consuetudine talis festi dicitur Missa Parochialis, an ibi denunciationes fieri possint?*

RESP.

RESP. Posse, quia saluatur mens Concilij denunciationibus faciendis, quæ est, vt parochiani eas audiant.

12. QVAEST. *An si in parochiali, maximè oppidi, sint duæ missæ debeant denunciationes in vtraque fieri, vel an sufficiant fieri in alterutra?*

RESP. Et videtur dicendum obseruandam cõsuetudinem; Communiter faciendæ sunt in ea quæ habet rationem parochialis, puta quia in ea solent fieri, siue sit prima, siue secunda: Certum præterea est, non esse faciendas extra Ecclesiam. Nec in Ecclesia, (priuatè: nec in Ecclesia, extra Missam, nec etiam in vesperis, aut publica concione) qui. Concilium explicat in Missa faciendas.

13. QVÆST. *An Curatus auctoritate propria possit celebrare matrimonium sine denunciationibus?*

RESP. Dictum esse supra numero primo, & secundo, regulariter non posse. Poterit tamen, cum aliqua vrgens, & grauis causa adfuerit. *Sot.* distin. vigesimaoctaua, articulo secundo concl. 3. talis erit. Cum quis est in articulo mortis, & vt relinquat malum statum peccati, contrahit cum concubina tunc facto matrimonio denunciationes faciendæ, vide infra numero trigesimoprimo. Item quando si in deprædatione ciuitatis, qui essent coniuges, saluarentur. Item si concubinarij iter facientes deprehenderentur esse tales, & periclitarentur. Item si alter volens contrahere impediatur à cognato, vt iterũ magna hæreditate fruatur. Item si esset vtile multum, ex tempore duos coniungi, qui elapso.

tempore impedirentur. Hæc tamen omnia sunt intelligenda, quando nec Episcopus, nec Vicarius, potest audiri. Nauar. *cap. 16. num. 3* Cand. *in 4. p. ca. 1. nu. 17.* Et si non datur tempus recurrendi ad Episcopum aut Vicarium celebrato matrimonio, eos de facto admoneas.

14. QVAEST. *Quid intelligendum nomine diei festi, in quo denunciationes sunt faciendæ?*

RESP. Intelligendos festos ex præcepto, & consuetudine, & etiam ex deuotione, etiamsi non seruetur festus; nisi vsque ad meridiem: quia dum consilium non distinguat; nec nos distinguere debemus, & in omnibus saluatur mens Concilij, quæ est, vt denunciationes fiant tempore, quo audiantur à populo, & his diebus populus potest audire, quia ad Ecclesiam confluit. Sic doctissimi Romæ consulti.

15. QVAEST. *An matrimonium statim post denunciationes faciendum, seu celebrandum?*

RESP. Ferdinandus Rebel. *de obligationibus 3. p. lib. 4. in additionibus nu. 8.* ex decreto Conc. celebrandum infra quatuor menses post denunciationes: alias denunciationes iterum faciēdas. Tu tamen vide an in tuo Episcopatu sit alia consuetudo scita, & tolerata ab Episcopo, & eā tutò potes obseruare. Sed; & prudenter in aliquibus Episcopatibus cauetur, non celebrari matrimonium, eadem die, qua vltima denunciatio finitur, vt reuelans non eludatur angustia temporis.

16. QVAEST. *An Curatus proprius sit necessarius pro matrimonio?*

R. Necessariū ex conc. ibi Ratihabitio alterius parochi nō valet, bene valeret, si facta fuisset facul-

facultas generalis exercendi omnia spectantia ad officium parochi. *Rebell. in addit. ibi li. 4. p. 2. nu. 62.* Facultas hæc debet esse in scriptis, ad probationem: *Idem 2. p. li. 2. q. 8. n. 1.*

17. Non est necesse Curatum esse Sacerdotem, licet bene pro danda nuptiali benedictione, ideo si Curatus adhuc non sit Sacerdos, poterit ipse celebrare, dummodo, adde, non vtatur stola, & benedictionem Sacerdoti delegere. *Idem ibi. nu. 2.*

Curatus est aptus, etiamsi ab Episcopo, vel eius Vicario interdictum fuerit illi non assistere certo generi personarum, si ijsdem astiterit. Rebel *2. p. de oblig. in addit. 4. li. Curatus suspensus ab officio vel excommunicatus non tolleratus, est aptus. Idem 2. par. li. 2. q. 8. nu. 9.* licet peccet. Idēmet Curatus potest alteri Sacerdoti dare licentiam assistendi: tenet Rebel. ibi licet etiam offeratcontrariam opinionem. ibi. num. 9. Hanc eandem facultatem potest dare Vicarius perpetuus, & amouibilis Curati. *Idem ibi. numer. 8. & in addit. libro quarto, num. 67.*

18. QVÆST. *Vbi celebrandum matrimonium?*

RESP. Consilium ibi præcipere, vt fiat in facie Ecclesiæ. Consuetudo est in parochia sponsæ, potest etiam fieri in parochia sponsi, si sponsa ad eius domum descendit *ex Cong. Concilij Rebell. in addit 4. li. 2. parte, nu. 34.* Nauar. *in noua editione. ca. 25. num. 144.* Potest etiam celebrari domi, *Idem ibi ex eadem congregatione, num. 14.* Et ordinarium non posse prohibere, idem ibi habet ex eadem Congreg. *nu. 16.* Hortandus tamen ad celebrandum in Ecclesia. Tu dic celebrandum

iuxta consuetudinem loci scitam & approbatam ab Ordinario, à qua ipso inconsulto non discedas, quia posses puniri.

19. An verò, qui contra communem consuetudinem legitimam iungendi in Ecclesia, hoc ageret domi sine causa, peccaret mortaliter?

Resp. Rebell. *de obligat 7. pri. lect. v. qu. 7. sect. 2. nu. & distinguit esse mortale vbi per Episcopum ita est praeceptum, aliàs mortale non esse.*

20. Qvæst. *An Curatus in aliena parochia possit iungere suos matrimonio, etiam sine licentia parochi loci?*

Resp. Rebell. *2. p. l. 2. q. 8. nu. 5.* posse, & citat *Nau.* ex decreto dictæ Congregationis. Ideo potest per Sacerdotem subrogare, licet ab Episcopo non approbatum: non autem hoc potest diaconus, aut illo inferior, cum Concilium requirat Sacerdotem Obserua leges tui Episcopi.

21. Qvæst. *An Curatus hoc possit etiam in alieno Episcopatu?*

Resp. Videri dicendum posse, cum per hanc actionem nullius iurisdictio violetur, & nulli fiat iniuria. Prudenter tamen aget Curatus, si isto priuilegio non vtatur, nisi vrgente causa, quia posset incidere in vexationē. Obserua semper leges tui Episcopi, & consuetudinem legitimam.

22. Qvaest. *Si alioqui contrahere volentes, & timentes impedimentum abeant in alienum locum, an Curatus illius loci possit, de licentia tamen Curati istorum contrahere volentium, eos coniungere?*

Resp. Rebell. *2. p. l. 2. q. 8. n. 5.* posse, & probat ibi contra *Nauar.* citatum ibi. Tu tamen non

assistas.

assistas, nisi ad Episcopum re prius delata.

13. QVÆST. *Qualis debeat esse assistentia parochi, vel alterius de illius licentia assistentes?*

RESP. Rebell. *in add. 4. n. 51.* Debere esse tale, vt appareat à contrahentibus hac de causa adhibitus fuisse, nimirum vt audiat, vel videat, & aduertat quid fiat.

*Et si adsit inuitus, vel compulsus valet Matrimonium ibi. nu. 52. & si adfuit, sed affectauit non intelligere. valet matr. idem ibi. nu. 53.

24. QVÆST. *Quo habitu assistat Curatus?*

RESP. Habitu ab Episcopo præscripto, si nullus præscribitur, ordinario in loco iuxta laudabilem consuetudinem. Sine talari veste saltem non assistere laudabile non videtur.

De modo bono practicandi matrimonium, *v. c. 12. nu. 41.*

25. QVAEST. *An, & quot testes requirantur pro matrimonio?*

RESP. Requiri duo, aut tres per Conc. Trid. *sess. 24. c. 1. de refor. matr.* Communiter sunt duo. Obserua consuetudinem loci, saluo tamen numero duorum. Aptus est pater, mater, & quilibet cognatus, etiam infamis testificari prohibitus. Rebel. 2. *p. l. 2. q. nu. 8.* Item fœmina. Sil. *testis, q. 1. not. 2.* Ineptus, & mente captus, ebrius, furiosus dum non habet lucida interualla, & infans. Rebel *ibi Praxis.* Adhibe si potes maximè matrimonio litigioso, testes, omni exceptione maiores: nã licet omnis testis sit aptus, vt est dictũ, tamẽ si adhibiti fuerint patientes exceptionẽ, poterũt excipi. Debent autẽ testes adhiberi simul, dũ cõsensus exprimitur per cõtrahentes, nõ successiuè.

cessiuè. Idem ibi, & debent adesse taliter, vt adnertant sensu, & intellectu, quid agatur idem ibi.

26. QVÆST. *An aliqua ætas requiratur in teste?*

RESP. Rebel ibi ad sufficientiam pro validitate matrimonij requiri talem ætatem, quæ habeat vsum rationis. Ideo ad cautelam pro matrimonio litigioso, quære maiorem 14. anno, quia talis non potest excipi. *Sil. impubes, & testis, loco dicto.*

27. QVÆST. *Ex dictis conditionibus Concilij, quæ sint necessitate absolutè, ita vt si deficiat, matrimonium sit nullum?*

RESP. Testes, & præsentia Curati, vt est dictum. Si quis tamen inualidè contraxisset, ob defectum consensus, vel cum impedimento dirimente, obtenta dispensatione sat erit iterum consentire sine Curato, & testibus. *Rebell. li. 2 de matr. q. 9. n. 5.*

28. QVÆST. *Quo tempore sit celebrandum matrimonium?*

RESP. Omnes omni tempore posse celebrari; benedictio tamen nuptialis, & solemnitates nuptiarum prohibentur à Conc. Trid. *sess. 24 ca. 10. de reform. mat. ab Aduentu Domini vsque in Diem Epiphan. & à feria 4. Cinerum, vsque ad octau. Paschatis inclusiuè.*

29. Prohibetur vero hoc tempore benedictio nuptialis, quæ datur cum sua Missa, & traductio sponsæ in domum sponsi cum conuiuijs, & signis lætitiæ. Silu. *matr. 7. quæst. 2 not. 5.* Nauar. *cap. 22. nu. 71.* Caiet. *matr. cap. 2. & verbo nuptia.* Absque verò solemnitatibus licita est traductio; quidam tamen citati à *Silu.* ibi negant. Igitur considerandum est, vt bene notat *Silu* ibi, si in loco

loco prohibeatur sola traductio sine solemnitatibus: quia tunc sponsa non poterit traduci, etiam absque solemnitatibus. Rebell. *li. 3. de matr. q. 18. n. 2.* vult requirendam licentiam Episcopi: Quod credo intelligendum, vbi sine licentia nõ traducitur sponsa, quia vbi traducitur absque licentia, sciente, & tollerante Episcopo, non erit necessaria licentia, tali consuetudine vim obtinente contra canonem prohibentem talem traductionem. Aduerte tamen, quod quando quærenda est licentia Episcopi, pro volentibus contrahere tempore prohibito, vt est dictum, intelligendum esse exceptis in casibus dictis supra num. 11. necessitate excusante.

30. QVAEST. *Quando incipiat dictum tempus?*

RESP. Sil. vbi supra. Incipere à principio noctis præcedentis, quo est pulsata Aue Maria. Vel à media nocte. Vel à mane diei, in quo incipit tale tempus. Probabilius iudicat incipere, vel in sero, vel in media nocte præcedenti; tandem concludit standum consuetudini. Hoc tene, & qua hora incipit, ea desinit.

31. QVAEST. *An qui solemniter traduxit sponsam, v. g. dominica quinquagesimæ, possit dominica sequenti, quæ erit prima quadragesimæ, vbi est talus mos facere multa lætitiæ signa pœnitentia ad traductionem solemnem sponsæ, & tanquam illius finem?*

RESP. Si consuetudo sit scita, & tolerata ab Episcopo, posse; si contrarium, non posse. Curatus tamen euellat corruptelas istas, sed vtatur dexteritate.

32. QVAEST. *Qua hora sint facienda matrimonia?*

RESP.

Resp. Obserua consuetudinem legitimam loci. Vbi nihil est determinatum, hora conueniens est matutina, quia tunc potest dari benedictio, quæ datur cum Missa: Et etiam si non daretur benedictio, est hora conueniens est matutina, quia tunc potest dari benedictio, quæ datur cum Missa. Et etiamsi non daretur benedictio, est hora conueniens honori Sacramenti.

33. Qvæst. *Quid si spirante termino, in quo potest fieri matrimonium, instet celebratio matrim. & emergat casus duorus, & non detur tempus consulendi peritum nec studendi, quid agendum?*

Resp. Si dubietas est de gradu prohibito, vel de re, quæ sit contra substantiam matrimonij non celebrandum matrimonium: Si est de re quæ non sit de substantia, considera; & age, quod prudenter in Domino faciendum iudicaueris: Si immineat periculum proprium, vel alterius differendo celebrationem, vide an tenearis iure defensionis, vel correctionis, vt dicitur *nu. 13.* Et iuxta ibi dicta agas: Si nullo iure teneris, *implora* brachium coactiuum Episcopi, vel seculare. Sæpè etiam iuuat in similibus repentinis ineuitabilibus, aliquo ingenioso modo declinare. Prudentia docet.

34. Qvaest. *Quot testes requiruntur ad impediendum matrimonium?*

Resp. Sufficere vnum affirmat Nauarr. *c. 22. n. 83.* Debet tamen esse fide dignus, & iuratus. Ideo si eueniat casus, Curatus, vt omnem vexationem fugiat quam posset incurrere, si vno allato impedimento, postea negaret se attulisse, & Curatus probare non posset, & interim pars fluctuaret ira-

ira:ita agat, Mittat, reuelantem ad notarium, qui reuelationem excipiat, & iuramentum exigat: Si hoc non poteſt, quia non adſit ibi notarius faciat reuelationem tradi ſcripto. Si nec hoc poteſt, adhibeat in reuelatione duos teſtes. Quando tamen aliquis ex ſua denunciatione timet ſcandalum ſecuturum, etiam ſi probare poſſit, non tenetur reuelare. Nauar. *ibi.* At ſi Epiſcopi excommunicatio de facto incutiatur contra nõ reuelantes, qui legitimè impeditur non incurrit eam. *Omnes.*

35. Dubium eſt. *An ſi iſte reuelet, & Curatus* (quippe qui prudentior) *videat, ſi velit ipſe factum detegere, ſecuturum graue ſcandalum. An ipſe teneatur reuelare?*

Resp. Non teneri reuelare, quia periculum ſcandali excuſat, iuxta *Nauar.* vt nu. ſuperiori. *Si verò non conſtat de futuro ſcandalo, ſed adſit aliqua ſuſpicio?*

Resp. Videri dicendum reuelationem hanc poſſe ad tria capita reduci. Vel primo ad caput Defenſionis proximi. Vel ſecundo ad caput, & regulas correctionis fraternæ, Vel tertio ad cap. præcepti Eccleſiaſtici, ſiue canonũ iubentiũ reuelationẽ. Si reducatur ad primũ, clarum eſt Curatũ teneri defendere proximum lege naturali. *Nauar.* comment. de defenſione proximi *n.* 23. & lege charitatis, & diuina, tanquã Chriſtianũ. Omnes enim ad hoc tenemur, cum hac tamen limitatione, quando ſua reuelatio alteri prodeſſet, & nõ noceret ipſi reuelanti, vel noceret alteri tantũ, quantum, ſi nõ defendendo noceret ipſi reuelanti. *Nau. ibi nnmer.* 25. Et non eſſet alius reuelaturus,

laturus, Curato non reuelante. *Idem ibi nu.* 39. deducitur etiam *ex num.* 47. Si vero reducatur ad ſecundum caput correctionis fraternæ, tenetur Curatus, & omnis Chriſtianus agere ſecundum regulas correctionis fraternæ, quæ notantur *à* Silu. *correctio per totum.* Nauarr. *cap.* 24. *numer.* 12. *& ſequentibus, cum citatis ibi. quæ ſunt* 4. Prima eſt, quòd ſit certum partem corrigendam mortaliter peccare. Secunda, Quod ſpereture mendatio, vel ſaltem non timeatur deterior ratio. Tertia. Quod ſit opportunitas. Quarta, Quod commode fieri poſſit. Ideo conſiderandum ſcandalum; quod ſi timeatur maius ſcandalum non reuelandum. Si autem reducatur ad caput, puta quod nō detur locus nec defenſioni nec correctioni, (quod tamen vix eſt poſſibile,) nam delata re ad Epiſcopum, & implorato brachio coactiuo Epiſcopi, vel ſeculari: ſi Epiſcopus non adſit fideiuſſionibus omni periculo occurretur, Curatus non tenetur vi præcepti Eccleſiaſtici, reuelare cum ſcandalo, vt proponitur, *quia* Eccleſia non ligat ſuis legibus, cum tanto periculo.

36. QVAEST. *Cum quanto periculo teneatur reuelare in caſu neceſſariæ reuelationis?*

RESP. Si agatur de peccato euitando, me teneri cum periculo vitæ meæ, & rerum mearum, dummodo iſte non peccet ex malitia. Si agitur de ſolo damno, quod communiter videtur poſſe adeſſe, puta quod vir cogatur ſuſtinere onera matrimonij, cum hoc ſit magnum damnum bonorum, & corporis, non teneor cum damno bonorum meorum impedire damnum bonorum alterius,

alterius, nec cum damno corporis mei, damnum corporis alterius, ita omnes.

37. QVÆST. *Si pater minetur grauia Curato assistenti matrimonio filij, qui contrahit illo inuito, & filius instet de illius celebratione?*

RESP. Nullum peccatum esse matrimonium rationabiliter impedire, nam Conc. Trid *sess. 24. ca. 1. de reform. matrim.* decernit ne denunciationes fiant, cum probabilis est suspicio, matrimonium malitiosè impeditum iri: Et cum prohibeat malitiosè, videtur Concilium concedere posse impediri rationabiliter. Propterea cum nullum sit peccatum rationabiliter impedire, licitum erit patri impedire matrimonium filij positi sub patria potestate cum contrahit cum dedecore, vel ignominia patris. Idem poterit mater. Rebell, *libr. 2. de matrimon. quæst. 14. numer. 8. & 9.* Idem credo de tutoribus, & curatoribus, cum & hi Curam gerant filiorum. Idem videtur rationabiliter de consanguineis, saltem in vicinioribus gradibus, & cum sint nobiles, & contrahatur cum persona notabiliter eos ignominia afficiente; quia, & hæc iniuria iustè ab istis propellitur, impediendo matrimonium. Et cum isti possint impedire tenetur etiam Curatus à celebrando matrimonio supersedere. Porrò, quia ista, & similia non sunt adeo repentina, vt omnis prouisio desit, prudens Curatus moneat Episcopum, & iussa exequatur. Quod si patre opponente impedimentũ rationabile, filius opponat rationabiliorẽ causam excusantẽ, puta quòd velit contrahere cum ea, cũ qua contractis sponsalitijs rem habuit, vel opponat aliam similem

causam

causam rationabiliorem ? Curatus Episcopum moneat, & iussa exequatur? si hoc, penuria temporis, non potest, assistat, quia sicuti iste filius tenetur hanc ducere, ita Curatus tenetur horum matrimonio adesse.

At si dubium sit, an ratio patris sit rationabilior ratione? Assistat, quia in dubio declarandum est in fauorem matrimonij Rebell. *ibi.*

38. *Quid aget Curatus, cui certò constat sponsum, vel sponsam non habere consensum liberum?*

Resp. Non debere assistere tali matrimonio. Sed si antè celebrationem constitit ei de hoc, & tamen, dum interrogat de consensu, respondet consentire, rectè poterit credere, prima opinione relicta vero matrimonio consentire. Practica. Statim atque audierit à fide digno (quia non est credendum omnibus) non adesse consensum liberum, rem deferat ad Episcopum, qui prouidebit. Si instet celebratio matrimonij, & non datur recursus ad Episcopum, Curatus per fidelem hominem curet intelligere, an consensus sit liber; si caret isto fideli sufficiet, vt interroget ipse, (si non potest secretò) dum celebrat matrimonium, solita interrogatione. At si dixerint consentire, credat quod dicunt.

An saltem quando dubitat, consentiat nec ne debeat interrogationi ordinariæ, aliquid efficacius addere, puta, sciatis matrimonium debere esse liberum; igitur. si verè consenseritis, liberè referre aut dicere aliud simile?

Resp. Si non est periculum scandali posset aliquid addere, maximè si verba artificiosè contraxerit: Sed etsi nõ adderet, nõ malè ageret, quia

benè

benè iudicat qui iudicat ex allegatis & probatis, & benè credit, qui credit vt verba sonant, licet de contrario timeat: quia potest credere mutatū prima opinione, & tunc vere consentire, quia in moralibus vt ait Sot. *dist. 27. qu. 1. art. 3. dub. 1.* non requiritur euidentia, sed sufficit ratio.

De matrimonio eius, qui antè amentiam dedit consensum, an sit solemnizandum post amentiam, *vide ca. 5. n. 6.*

39. QVAEST. *Quomodo consensus exprimatur?*

RESP. Per verba, per nutus, & signa & aliquoties etiam per taciturnitatem puellæ Sil. *matr. 2. q. 7.* satis etiam exprimitur per parentes, vel quasi parentes, vt tutores, & similes: si tamen exprimatur ab extraneo, non valebit. Rebel. *li. 2. de matr. q. 10. n. 9.*

* Ideo scrupulus, cùm Curatus ad suam interrogationem vult contrahentes respondeant sub hac forma, volo, vel nolo: sufficit enim vt declarent consensum, vt est dictum.

Practica. Ego non assisterem matrimonio nisi aliquo signo ostenderetur consensus: quia quomodo possem probare consensum, nisi ostenderetur signum consensus? Et testes cuinam rei testes essent? Taciturnitatisne, an consensus? Si consensus, quomodo probarent? Si taciturnitatis, non sunt vocati pro taciturnitate.

40. QVAEST. *Si in actu interrogatorij an consentiat, alter omnino nullum signum consensus exprimat?*

RESP. Quod non assisterem vt est dictum. Sed si clarè dicat nō consentire? Clarū est nō esse assistendum. Quid aget tūc Curatus? Nō disponat

renuen-

renuentem ad consentiendum, sed sinat prouinciam cognatis vel amicis, interim dum disponitur, habeat se merè passiuè nihil dicendo, sit numen præsens, ne qui dissentit cogatur minus assentiri, quia metu consentiens non debet matrimonio coniungi, cùm desit consensus, qui debet esse liber Sil. *merus q. 8.* An verò Curatus teneatur ad istam assistentiam, vt impediat cõsensum illum periculosum?

Resp. Cum non videatur ibi futurus alius qui tam benè impediat, tenebitur lege charitatis, qua liberet pauperem illum ab illa miseria quæ est magna, videlicet accipere vxorem, & eam coactam alere, si tamen non timetur ista metu incussio, poterit abscedere.

41. Qvæst. *Quomodo practicandum matrimonium vagi?*

Resp. Non assistendum, nisi prius veritate (id est, eum esse solutum,) cognita, probationibus receptis per testes idoneos iuridicè examinatos, & ad Episcopum transmissos, & habita *ab ipso* facultate assistendi. Ita *Conc. Trid. sess. 24. cap. 7. de reform. matr.* Vagi nomine Concil. ibi accipit eum, qui vagatur, & incertas sedes habet. Alij verò vagabundi, vt qui habent domicilium in vno loco, sed etiam habitant alibi, & qui habent domicilium, sed nullam habitationem, vt peregrini, & viatores, quo modo tractandi? Consule Episcopum. Communiter fiunt denunciationes ante istorum matrimonium in parochia originis & domicilij, & fides transmittitur ad Episcopum, & iussa exequuntur. Obserua placita tui Episcopi diligenter, nam sæpè contingit istos aliam, & forte

fortè plures vxores (si vxores dicendæ sint) alibi habere.

42. QVÆST. *Si Curatus sit Vicarius Episcopi, & assistat matrimonio, cui est concessa dispensatio Papalis, & per eum debet expediri, & testes examinati probarunt veritatem narratiuæ, sed ipse oblitus ponere decretum dispensationis, matrimon. illi assistit?*

RESP. Et credo esse validum matrimonium, si non habuit animum contrarium, quia illud assistere in isto, qui potest dispensare, & decretum nihil aliud operatur, nisi quòd probationem dispensationis præbet.

43. QVÆST. *Quid aget Curatus, qui scit in confessione secretum impedimentum matrimonij, an tali matrimonio assistit?*

RESP. Si iam præcesserunt denunciationes, & habuit licentiam Ordinarij assistat: Si nihil horum præcessit, occultè petenti occultè neget, & publicè petenti annuat. Sed si scit, & potest probare, debet eis reuelare, & subministrare probationes, tacendo rem habitam in confessione. Si non potest probare, non tenetur reuelare, nisi credat probabiliter profuturum. Silu. *conf. 3. q. 12.*

44. QVÆST. *Quid aget Curatus cum habens votum continentiæ vel castitatis interrogat, vtrum matrimonium contractum valeat, stante tali voto, cùm si Curatus respondeat valere, ille arripiat occasionem peccandi contrahendo, & si dixerit non valere, mentiatur, quod non licet?*

RESP. Nauarrus capitulo vigesimo secundo, n. 73. Esse peccatum respondere affirmatiuè, cũ

est persona talis, & adest talis circũstantia, quo credatur interrogantem occasionem arreptu rum contraueniendi voto. Silu. *verò matrim. quæst. 5. not. 9.* ait non esse peccatum, eo quòd iste peccans ex malitia peccet, & per cõsequens non curandum de scandalo illo: sed tamen monet prudenter eludendum. Nota tamen, vt in respondendo, solum respondeas quantum sufficiat ad interrogationem, & non plura.

45. Qvæst. *Quid aget Curatus, cùm factis denunciationibus, & nullo impedimento detecto, contrahentes asserant, se prius clandestinè, id est, sine præsentia Curati, vel alterius de eius licentia contraxisse; an tunc Curatus possit assistere isti matrimonio, cum primum fuerit nullum,* & Concil. Trident sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. *nihil aliud velit, qua huiusmodi contrahentes, esse omninò inhabiles ad sic & non aliter contrahendum?*

Resp. Rem deferat ad Episcopum, & iussa exequatur, nec aliter assistat. Rebel. enim de sponsalibus in additione *lib. 4. nu. 70.* Ex decreto Congregationis Concilij, videtur requiri placitum Episcopi.

46. Nota tamen matrimonium clandestinum in puberem, & impuberem, etiamsi sit nullum per Concilium loco dicto resolui tamen in sponsalia de futuro: Matrimonium vero puberis cum testibus, sed sine parocho, vel alio de eius licentia esse nullum per Concilium ibi, & non resolui in sponsalia, etiam copula sequuta Rebel. *de matrim. lib. 2. q. 9. n. 7.*

47. Qvæst. *Quid aget Curatus, si contrahentes contrahant conditionibus appositis?*

Resp.

RESP. Si sunt conditiones turpes, vel impossibiles (de quibus abundè Doct.) non assistat. Si non sunt vitiantes, etiam non admittat, sed faciat eos absolutè contrahere. Et si parochus admittat matrimonium vno apponente conditionem, altero verò absolutè contrahente, tenet matrimonium. Rebel. *de matr. lib. 2. q. 10. nu. 15.*

48. QVÆST. *An formula Ritualis, videl. Ego vos coniungo in nomine Patris, & Filij, &c. & Benedictio adhibenda sint?*

RESP. Adhibendas, siue illis, siue alijs verbis, iuxta receptum vniuscuiusque prouinciæ ritum Concil. Trid.

49. QVÆST. *Ante celebrationem matrimonij celebrati per procuratorem, teneatur videre mandatum mandantis?*

RESP. Non teneri. Rebell. *de matrim. lib. 2. q. 4 num. 2. in fin.* Tu non assistas nisi Episcopo monito, & annuente.

50. QVÆST. *Qua forma vtatur Curatus, cùm assistit matrimonio contracto per Procuratorem?*

RESP. Vtatur forma solita in loco, si de nulla constat, vtatur ordinaria: Ego vos coniungo, &c. Et nullus est error, quia eo modo quo contrahit, eo coniungit: cùm autem alieno nomine contrahat, etiam alieno nomine coniungat.

51. QVÆST. *Qua forma curabit Parochus tales Procuratores contrahere?*

RESP. Non dari certam formam verborum, Candelab. *de matrim. minist. c. 27.* præscribit in hūc sensum: Placetne Domino N. accipere Bertam in coniugem, prout tibi procuratori mandauit cum legitimo mandato? Et deinde vxori:

Et tibi Domina Berta placet accipere in coniugem Dominum N. prout tibi N. procuratori legitimo mandauit, & vtroque annuente, addat Curatus, Ego vos coniungo in matrimonium, &c.

52. Curatus omnes nugas aliquando fieri solitas in matrimonio exterminet sensim, sed liberè: sicuti eas quæ in traductione sponsæ sapiunt peccatum, de illis verò, quæ possunt in bonam partem accipi, non sit sollicitus.

53. QVÆST. *Benedictio nuptialis cui sit danda?*

RESP. Fœminæ tunc solum, quando primo nubit, & non, cum post viduitatem transit ad secundas nuptias. Sil. *nuptialis benedict. q.* 2 Nau. *ca.* 22. *nu.* 83. *not.* 35. Alij aliter habent, citantur, Silues. ibi. Si in loco adsit alia consuetudo legitima est seruanda, etiamsi sit contra dicta, nam vt notat Rebel. *de matr. li* 3. *q.* 10. *n.* 3. *de bigamia*, seruanda est legitima consuetudo diœceseos.

Si quaris an hoc habeat locum solum, si fœmina sit virgo, an etiam quando sit corrupta, & constat?

RESP. in ordine ad benedictionem non attendi virginitatem, nec corruptionem, sed solum si nuptiæ, ex parte primæ benedicendæ sint, vt *ex* Sil. *&* Nau. *& alijs elicitur.*

55. QVÆST. *An benedictio sponsæ fieri possit eodem tempore vnico contextu super plures sponsas?*

RESP. Posse, quia nullibi contrarium cauetur. Datur autem hæc benedictio per Curatum seu eius Vicarium in Missa propria, & dat eam Curatus sponsæ vel sponsi, si sponsa transierit ad do-

domum sponsi. Rebel. *de oblig. in addit. 4. lib. de matr. num. 78. ex* Congreg. Conc. Trid.

57. Qvæst. *Quomodo reualidandum sit matrimonium nullum, sed contractum coram parocho, & testibus?*

Resp. Si est periculum scandali in muliere, si viro minaci impedimentum inualidans reueler, tunc mulier dissimulanter persuadeat viro dum beneuolus apparet, vt velit ex tunc habere eam in vxorem, sicut & tunc ipsa acceptat eum in maritum. Vel consule, vt dicat marito se angi scrupulis, quare roget, vt vterque consensum renouet, & ita renouent. Si non adsit periculum scandali, Nau. infra ait, faciendum esse, vt est dictum. Qui enim scit impedimentum, curet, vt innocens sciat se esse à matrimonio liberum, & prius contractum fuisse inualidum, deinde nouum consensum quærat. Nau. *cap. 22. nu. 47.*

Si vero reualidandum sit matrimonium nullum, & factum sine testibus, & præsentia Curati, non dicitur propriè reualidari, sed oportet denuo contrahere cum solemnitat. Concil. Trident. videlicet denunciationibus, testibus, & Curato. In casu vero reualidandi matrimonij minacis prudenter aget Curatus, si illum pro consilio ad alium miserit, vt se exoneret à periculo molestiæ.

58. Qvæst. *si infideles cum coniuge baptizetur, an eorum matrimonium sit reualidandum?*

Resp. Negatiuè, vt tamen euadat Sacramentum, erit necessarius nouus consensus; cætera omittentur. Rebel. *de matr. li. 2. q. 6. n. 5.* Et credo bonum hos ad hoc hortari, vt fructu Sacramenti fruatur,

59. QVÆST. *Si dominus, qui per procuratorem contraxit, adducta sponsa quærat à Curato ab ipso coniugi, quid agendum?*

RESP. Obseruandas constitutiones Episcopi. Si desint, annuat Curatus, & præstet omnia, quæ in matrimonio solent præstari, excepta benedictione sponsæ, cum alias est data. Nec hoc erit Sacramentum reiterare, sed ratificare sacramentum iam validum, Rebell. *de matr. lib. 2. q. 5. n. 10.* Decentius est admonitum de validitate primi contractus admittere ad ratificationem, omnibus alijs amputatis.

De libro matrimonij, *vide c. 12. n. 41.*

60. QVÆST. *An puerpera statim à partu introducenda sit in Ecclesiam?*

RESP. Silu. Purificatio mulierum, & affirmat. Et nullum est peccatum, etiam antequam solitæ orationes super eam perficiantur, eandem introducere, quia & canes puerpera impuriores non expelluntur ab Ecclesia tanto rigore. Vidi obseruari cum summo rigore non introduci, nisi absolutis orationibus, sed cogi expectare præforibus, etiamsi esset pluuia, & cælum valdè inclemens. Tu introduc, ita tamen age, introductas statim intra ostium Ecclesiæ super easdem genuflexas lege solitas orationes & dimitte.

QVÆST. *An dictæ orationes possint legi domi super puerperam.*

RESP. Posse, sed Curatus desuescat suas, assuescat verò ad honorandam Ecclesiam, & ad accedendum ad eam.

QVÆST. *An Curatus, qui statim à partu eius, quæ erat maleficiata, vocatus est ad recitandas dictas*

dictas orationes super puerperam, eo quod nescio qua ratione moti domestici existimarent maleficium non processurum vlterius, si statim à partu dictæ orationes recitarentur, teneatur vel benefaciat annuere votis pœnitentium?

Resp. Et dico primò, dictas orationes institutas ob actionem prescriptam quæ cum habeat adnexum locum, videlicet Ecclesiam, eo ipso, quo extra fiunt, non habent totam suam rationem institutionis; quod tamen cum possit rationabiliter iustificari, puta ad agendas gratias Deo pro beneficio partus, poterunt etiam extra Ecclesiam ex hoc capite non reprobari. Dico secundò, dictas orationes non esse institutas ad maleficia dissoluenda, ideo cum effectus speratus sit orationi inconueniens, dictæ orationes loco & tempore dicto non videntur conuenire, & per consequens talis earum vsus videtur potius abusus. Dico tertio: Si velimus tenere sentẽtiam Leonardi Lessij *de iust. lib. 2. c. 45. n. 45.* qua affirmat licere nos ponere aliqua, quibus positis expirat vel destruitur pactũ prius diaboli, & diabolus desinit nocere, vel certè priora signa vim suã amittunt, dummodo tamen credetur in actione seu positione non concurrere actionẽ dæmonis, vel nõ sit dubium hanc actionem esse dæmonis, quia tunc non liceret ea vti, nisi cũ expressa protestatione, se nolle cõcurrere cũ actione dæmonis; igitur si secundum ista velimus tenere, licitum erit in hoc sensu prædictas orationes prædicto modo ad instantiam patientis facere. Sed cum illa obseruatio statim à partu sapiat manifestam superstitionem, nullo modo ego annuerẽ

petitioni, cum hoc esset cooperari superstitioni.

62. Credo tamen bonum, Curatum adire hãc puerperam, & orationibus conuenientibus pro dissolutione maleficij. & præcepto prohibitiuo, vt in flagello dæmonum Exorcismo 7. facto dæmoni curare liberationem istius miseræ patientis.

63. * QVÆST. *An peccet, qui vxore acceptarite secundum* Trid. Conc. *Sed nondum illa tradita; puta quia in annum plus minusue secundum morem loci traditio dicitur, consummat matrimonium antequam statum tempus aduenial?*

RESP. Abusum hunc dignum extirpatione tamquam multorum malorum causam vt clari experientia docet. Ad quæstionem dico, Matrimonium præstito consensu cum legitimis solemnitatibus habere totam suam perfectionem; ideo vsum eius tunc licitum, etiam ante sponsæ traditionem; nec fieri malum, aut peccatum, etiamsi malè accipiatur à cognatis sponsæ, si dicta eueniant ante traditionem. Ratio est, quia istud illorum motiuum est irrationabile.

64. QVÆST. *Quid aget Curatus, si in sua cura aduenient coniugati non obseruata forma* Conc. Trid. *maximè de assistentia Curati, ac testium, coniuncti tamen matrimonio, vbi dictum Con. non est receptum?*

RESP. Obseruet constitutiones sui Episcopi, si adsint: si non adsunt, sinat cohabitare, & vt legitimè coniugatos habeat.

)(

A. VI

A. VICTORELLI
AD CAPVT X. NOTÆ.

VIcarium Episcopi generalem, sine speciali delegatione, in denunciationibus dispensare posse, affirmant Sbrozius *de Officio Vic. lib. 2. qu. 201.* Sanchez *lib. 3. d. 7. de Matrimonio. Ordinario Trident. Syn.* (*sess. 24 cap. 1. de matrim.*) *hoc concedit: at Vicarius generalis Episcopi Ordinarius est* Menoch. *tamen consil. 69 alijque negant.*

Denunciationes ad matrimonij essentiam (quicquid nonnulli dicant) non spectant. Per. *de* Ledes. *de matr. q. 45. art. 5.* Sanchez *li. 3. d. 5. Et Congr. Concil.* sunt tamen de præcepto obligante ad mortale. Sanch. *l. c.*

Tribus festis diebus, sese statim subsequentibus, publicationes fieri nõ deberẽt: breue enim tempus efficere posset; ne detegerentur impedimenta: si inter vnam aut alteram denunciationẽ duo interponantur dies satis est; si duæ omittantur, non statim, post vnicam illam, matrimonium celebrandum Sanchez *li. 2. dist. 6. nu. 8.*

Consummare matrimonium, ante denunciationes ab Ordinario non remissas, peccatum lethale est. Lethale etiam Parocho, si non curet, vt ante consummationem fiant, quando in tempus matrimonij celebrationem subsequens reiectæ fuerunt. Sanch. *d. 11. nu. 3 l. c.*

4. Interpollare denunciationes, magno temporis spatio non interiecto, lethale non putat. Sanch. *d. 5. nu. 8. l. c.*

8. Denunciationes extra ædem Sacram (etiam ante matrimonium) fieri possunt, cum frequens populus adest, vt concionatorem extra eam concionantem audiant. Sanch. *lib. 3. d. 6. nu 9.*

Denunciationes in vtriusque sponsi parochijs faciendæ sunt; in ijs scilicet, quas ij diutius incoluerunt, in quibusque præcipuum habent larem, & impedimenta facilius cognosci possunt: vnde non est necesse, vt in ea Parochia fiant, quam sponsi recens cœperunt incolere. Sanch. *dist. 6. num. 6. 7.* In Parochijs, in quibus sponsorum parentes vetustam habent sedem, eas multi censent faciendas; & sic declaratum à Cardinalibus testatur Seguta 2. *p. Direct. Iudicum, c. 16. citatus etiam à* Sanch. *l. c.* Si non fiant in vtriusque sponsi parochijs, mortiferum crimen existimat. Sanch. *D. 5. nu. 8.*

10. Extra Ecclesiam, &c.] Vide notata ad num. 8.

Editui, mandantibus Parochis, celebranda matrimonia denunciare possunt; sic praxis habet; quam Manuel. *1. tom Summæ cap. 217. edit. 2.* Sanchez *D. 6 num. 5. l. 6. non reijciunt.*

11. Cum aliqua vrgens, &c.] Si quis vellet matrimonium contrahendum malitiose impedire, & non haberetur Ordinarij copia; periculumque esset in mora; posset Parochus, denunciationibus prætermissis, matrimonio interesse; idem asseras: si mortis vrgeret articulus, & matrimonij celebratio, vel proli legitimandæ, vel morientis hominis saluti prodesset: & ad Ordinarium aditus non pateret. Necessitati non est præscripta lex. *c. 2. de obseru. ieiun.* v. Sanch. *d. 10. n. 27. l. c.* Sà v. *matrim. n. 5.*

Dum

Dum mora periculum non affert, malitiosi impedimenti suspicionem non sufficere, vt Parochus denunciationes remittat, (faciendas etiam ante matrimonij consummationem) docet Sanchez, & optimè (*disp.7.n.17.*) licet multi ab eo citati, reclament.

12. Si feriali die magnus hominum numerus ad templum confluat, tunc denunciationes fieri posse, Sanchez, probabiliter censuit, *d.6. nu.10.* at Congreg. Conc. quæ multa de matrimonio explicauit, negat fieri posse denunciationes diebus ferialibus. *Declar.19.*

14. Non est necesse Curatum esse Sacerdotem, &c.] Clericus prima tonsura insignitus, parochiale beneficium possidens, matrimonio assistere, & Sacerdoti, etiam Regulari, assistendi facultatem concedere potest. Ledesm. *de matr. q.45. art.5. ex Congreg. Conc.* Vide Nauar. *lib.4. conf.30. de spons.* Sanch. *lib.3.di.20.* Rodriq. *parte prima, cap.217.*

In scriptis, &c.] Negat Sanch. *d.35.nu.10.l.c.*

Curatus, &c.] Vide Sà *v. matrimonium.nu.1.* Rodriq. *l.c.* Comitol. *l.1.q.114. Resp.mor.16.* Per Episcopum ita est, &c.] Congreg. Conc. docuit, (Rebello teste *de obligat. iust.*) ordinarium non posse prohibere; quin matrimonia domi fiant; si hoc verum, nō obligabit sub peccato mortali.

18. Vide Sanch. *lib.3.d.19.num.24.*

19. V. Rodriq. *1.p.c.217.*

20. Moralis præsentia requiritur, physica nō sufficit: si Parochus corpore adsit, & verba exprimentia consensum non audiat, aut nutus non videat, & rem, quæ agitur, non animaduertat;

non efficitur matrimonium; quia is præsentiam moralem non exhibuit. De hac re diligenter *Sanchez lib.3.d.39.* Hoc ipsum de testibus affirmandum.

Si Parochus, per dolum vocatus, si videretur, si casu interfit, & consensum sponsorum expressum, intelligat; etiam si dicat. In hoc matrimonium non consentio, nec illa proferat verba. Ego vos in matrimonium coniungo.] Matrimonium, ex hoc capite, validum erit: solam enim moralem præsentiam Synodus Trident. requirit. *Vide* Sanchez *l.c. & declar. Congreg. Concil. sect.3.declar.38. & 52.*

Si contrahentes alieni idiomatis sint, satis est, si Parochus, & testes mutuum eorum consensum, per interpretem agnoscat. Sanchez *l.c.*

22. Ne in articulo quidem mortis coram Parocho, & vnico teste valebit matrimonium (quidquid dixerit, sine vlla probabilitate, neotericus quidam autor) duorum aut trium testium præsentiam, cum Parocho. Concil. Trid. postulat. *sess.24. c.1. de matrimonio.* *Vide* Pet. de Ledesma. *quæst.45. art.5.par. 3. de matrimonio,* Sanchez *li.3.d.17. & 41.*

Pater, &c. Jetiam excommunicati, infamiáq; notati, si vsu polleant rationis, in fauorem matrimonij, testes esse possunt. *Vide* Rodriq. *1.par. c.217 nu.17.* Sanchez *l.c.nu.3.*

Parochus, & testes, non successiue, sed eodem tempore adesse debent: *Idem l.c.nu.3.*

23. *Vide* Sanch. *l.c.*

24. Tres sunt de hac re sententiæ: prima docet, Matrimonium iterum coram Parocho,

& te-

& testibus contrahendum esse: secunda addit, si hoc sine scandalo & infamia fieri possit: tertia, (in quam iuit Sanchez, *lib. 2. D. 37.*) mutui consensus renouationem inter coniuges, sine Parocho, & testibus, satis esse, tradit: Post Clementis VIII. responsum, sola prima sententia locum habet: Interrogatus Clemens Pontifex Maximus, quid agendum in matrimonio nobilis fœminæ, ob defectum interni consensus, nullo? respondit, matrimonium, admonito viro de matrimonij nullitate, coram Parocho & testibus renouandum esse: ad scandalum tamen vitandum concessit; vt illud matrimonium sine Parocho, & testibus coniuges renouarent. Hæc à docto viro Paulo Comitolo lib. 1. Responsorum moralium, q. 120. qui addit; *Quare post Apostolicæ Sedis dijudicationem nemini est amplius integrum de re secus opinari.*

Quid igitur agendum in re simili, quando coram Parocho, & testibus inualidum matrimonium, sine scandalo, aut infamia, renouari non potest? Petendum à Summo Pontifice, vt matrimonium, nemine præsente, sola mutui consensus renouatione perficiatur.

Coniugem occulti impedimenti inscium nullitatem matrimonij, antequam id renouetur, docendum esse, non dubito, post Clementis VIII. responsum: quam sententiam grauissimi Doctores olim secuti sunt; Sanchez *præcipue lib. 2. D. 36.* Satis autem est, nullitatem patefacere, si causam nullitatis tacitus præterire quis velit: & id facere aliquando præstabit.

26. Tempus feriarum Quadrageſimæ incipit à media nocte. De tempore feriarum Aduentus nonnulli idem dixere; ſed probabilius eſt, harum initium ſumendum à primis Veſperis Sabbathi. Conſule Sanchez *lib. 7. diſt. 7. nu. 2.*

30. Ad matrimonium, nondum contractum, impediendum, vnus teſtis, qui impedimentum fateatur, ſatis eſt, *c. ſuper eo, el. 2. de teſt. & arreſt.* nam agitur de crimine impediendo. v. Sanchez *lib. 1. d. 71.*

37. De vagis, de eorum Parocho, & contrahendis matrimonijs, Sanchez *lib. d. 25. diligentiſſime.*

Vagi ſunt, qui priori domicilio penitus relicto, iter habent, quæruntque, vbi domicilij ſedem figant. *l. eius, qui manum, §.* Celſus, *ff. ad municip.*

Horum confeſſiones excipere, & matrimonijs intereſſe, diligenti inquiſitione præmiſſa, & Ordinarij licentia habita, quicumque parochus poteſt; etiam ſi in proprij parochi fraudem, primum domicilium deſeruiſſent. Sanchez *lib. c.*

Si alter vagus, alter incola ſit, idem affirmat. *l. c. num. 14.*

Qui priori parochia relicta, aliam quærit, & in aliqua ad breue tempus, hoſpes degit, poteſt coram quocunque illius vrbis parocho connubium inire; ratione enim parochiarum eſt vagus. *Idem num. 3. l. c.*

Vagorum parochus alij Sacerdoti concedere poteſt; vt eorum matrimonijs validè aſſiſtat. *num. 15. l. c.*

Si

Si parochus, ordinarij venia non obtenta, & diligentia non præmissa, vagos matrimonio iungat, lethali inficitur labe; infringit enim Concil. Trident. decretum in re graui: non est tamen irritum matrimonium, quia Concil. decretum irritanti clausula munitum non est. *nu. 16. 17. loc. cit.*

Si in aliquo loco, Summi Pontificis concessu, vagis destinatus esset confessarius: is tantum eorum matrimonio interesse posset.

36. Ad externum regimen Confessionis Sacramentalis cognitione vti non licet Clemens Octauus non motu proprio, de caluum reseruatione, pro Regularibus, vetat; ne Superiores huiusmodi scientia ad extremam gubernationem vtantur. Quidam putant, id licere; quando nullum adest periculum violationis sigilli Sacramentalis: at superiorem sententiam secutus est Sanchez *lib. 3. D. 16.*

Quid aget Parochus, qui in confessione impedimentum dirimens inter sponsos coniugium inire volentes agnoscit?

Quinque dicendi modis recensitis, has conclusiones statuit Sanch.

1. Parochus, aut alius Sacerdos veniam assecutus siue matrimonio assistendi, siue alia Sacramenta ministrandi, hominem etiam occultè postulantem, ob crimen in sola confessione cognitum, repellere non potest.

2. Si huiusmodi peccator occultè postulet, potest Confessarius secreto eum admonere, vt id facere desinat.

3. Non tenetur licentiam ab ipso petere, ad eum

eum monendum de scelere, quod admissurus est. In sola Sacramentali Confessione eum monere tenetur.

4. Vt procurator validum matrimonium, alieno nomine contrahat, quatuor requiruntur conditiones.

1. Vt speciale mandatum habeat, ad matrimonium contrahendum.

2. Vt mandatum sit ad ineundum matrimonium cum certa persona.

3. Vt procurator id muneris per se obeat non enim substituere potest; nisi mandatum expresse hoc explicet.

4. Vt dum consensum præbet, facultas reuocata non sit, v. Sanch. *lib.2.D.11.*

Matrimonium per procuratorem contractum Sacramentum est: licet nonnulli negent, *vide eundem l.c. num.27.*

Procuratorem, pro contrahendo matrimonio vsus rationis ad consentiendum præditum esse oportet, & satis est.

Hanc ætatem postulat naturæ ius, Sanch. *lib. 3.D.41. num.7.*

Matrimonium per epistolam contrahi posse, & Sacramentum esse, negant quidam: affirmat Sanch. *D.12.lib 2.*

48. Vtriusuis contrahentis Parochus benedictiones impendere potest, Sanch. *lib.6.D.82.*

Sacerdos alienus, sine Parochi, aut Ordinarij licentia, benedicens suspensus est, ipso iure, Conc. Trid. *sess.24. c.1.*

Quoad secundarum nuptiarum benedictionem, quatuor sententias explicat Sanch. *lib.7. dist.82.* qui tandem sic distinguit. Si

Si alter, vel vterque coniux, in primo matrimonio, benedictionem accepit: non est ea repetenda: si neuter impendenda.

In quibuscumque locis viget consuetudo, vt secundis nuptijs benedictio adhibeatur, quando alter tantum in priori connubio, illa auctus fuit, hæc consuetudo non parit præceptum, sed excusat à violatione legis communis, *l. cap. nu. 24.*

Matrimonium ante benedictionem consummare, lethalem culpam non esse, scribit Pet. de Ledesm. *quæst. 45. art. 5. de matrim.*

52. Quomodo reualidandum, &c.] Lege notata ad numerum vigesimum quartum, & Comitolum *lib. 1. quæst. 120. Resp. mor. tom. 1.*

53. Tres extant de hac re sententiæ: tertiam, matrimonium infidelium, dum ambo baptismo initiantur, sine nouo consensu, Sacramentum effici, docentem sequitur Sanch. *lib. 2. dist. 9.* & nos (sextus iam labitur annus) vbere, nondum edita, disputatione defendimus. De hac re Card. Bellarm. loquens, ait: *Siue igitur coniugati post Baptismum iterum contrahant, siue persistant in contractu antiquo ille consensus mutuus signo aliquo, aut saltem copula expressus Sacramentum coniugij facit in ijs, qui iam per Baptismum capaces Sacramentorum effecti sunt.*

APPENDIX I.

De Matrimonio.

PArochus suorum matrimonio extra diœcesim Episcopi sui assistens, sine eius, aut Ordinarij, aut Parochi loci in quo assistit, licentia,

centia, non peccat) si desit scandalum) & matrimonium valet, Sanch. *lib. 3. D. 19. n. 18.*

Qui duo habet in distinctis parochijs domicilia, quorum vnum hyeme, æstate alterum, æqualitate morali, incolit, coram altervtrius parocho matrimonium cõtrahere potest. *d. 24. l. c.*

Si quis cum sponsatus, animi gratia, se conferat; non potest coram illius ruris parocho, sine sui parochi aut Ordinarij licentia validum coniugium celebrare. v. Nauarrum *consil. 7. de clandestin. desponſ.*

Archipresbyter Cathedralis matrimonijs totius Diœcesis interesse non potest; sed solum suæ parochiæ: nisi ita deputatus sit; vt totius diœcesis homines, pro Sacramentis suscipiendis, ad eum confugere possint. v. Sanchez *lib. 3. d. 27.*

Ille alicuius parochiæ parochianus efficitur; qui in illa per non breue temporis spatium habitat, vt negotium aliquod conficiat, ad suum domicilium, eo confecto, rediturus. Sanch. *dist. 23. l. 1. num. 13.* Quidam tamen probabiliter docent, necessarium esse, vt ibi domicilij sedem figere velit, *num. 11. ibi.*

Parochum Christianæ fidei rudimenta nescientes, (Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Decalogi, & Ecclesiæ præcepta) à matrimonio arcere posse, nisi senio, vel tarditate ingenij sint incapaces, aiunt Barth. à Ledes. & Vega, negat Sanchez probabilissimè. *lib. 3. dist. 15. n. 18 & 19.* quia ad Parochum non spectat impedimenta constituere: potest tamen (nisi aliud Episcopus præcis-

præcipiat) suauibus monitis, per breue aliquod temporis spatium, eos detinere, donec discant; verum, si vellent matrimonium contrahere, nõ possent repelli. *num.19.l.c.*

Quid aget Parochus sciens, ex coniugum confessione eorum matrimonium inualidum esse? Sanchez his præpositionibus respondet. *lib.2.d.38.*

1. Si ignorantia cuiuscumque iuris, aut facti vincibilis sit, & mortiferè culpabilis, tenetur parochus admonere, etiamsi inde scandalum pœnitentis oriturum sit, & monito nihil vtilitatis allatura.

2. Si pœnitens erronea conscientia ductus putet aliquid mortiferum crimen esse, debet ei confessarius veritatem facere: sed hæc propositio ad rem non facit.

3. Si parochus probabiliter speret, sua monita, sine graui scandalo, aut damno, profutura, teneturadmonere quamuis ignorantia facti, vel iuris sitinuincibilis. Sat est autem monere, post absolutionem.

4. Si ignorantia humani iuris, aut facti inuincibilis sit, non afferat præiudicium tertio, & nullus speretur ex monitione fructus, Confessarius non tenetur admonere.

5. Idem putat dicendum, si ignorantia sit circa diuinum, & naturale ius. Quod alij negant diuini, & naturalis iuris ignorantiam culpabilem putantes.

6. Idem affirmat, etiamsi crimen illud, quod inuincibilis ignorantia excusat, in damnum proximi cedat, quod alij non concedunt.

Tres

Tres posteriores propositiones intelligendas sic ait, 1. nisi confessarius probabiliter putet, ignorantiam illam ab alio confessario, qui se non ita prudenter geret, amouendam; 2. nisi pœnitens incertus, ac dubius, interrogationes veritatem exploret.

3. Et nisi timeatur malum aliquod contra commune bonum, ex illa ignoratione.

4. Nisi spes adsit, fore; vt post breue pœnitentis scandalum, admonitio profutura sit.

5. Nisi confessarius sit proprius parochus, & impedimentum probare queat.

APPENDIX II.

De Matrimonio.

QVando contrahentes, vel eorum alter, sunt peregrini, vel alienigenæ, parochus rem deferat ad Ordinarium, & sine eius licentia eorum matrimonio non interfit, Conc. Trid. *sess. 24. cap. 7. de matrim.*

Quando post denuntiationes impedimentum obijcitur, matrimonij celebrationem omittat parochus; sed de matrimonij impedimento non cognoscat. Hoc ad Ordinarium spectat. Sanch. *lib. 3. D. 15. n. 3.*

Matrimonio negantis impedimentum, quod extra confessionem confessus fuerat, non potest adesse parochus; sed rem totam ad Ordinarium deferre debet. *Idem l. c. n. 6. cont.* Philiarcum.

Quando parochus occultum dirimens impedimentum extra confessionem cognoscit, contrahentes matrimonio iungere non potest: etiamsi id publicè petant. Si nemo impedimen-

tum

sum objiciat, ipse Ordinarium moneat: ex officio enim tenetur impedimenta explorare, *num. 12. l.c.*

Si cognitum extra confessionem impedimentum dispensatione, pro foro conscientiæ, sublatum parochus agnoscat, potest assistere matrimonio, si impedimentum illud à nemine coram se, aut Ordinario delatum sit: si delatum sit, non potest assistere; nisi externi fori dispensationem aspiciat, *num 15. & 16. l c.*

Moneat parochus sibi subiectos homines, debere quemlibet cognita futurorum matrimonium impedimenta detegere. Hoc non facere lethale peccatum est; etiamsi occulta sint impedimenta, & probari nequeant: (vide Sanchez *lib. 3. D. 3.*) nisi cognoscens impedimenta magnum ex denuntiatione scandalum probabiliter rimeat. Quidam dicunt, nisi impedimentum illud sub sigillo secreti acceptum sit, sed hoc soli sacro confessionis sigillo concedit Sanchez.

Qui ex verbis viri fide digni impedimentum exploratum habet, tenetur detegere, si ille non detegat.

Qui audiuit, adesse impedimentum, & modo non recordatur, à quo audiuit; vel scit, virum illum nihil certi scire, non tenetur hoc dicere.

Si occultum impedimentum dispensatione, pro foro conscientiæ, sublatum quis agnoscat: denuntiare non tenetur, Sanch. *l.c. & bene.*

Denuntiationes vsurpantur, vt detegi possint impedimenta, illę autem ob alias etiam causas à Conc. Trid. non expressas ante, & post contractum

ctum matrimonium omitti possunt, si ita Episcopus iudicauerit expedire. *Ex Congreg. Conc. Declar. sect. 2. vbi multa denuntiationib. Ea habes in hoc libro.*

APPENDIX III.

De Matrimonio.

DVm duo parochi parochiam insolidum administrant, alter (altero etiam nolente) Sacramenta conferre, & matrimonijs assistere potest. Sanch. *lib. 3. d. 24. in fine.*

Sine parocho, aut alio Sacerdote de eius, vel Ordinarij licentia, & duobus saltem testibus matrimonium etiam in articulo mortis, contractum nullum est: si contrahatur in loco, vbi promulgatum & receptum sit Trid. Conc. *de parochi, & testium præsentia decretum. sess. 24. c. 1. de matrim.* vide Sanch. *d. 17. num. 4.*

Parochi proprij præsentia, vel alterius Sacerdotis de eius, vel Ordinarij licentia, necessaria omnino. Satis est, si sit alterius contrahentium parochus, & valebit matrimonium celebratum in parochia sponsæ, coram parocho sponsi: imo in aliena parochia vel diœcesi: nec peccabit parochus, si scandalum, & contemptus defuerit: idem dicas, de Sacerdote; cui parochus, vel Ordinarius assistendi facultatem fecit. *Idem lib. 3. d. 34.*

Parochus non Sacerdos, vt dictum fuit, potest assistere; at delegatus ab eo debet esse Sacerdos: alioquin irritum esset matrimonium. Considera verba Concilij. Vide Sanchez *d. 20. lib. 3.*

Si

Si Episcopus peculiari iussu præcipiat, ne Parochus alicui matrimonio interſit; nevè alij Sacerdoti assistendi facultatem det: non erit irritum matrimonium, si ille aut hic eo concedente, assistat. Quia ille est vere Parochus, & vi Concilii Tridentini, aut assistit, aut dat assistendi facultatem. Eadem affirmabit, si Parochus ad nutum Episcopi, amoueri possit. Vide Petrum de Ledesma *quæst. 45. art. 5. de matrim.* Sanch. *d. 22. num. 11. loco cit.* Vide Declar. Conc. Trid. *sect. 3. num. 43.*

Matrimonium, coram Parocho irregulari, suspenso, vel etiam excommunicato non tolerato contractum, valet: manens enim in Parochiæ possessione verus Parochus censetur: & assistere non est, proprie, iurisdictionis actus. Valida etiam erit licentia assistendi alicui Sacerdoti ab eo concessa. Hoc negant quidam, nec temere prorsus. Vide Sanch. *dist. 21. l. c.*

Quid si Parochus vero titulo careat, Parochus tamen communi errore existimetur? De hac re multis disputat Sanch. *dist. 22.*

Si qui est in possessione Parochiæ, communi errore, parochus creditus à non legitimo Superiore titulum habeat; inualida sunt in vtroque foro, quæ ab eo geruntur, inualidum quoque matrimonium coram eo celebratum. Sed si à legitimo Superiori titulum obtinuit, inualidum tamen, ob occultum aliquod vitium matrimonium, cui ille interfuit, validum est: etiamsi contrahentibus tituli nullitas cognita sit: dum tamen concurrat communis error: nam hic iuris humani, in re proposita, defectum

sup-

supplet. Si etiam iudices, si matrimonium contractum sit coram Sacerdote de licentia Parochi, sed occultè reuocata. Sanchez *loc. cit. n. 61.*

Si homo existimatus Sacerdos, cum non sit, Parochialem Ecclesiam rite adeptus celebret, confessiones excipiat, interfit matrimonijs, Eucharistiam non conficit, non verè absoluit; sed validè assistit matrimonijs, quia communi errore censetur Parochus. & Ordinis potestas pro matrimonio, in eo non requiritur; vt pro Sacramentis Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Vnctionis Extremæ; Error communis humani, non diuini iuris defectum supplet.

Valebit etiam matrimonium coram laico, communiter putato Sacerdote celebratum, qui à vero Parocho assistendi facultate habuit.

Validum esse matrimonium contractum coram Sacerdote, cui Parochus ficte (solis verbis scilicet) assistendi licentiam dedit, negat Ledesma: affirmat Sanchez probabilius *nu. 64. lib. c.*

Vt quis in domicilij mutatione alicui Parocho subiectus, pro contrahendo matrimonio, existimetur, quidam, & probabiliter requirunt, vt transeat, loco ad locum animo constituendi domicilium Sanchez arbitratur, sufficere, si alicui maiori anni parte habitet, quamuis confecto negotio in patriam sit rediturus *lib. 3. D. vigesima tertia, num. 13.*

APPENDIX IV.

De Matrimonio.

SVspensa Episcopi iurisdictione, denuntiata excommunicatione, Vicarius eius antea in-

stitutus, validè matrimonio assistere potest, alicuique Sacerdoti iniungere, vt assistat: quia hoc non est actus iurisdictionis proprie dictæ: Et si Episcopus excommunicatus denuntiatus, aut publicus Clerici percussor, Vicarium, Parochumve instituat, hi non poterunt matrimonio assistere; quia is priuatus vsu iurisdictionis Vicarium, Parochum, validè instituere non potuit. Vide Sanchez *d.30.num.10.*

Parochus proprietarius Sacerdoti licentiam suorum matrimonijs assistendi cõcedere potest, cum facultate subdelegandi, quia est ordinarius; Ordinarius autem potest delegare, cum potestate subdelegandi.

Vicecurati ab Episcopo, vel à Parocho absente (concedente Episcopo) toti parochiæ, ad vniuersam curam præfecti, facultatem assistendi matrimonio concedere possunt, non tamen delegandi.

Vicecuratus parochi præsentis (laboris socius) delegare non potest: non enim præsens suas omnes vices putatur ei commisisse.

Sacerdos à Parocho, vel ab Episcopo delegatus, vt matrimonio interfit, subdelegandi facultate caret. hæc Sanch. *lib.3.d.31.*

Licentia ad assistendum matrimonio, vt matrimonium valeat, scriptura non eget. Sanchez *d.35.num.10.*

Licentia generalis Sacerdoti à parocho concessa, vt omnia ad animarum curam spectantia exercere possit, satis est vt hic matrimonio interesse queat. *Idem l.c. nu.7.*

Licentia tacita, quam per ratihabitionem

de futuro, Sacerdos aliquis, se à Parocho, vel ab Ordinario habere existimat, ad valide assistendum matrimonio, non est satis; sed tacita ex ratihabitione de præsenti, vt dum adest matrimonio, videnti, sciente, & tacente Parocho, aut Ordinario, qui, si velit, reclamare potest. Sanchez *num. 17. & 20. lib. cap.*

Sponso, aut sponsæ dicenti se à Parocho, vel ab Ordinario licentiã obtinuisse, vt alienus Sacerdos matrimonio assistat, non est regulariter credendum: fides tamen adhiberi posset fœminæ, aut viro fide apprime digno. Sanchez *distinctio 17.*

Verba, [Ego vos in matrimonium coniungo,] ad essentiam matrimonij non spectant. Vide Declar. Concil. Trid. *sect. 3. num. 37. 38.* ob præceptum tamen Synodi Trident. ea omittere scelus. (Sanchez *d. 38. sententia*) veniale, (Salzedo & Vega) mortale.

Parochus contrahentes de mutuo consensu interrogare debet: id non facere, quando mutuum agnoscit consensum, (quia scilicet illi non rogati eum expresserunt) veniale crimen, non mortale, vt opinatus est Vega. Consule Sanch. *l. cap. num. 9.*

APPENDIX V.

AD stupri periculum tollendum, Ordinarij curare debent, vt sponsi (peractis denuntiationib.) matrimonium coram Parocho & testibus per verba de præsenti, quam primum contrahant. Ex Congreg. Conc. *sect. 2.* de

de denuntiationibus. Parochi quoque munus est dare operam sedulo, vt cuiusque sceleris periculum à suis euitetur. [Declarationes sacræ Congregationis Conc. Trid. in huius libri calce adiungendas curaui: vt eaque lectione Parochi quamplurimi desiderio, quo flagrant, satisfacere queant.

Episcopus potest ex aliqua causa arbitrio suo, denuntiationes remittere, etiamsi non sit suspicio, quod matrimonium malitiosè impediatur. Hoc illi licet, ob vicinitatem temporis, quo nuptiæ vetitæ sunt: non potest tamen iubere, vt diebus ferialibus eæ fiant. Ex sacra Conc. Congreg. *l.c.n.18.19 25.26.*

Legalis cognatio inter adoptantem, & adoptatum, huiusque descendentes dirimet, vsque ad quartum gradum. Rebell. *libro 3. Q. 7. de obligat. Instit. pon.* Nauarr. *c.n.45.* Sot. *4. disp.42. Q. vni.* Alij referuntur à Thoma Sanchez *lib.7. D.36.num.31. de matrim.* qui tamen eam profert in infinitum.

Prohibitio Ordinarij; ne Parochus, aut Parochi Vicarius aliquos in matrimonium coniungat, matrimonium non reddit inualidum; si hic, aut ille, contra prohibitionem matrimonio interfit. Ex Congreg. Concil. *sect.2. n.43.*

Dispensatio Pontificis super cognatione, non expressa copula carnali, quæ intercessit, non valet. Vide Nauar. *cap.22. num.86.* Sanchez *lib.8. de matrimonio. D.25.* Sà *Dispensatio, num.10.* Congreg. Concil. *sect 7. num.122.*

A die cinerum vsque ad octauam Paschæ, & ad Aduentu vsq; ad Epiphaniam vetita est bene-

dictio nuptiarum, conuiuium, traductio sponsæ ad domum sponsi: non autem celebratio, & consummatio matrimonij. Vide Nauarr. *cap. 22 num. 71.* Sà vide *Matrimonij impedimenta dirimentia.*

Causæ iustæ dispensandi in gradibus prohibitis sunt Angustiæ loci, quando non inueniuntur paris conditionis, quando diues vult ducere pauperem, vel indotatam, constituendo illi dotem, quando vult ducere ob lites, & inimicitias sedandas. *Congreg. Conc. sect. 9. num. 138.*

Apud Stephanum Quaranta, in Summa Bullarij, has pro impetrandis ad matrimonia contrahenda dispensationibus, causas offendit. Propter dotem. Pro muliere indotata. Propter angustias loci. Propter angustias locorum, quando oratores sunt ex duobus locis orti. Clausula etsi extra. Propter inimicitias. Propter lites. Pro confirmatione pacis. Pro Belgis. Pro habitatricibus locorum situs ad littus maris. Pro oratrice excedente annum vigesimumquartum. Causæ infamiæ, quando adest carnalis copula. Quando Oratores contraxerunt, seruata forma Concilij Tridentini, & consummarunt, detectoque impedimento, abstinuerunt.

Harum causarum praxim vigere hoc tempore, in Curia Romana, idem Stephanus affirmat.

CAPVT

CAPVT XI.

DE PRVDENTIA CVRATI.

SVMMARIVM.

1. *Prudentia cur necessaria.*
2. *Curatus sit præditus bona conscientia.*
3. *Conscientiam bonam habeat apud homines.*
4. *Curatus sit humilis.*
5. *Curatus de omnibus bene loquatur.*
6. *Qualis vestitus in Curato.*
7. *Sit Curatus bonis moribus.*
8. *Socios bonos habeat Curatus.*
9. *Quærat Curatus amari à suis.*
10. *Quæ faciant amari.*
11. *Instructus sit Curatus de ingenijs plebis.*
12. *Curatus sit de conuersatione amabilis.*
13. *Dissimulet aliquando peccata,*
14. *Lenitati maxime studeat.*
15. *Sit Curatus mansuetus.*
16. *Regula pro mansuetudine.*
17. *Sit ingeniosus Curatus.*
18. *Multus sit in oratione.*
19. *Nec festinet, nec sit morosus.*
20. *Remedium pro deliberatione in arduis.*

1. CVM officium Curati sit vt actiones omnes ad finem optimum dirigat, quod etiam requirit ab alijs Aristot. *6. Ethic. cap.* 12. *&* 13. consequens erit, curato summè necessariam esse prudentiam. Quippe hæc verè lucerna virtutum vocatur, & est. In hoc ergo Curatus incumbat, & semper credat, etiamsi multum profecerit, multum sibi ad perfectionem

deesse, licet autem prudentia omnibus virtutibus necessaria sit, tamen prætermissis alijs, dicendum breuiter de aliquibus, quę vt ita dicam, continuo sint Curato ad manus.

2. Inuigilet ergo in habenda, & retinenda conscientia bona apud Deum, quia cum sit in perpetua administratione Sacramentorum, & Sacramenta non possint sine peccato tractari à conscientia maculata, prudenter aget, si conscientiam semper bonam, & omnis peccati mortalis nesciam habuerit. Ac quamuis in administratione Sacramentorum possit actum contritionis elicere, quo purgetur conscientia, si forte mortalis noxæ fuerit fœditate maculata, tamen quia talis actus, vt plurimum, nõ transcendit naturam attritionis, quæ licet à noua culpa excuset eum qui credit esse contritum, tamen tunc Sacramenta administrans priuatur eo fructu, quo stante vera contritione frueretur. Igitur vt rem suam prudenter agat, sol non occidat super eum non confessum, nec (si fieri potest) inconfessus Sacramenta administret: quia, accedente absolutione de attrito euadet contritus, & plenam sui laboris mercedem assequetur.

Sed in hoc sit prudens, ne videlicet intempestiua reconciliatio causet in animo videntium sinistram de se opinionem; Aut, ne dum nimis anxiè quærit reconciliari, alius Sacramento indigens, aut antequam eum suscipiat, moriatur, aut lassatus expectando discedat.

3. Conscientiam etiam bonam habeat apud homines. Ideo prudenter caueat, non solum à malo nomine, sed ab omni occasione & specie mali

mali nominis; Quod optimè cedet abstinendo ab omni malo euidenter tali, & ab omni re quæ præ se ferat malum. Sit in exemplum Apostolus, qui cum per Corinthios eligeretur. *Corinth. p. c. 16.* vt obligationes Hierosolymam perferret, non aliter suscepit onus, quam adhibitis socijs tanquam testibus integritatis suæ. Ideo scriptum est. Prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Quod si contingat Curatum infamari: expedit, vt patienter ferat, nisi cum in alterius præiudicium vergit infamia: tunc enim tenetur omnino suam famam tueri, verbi gratia: Curatus qui accipit à pijs distribuenda pauperibus, si ab improbo latrocinij infametur, pauperes conqueruntur, & pij arcentur à pijs donarij iterum largiendis, tunc igitur Curatus omnino se iustificet. S. Tho. *22. q. 73. art. 4. p.* & Clarus *quæst. 72. art. 3.* Sotus *de iust. li. 5. q. 10. art. 3.* & omnes. Nec curet si suam defendendo famam, infamator propriam amittat: nam sibi imputet, quod tali discrimini se obiecerit. Porro hanc iustificationem non faciat maiorem, quam expostulet necessitas, quia ita & modestiæ, & iustitiæ suus relinquitur locus. Et si prudenter indicauerit faciendam exaltari, quod vix credo licere, nisi raro, & pro magna causa non nominet infamatorem, quia est remedium nimis violentum.

5. Necessaria porrò est Curato prudens humilitas animi, corporis, operationis, & locutionis. Ideo bene illi credo, si de omnibus bene senserit, & locutus fuerit.

5. Quia etiam si fortè aliquid contradictio-

nis cum aliquo habuerit, bene de illo loquatur, quia ita similitas extinguitur: At si cum veritate bene loqui non potest, excuset factum. Omnem de alio clam siniſtre loquentem, de rebus non pertinentibus ad curam, habeat ac exploratorem, qui Curati cupiat intentionem detectam alteri, de quo obloquitur, referre, & ita aduertet, quæ proferre voluerit. Præcipue vero Curatus ſit humilis cum ſuo Epiſcopo, & alacriter eidem obediat, etiam ſi iuſſa non quadrant illius ſenſui, quantumcunque prudens ſibi videatur; nam particulari gratia Spiritus ſanctus influit in ſuperiora ad inferiorum auxilium, dum enim Curatus Epiſcopo obtemperat, & populus Curato in bono regimine adaptatur.

6. In Veſtitu conformet ſe loco, non vilioribus, ne ſui male accipiant, tanquam eos dedecorans, nec prætioſioribus ornet ſe, ne inuidiam paret, maxime ſi fuerit Curatus ruralis, habens ibi alios clericos: multo magis, ſi ipſe in loco aduena fuerit: iſta enim inuidiam adducunt.

In moribus prudenter ſtudeat, ne ſit agreſtis, ſed placidæ, & laudabilis conuerſationis. Pro quo nota, quod licet mores incompoſiti ex ſuo genere, & vt plurimum, non ſint peccata grauia, tamen reddunt hominem valde exoſum. In ſeſſionibus, accedendo ad alios, vel alios excipiendo, obſeruet modum loci.

7. Quædam tamen inutilia (non dicam humilitatis, ſed nugacitatis) puta, (Principe mio, ſchiauo di V.S.) & ſimilia, humilius, & prudentius commutabit dicendo, verba quidem humana, ſed Sacerdote digna, & matura, quæ ſapiant

piant simplicitatem, & decorem. Et hæc omnia intelligo voce, & scripto. Conformet se alijs timentibus Deum in omnibus: & si fuerit in loco, vbi multum sit relaxata disciplina Ecclesiastica, ipse ab omni peccato abstineat, etiamsi sit ludibrio alijs: caueat vero ab alijs, quæ licet peccata non sint, tamē peccati speciem præ se ferunt, in reliquis adaptet se alijs. Ad hoc caput reducitur: Necessarium Curato superare omnes animi perturbationes, & malas suas pronitates, nihil enim boni permittent ista efficere. vt clare patet in Bibliotheca selecta, *lib. 4. c. 9.*

8. Prudens sit etiam Curatus in Societate eligenda. Bonos eligat, ita vt non expellat malos. Sed & bonis prudenter se exhibeat, ne suos defectus agnoscant. Conuersatione laicorum, etiam bonorum parce vtatur, & semper circumspectè, quia nimia familiaritas contemptum parit. Nullum ad conuersationem admittat, nisi bona informatione prius habita, de qualitate personæ Meminerit versari in continuo sindicatu, ideo sic viuat, ne contemnetur, tamen ne sit tam solitarius, vt videatur agrestis, nec se tam dedat cõuersationi vt in dissolutionem defluat. Ideo non fugiat honestas recreationes, nec inuitari quærat. Si autem Curatus fuerit inuitatus ad prandium amici, & fiant illi propinationes, an ipse possit eas acceptare, & alijs facere? Dic quod non, quotiescunque sunt cum coactione ad bibendum, quia ita canones prohibent; alias sine ita coactione, vt communiter fit in Italia, potest, & quis dicet esse peccatum; nam quæ per canones prohibentur, sunt quæ

cum coactione fiunt, ita intelligit Canones Silu. *cler. 2. q. 5*, Curatus tamen melius ageret, si factis propinationibus, beneuole responderet; gratias ago, vel profit, nullus autem ipse alijs faceret: ita enim saluator decor status; & beneuolentia non irritatur. Si in loco habeat clericos alios, cum ipsis sit liberior, quam cum laicis. Si ibi sint clerici vel etiam seculares parum beneuoli, expedit iteratis conuiuijs modestis eos excipere, quia ita animi conciliantur. Hac eadem via multa obtinebit, quæ alias essent *difficilia*, obtentu. Noui Prælatum, qui concubinarios potentes amanter ad cõuiuia excipiebat, & post epulas ab eisdem promissionem eijciendi concubinam requirebat, & hac via multa fœliciter illi cedebant.

9. Prudenter quærat beneuolentiam, & amorem subditorum, vt per eum validius possit in bonum illorum operari, quia & Christus Dominus benefaciendo, & sanando pertransibat, & plenus gratia, & sapientia proficiebat *apud Deum*, & homines. Et experientia teste, multum proficit Curatus amatus & populo, habet enim eum beneuolum, & attentum, & vt ita dicam, semper suasum. Iste tamen amor sit iuxta illud: Amice vsque ad aram; sit hac modificatione reformatus, vt malit millies mori, quam vel leuiter Deum semel offendere. Ideo in remedijs adhibendis tentando omnis via, qua honor, & subditi amor saluetur: & si vtrumque saluari non potest, saluetur amicitia Dei.

10. Porro hunc amorem conciliat: Primò [illegible] vitæ exemplaris, & maximè charitas, & li-

& liberalitas etiam in donando, subleuando opere, & verbo indigentes, vt dicitur cap. seq. Et si nõ potest donare, saltem commodando, quando tamen cum restituente agendum sit; quia si commodaueris, non recepturus commodatum, vel ad id recuperandum sit necesse, vel litibus implicari, vel amicum perdere, satius est non commodare.

11. Intellige tamen, quando commodandum sit extra necessitatem, quia ea vrgente teneris etiamsi certum sit, commodatum perditum iri. Ideo habeas diligentem instructionem ingeniorum tuæ curæ, vt prudenter agas.

12. Secundò: Amorem conciliat conuersatio talis cum omnibus, quæ omne odium nõ admittat, talis est. Non irasci intempestiuè contra accedentes ad se, sed amanter, & vultu hilari eos excipiendo. Patienter ferre imprudẽter rogantes. Non esse importunum in repetenda ratione vitæ, & conscientiæ. Non vrgendo plusquam par sit ad mutationem morum & vitæ; multo minus ad electionem certi generis vitæ. Fugiendum omnem inutilem, ac odiosam morositatem. Abstinendo ab his, quæ animos hominum merito alienant, vt lites, contentiones, iniuriæ, negotia etiam ea quæ non nisi cum quadam acerbitate, ac seueritate peragi possunt. Negotia onerosa aliis prętermittat peragenda, & ipse mansuetius agat, & ideo talia vel sinat perfici ab Episcopo, vel saltem, nisi de expresso Episcopi mandato, exequatur, quando tamen nulla alia lege cogatur, etiam iniussus ipse exequi quod raro continget.

13. Tertiò. Amorem conciliat: Dissimulando ad tempus aliqua peccata, alia tolerando, alia corrigendo, nonnunquam cum remissione, prout prudentia consulet, ita vt omnia dicetur recte agere si rationabiliter egerit. Bona regula est: Si corrigendum sit aliquod peccatū publicum, si ibi sit contradictio, & corrigenda sit res venialis, vel Curatus vel introducere rem indifferentem, sed ad bonum finem, cedat contradictioni. Si vero agitur de mortali tollendo, viriliter se exhibeat, nihil de contradictione curando.

14. Porro in correctionibus magna opus est prudentia, ita enim corrigas, vt non dejcias intende correctionem, & beneuolentiæ conseruationem, quod prudentia bene præstare nouit. Replicatio vitij correcti, hoc feciſti, non debuisses facere, est inutile, & odiosum. Nominatio personæ in publica correctione est imprudentiæ. Praxis est semper potius declinare in leniratem, quam in seueritatem, nisi aliter prudentia iudicet, quod est quando pro negotio gerendo asperiora sunt necessaria: Vitia priuata leniter, publica rigide, & cum vehementia corrigenda, maxime cum sunt inueterata, & cum scandalo. Audita in confessione si sint singularia, rarissimè contingentia, non reprehendas, quia confessionem exosam redderes, si sunt ordinaria, possunt reprehendi.

15. Curatus sit prudenter mansuetus; nunc tacendo, nunc simulando non audisse, etiam si bi molesta: hac enim virtute verè corda hominum possidentur. At si contigerit ab aliquo durius,

durius, vel etiam iniurioſe excipi, cohibet primò iram, deinde appoſitis verbis ſe defendat. Verbi gratia: Curatus agit cum concubinario de eijcienda concubina concubinarius feruet, ait, non eijciam in tui contemptum quem te eſſe credis? Curatus rectè reſpondebit: Domine appello me ad te non iratum, quia ſcies me tibi amicum; aut dicat alia ſimilia. Si vero concubinarius fuerit inueteratus, vel plebeius, poterit Curatus acrioribus verbis reſpondere, verbi gratia: nunquam patiar te talem vitam agere, & quouſque non eieceris iſtam, non parcam officio meo.

16. Sed quia ſumus mortales, & vaſa lutea facientia inuicem anguſtias, & impetus feruentis ſanguinis ægrè reprimitur, multum erit è re, Curatum ſemper habere bonũ conceptum eius cum quo agit, credendo eum virum nobilem, & ſi fuerit de plebe credendo minacem, & furibundum, aut hominem multorum conſanguineorum, qui in vindictam poſſint inſurgere; aut imaginando aliquid aliud, quod aliqualem terrorem aſpergat, vt tali timore feruor iræ tepeſcat, & ita Curatum, velit, nolit, in officio manſuetudinis contineat. Proderit etiam ſi Curatus habuerit hunc ſcopum, ſe nunquam velle videri iratum, niſi iuſtè, & tali modo, vt ſi de ira eſſet illi reddenda ratio; alacriter poſſet eam reddere. Quod ſi forte aliquem aſperius exceperit, non vereatur blandis verbis eum demulcere, etiam petita venia exceſſus, quia hoc eſt præuenire in benedictionibus dulcedinis, nec reputet hoc indecorum, etiamſi fuerit valde nobilis:

bilis: quia, & hoc valde nobiliorem eum efficiet.

17. Curatus etiam sit prudenter ingeniosus, id est, habeat acutos quosdam modos, quibus sibi, & alijs prosit, quales sunt plerumque in reconciliandis inimicis, pro quo vix potest dari certa regula, nisi quod, quo prudentior erit, erit etiam perspicacior, quia hic est effectus prudentiæ.

* Verbi gratia: Aduocat me fœmina rabescens imaginatione apprehensa, & timore, eo quod inimica, cum qua rixata fuerat, dixerat illi, se velle accendere candelam sancto Antonio, vt liquescente candela, & hostis rabescendo deficeret. Vt causam morbi comperio, addo animum, spondeo me duas candelas pro illius incolumitate accensurum (intelligo pro celebratione, dum celebrare contigisset in altari S. Antonij) quid plura? ægra breui conualuit. Imaginatio enim faciebat casum, vt ait legista, & quia nouerit bene vti hac regula in similibus absque mendacio, videbit mira, vt vidi, & apertis accepi. Debet tamen prius, quantum posset, remouere eandem ab hac opinione, quod Sancti præbeant maleficio auxilium, ostendendo hac eorum sanctitati repugnare.

Conducit consideratio personæ, loci, temporis, & negotij, & dimittere etiam se ad captum eorum, cum quibus agimus, cum aliquid velis, & vi auctoritatis tuæ non possis obtinere, expedit precibus impetrare; errantes ipsos constituere tanquam voluntatis tuæ executores. v. g. sunt aliqui iuuenes in Ecclesia garrientes,

potest

potest vno maioris auctoritatis aduocato, constituere eum super garrientes, vt blandè eos compescat.

Ad hæc reducitur consideratio agendorum in cura. Pro quo nota, quod Curatus fructuosè solitarie cogitabit, de modo bene regendi curam, ne ex abrupto cogatur determinationes facere. Et si consilium meum videtur vtile, vt credo necessarium (nam hoc est, vigilare super gregem) non transeat hebdomada, sine aliqua præmeditatione de ijsdem rebus.

18. Si alia virtus est Curato necessaria maxime est oratio. Pro quo aduertat Christum Dominum non elegisse Apostolos nisi præuia oratione integræ noctis. Debet ergo Curatus multis imperfectionibus circundatus esse in ea multus, & pro suo, & pro suorum bono. Pro suorum bono, quia mediator est populi ad Deum, ideo, & communes, & priuatas necessitates Deo commendet; & si quid insolitum acciderit, etiam insolita oratione emendet. Curet iuuari plebis suæ precibus, ideo expedit pro necessitate imminente aduertendo hanc vel illam orationem populo proponere, qui facilius votum consequetur.

Pro bono vero suo, cum, quidquid potuerit, egerit, sciat tunc vix incepisse. Quis enim valeat populum, maximè multum regere, cum seipsum regere sit rarum? Ideo, si recte iudico, impossibile est regimen animarum bene dirigere, sine hac particulari arte. Quare Curatus statuat secum, & ita exequatur, nullum diem pertransire sine imploratione auxilij Diuini,

spe-

ſpecifice pro regimine animarum ſuarum: & quamuis occupationibus deſtineatur non omittat. Et vt facilius aſſueſcat ad hoc, horam matutinam, vel antequam ſurgat, vel ſtatim poſtquam ſurrexerit, huic rei tribuat. Curatus etiam, vt recte actiua contemplatiuis vniat, delectetur oratione vocali & mentali. Porro non angatur de modo orandi, ſciat ſtando, ſedendo ambulando, & quieſcendo id recte peragi poſſe. Oratio tamen genibus flexis indicat maiorem deuotionem, & magis præbet honorem Deo debitum, ſicuti & à Chriſto Domino fiebat: Quæ vero eſt cum ſitu corporis non afferente moleſtiam; poteſt interdum eſſe cum maiore attentione. Cum optima tamen oratione comparata modum examinandi conſcientiam veſpere; cum nempe, qui iam communiter ſcitur. Quin etiam Curatus illo vtatur, & curet eum populo reddere familiarē, tum eum docet doctrinam Chriſtianam, tum in Miſſa dum ſermonem habet.

19. Curatus ſit prudenter diligens, & ſolere in obeundis ſui officij functionibus in quo veniat diligentiæ decorem, & ideo ſemper & vbique eiſdē vtatur; nam hoc non repugnat quantæuis modeſtæ feſtinationi. Ideo ſi celebrandū, vel aliud quidpiam agendum actionem nō præcipitet, ne moroſus habeatur. Moroſitatem igitur, & præcipitationem fugiat, & ſaluo decore feſtinet quantum expedit, alioquin eum magna inconuenientia vexabit. Vidi calicem deijci dum in Miſſa poſt illius conſecrationem fierent cruces mala feſtinatione: item ob eandem cauſam

sam multa Sacramenta male collata dum conferens sua festinatione, vel præcipitatione vellet videri peritus. Poterit tamen Curatus (& credo fore melius) cauere à multis, quæ non sunt peccatum, sed ad populi satisfactionem, puta anteferre aliorum satisfactionem propriæ deuotioni, v. g. ex deuotione cuperet cunctanter celebrare, sed hoc agendo à suis negligitur; melius est decenter festinare, & populum Sacro assistere, & hoc maximè vbi non sit alia Missa, & inter rusticos, qui malunt perdere Sacrum, quam audire longum.

* Et si Curatus velit appositè fugere morositatem, quæ potest euenire in vtroque Memento in Missa, dum ibi commemorationem facit eorum, pro quibus orat; ponat ante Missam in animo omnes, pro quibus intelligit orare, deinde in memento vnico contextu omnium commemorationē faciat *Rub. Missalis à Clem. VIII. recogniti de ritibus obseruandis in Missa, cap. 8. n. 3.* Aduertat etiam ad prolationem verborum; accommodet se alijs in prolatione secundum modum loci, nisi impediatur à lingua aliter assueta, cum est aduena. Caueat etiam à prolatione sapiente singularitatem, puta Paracletus vox est græca, cui E est longum, significans aduocatum: si in loco communiter profertur breue, & tu fac breue, licet aliud & forte falsum significet; quia nullus est error, intelligente Deo sensum Ecclesiæ cui seruis, ita proferendo. Præterquam quod quare vnus grammaticus habebit tantā auctoritatem, vt vnam litteram possit intendere vel remittere, & non possit tantundem vna regio?

Idem

Idem per omnia de similibus dicendum, quia melius est in similibus conuenire cum omnibus, vbi nullum est peccatum, quam se singularem præbere. Intelligo, dum non speras alios clericos loci non aptandos rectæ prolationi, quia tunc liceret.

20. Quoniam in actione sæpe multa eueniunt, quæ non possunt certa deliberatione stabiliri, Curatus ita agat: Studeat si potest, & consulat peritos, & consulta exequatur. Si hoc non potest, (intellige tamen in rebus quæ pendent à prudentia) accipiat chartam, & atramentum, & in vno latere ponat omnes rationes facientes ad casum, in alio vero rationes contrarias, & omnibus collectis, consideret quæ numero, & ratione sint potiores; & si affirmatiuæ sint tales, opinionem affirmatiuam sequatur: Si negatiuæ, negatiuam sequatur, & vix errabit. Sed non vtatur hoc remedio ad alia à dictis, ne facile ad superstitionem transeat.

A. VICTORELLI
Ad Caput XI. Notæ.

IN quacunque re agenda consideret Parochus; (si D. Bernardum, ad Eugenium, audire velit) an liceat, an deceat, an expediat id agere. Sapienter, prudenter, humiliter præesse studeat. Lente festinet. Oculatam manum gerat, nec temere quæcunque credat. Præteritorum memor, præsentia intueatur consideret, futuraque præcogitet. Pertinaciam, &in-

& inconstantiam fugiat: illa superbiam, hæc leuitatem matrem agnoscit. Det operam sedulo; vt cupiat ex animo, pro Christo, & pro grege, mori. Diuinis hisce dictis morem gerat.

Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Prouer. 4.

Fili sine consilio nihil facias, & non te pœnitebit. Eccl. 32.

Meminerit Parochus, se magistrum discipulorum, bella gerentium Imperatorem, Viatorum Ducem, Pastorem, Medicum, Iudicem esse animorum prætioso Christi sanguine redemptorum. Mente illa cogitet. [Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes eam. Qui sibi nequam, cui bonus?]

Caueat non solum, quod malum est; sed quod male coloratum, vt aiebat S. Bernardus *de Consid.* Sciat, Turpe esse, dicere, Non putaram.

In quacumque re, graui præsertim Deum oret, cum Sapiente: [Da mihi Domine sedium tuarum assistricem Sapientiam. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, vt mecum sit, & mecum laboret; vt sciat, quid acceptum sit apud te.] *Sap. 9.*

Dei honorem, & lucra animarum (non bona fugacia) quærat parochus: Christi sanguinem pro animarum salute profusum præ oculis habeat; Deique præsentiam assiduè cogitet. Meminerit, parochos sanctitate, scientia, prudentia, zelo animarum, fortitudine, vigilantia, patientia, comitate, diligentia instructos esse oportere. In eam curam toto animo incumbat, ne sese mortiferi sceleris labe inficiat, ne Diui-

num

num Sacrificium polluto animo per summum sacrilegium, offerat, neve Sacramentum indigne suscipiat, aut ministret.

In ijs, quæ ad se pertinent, forti animo ferat, contemni se, & maledictis proscindi: si contemptus diuino honori, saluti eius, aut creditarum ouium noceat, non ferat, sed sedato animo iusta remedia adhibeat, expleat munus suum, etiamsi id viris improbis displiceat. Euangelica, & Apostolica Instituta carnalibus viris non placent. Horum vocibus aures claudat, vt Christum audiat: mente reponat Apostoli dictum. [Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.]

8. Animi ducuntur amore, prudens sanctusque vir Franciscus Xauerius socijs iniunxit, vt, quoad fieri posset, imprimis efficerent, vt ab omnibus amarentur. Nullare magis, quam amore in partes omnes flecti, & impelli potest humanus animus. Displiceant illæ voces. Oderint, dum metuant.

Xauerius idem Paulo Goani olim Collegij Rectori, salubria dederat præcepta; quorum illud caput erat: (Goa discedens muneris illum sui Vicarium faciebat) vt Christianæ magis humilitatis, quam potestatis memor; paternum in partes omnes Imperium exerceret.

Vir idem sanctus eos animos Christiana comitate demulcebat; quos è vitiorum sentina eripere conabatur. Lenitis iam animis præ admonitionis Pharmacum adhibendum censebat; quamobrem in admonendi familiaritatem sese prius insinuabat. *Lege mirum exemplum lib. 3. cap. 15.*

13. [Dis-

13. [Dissimulatio ad tempus, &c. prudenti dissimulatione Xauerius mercatorem meretricijs illecebris delinitum, & captum sibi conciliauit: & opportune monitum in rectè viuendi viam induxit; subductis illi, paulatim, miro artificio, septem, quas domi alebat, pellicibus. Quorumdam animos adeo perditos, vt nec scelera sentirent, nec remedia ferrent, hac arte iuuit. *Comiter primò, vt consueuerat,* vtar verbis Tursellini, *lib 2. cap. 17. in illorum se familiaritatem dare, in peccatis conniuere, medendi voluntatem dissimulans: inde vsu & comitate deuinctus animus, sensim ad inueterati morbi curationem sibi viam fecit, modo diuinis legibus propositis flagitia ostendens, modo intentatus varijs humanæ vitæ casibus, Dei terrorem incutiens mentibus præparatis admouet manum, auaritiam resecat, libidinis illecebras remouet, recrudescentia conscientiæ vulnera diuinæ misericordiæ oleo delinit sanatq;.*

Vide etiam *lib. 3. c. 15.* vbi de prudenti, eaque vtilissima dissimulatione Xauerij. Hæc Tursellinus. *Plus dissimulatio ad corrigendum amicum valuit, quam obiurgatio valuisset.*

Scelestum militem, qui iam duodeuigesimũ annum Sacra confessione abstinuerat, socium nauigationis habere voluit Xauerius: comitate in eum vtens maxima, etiam ludenti assidebat, omnibusque obsequijs demerebatur, vt illum ad confessionem induceret, ac in salutis semitam reuocaret. Quod accidit: Militem confessione peracta, semel Pater, & Aue orare Xauerius iussit, pollicitus; se, pro illo, rerum omnium Creatori satisfacturum. Aculeatis flagellis

lis nudatum tergum vir sanctus acriter verberauit.

Qua re ita mollitus, flexusque militis animus, vt, studium pœnitentiæ amplexus, anteactæ vitæ sordes ipsemet voluntarijs pœnitentijs eluendas curaret. Scite de dissimulandis interdum vitijs, S. Gregorius 2. p. cap. 10. pastoralis. *Quædam vitia etiam apertè cognita, maturè toleranda sunt: cum videlicet nondum opportunum tempus aduenit, vt apertè corrigantur.*

Ad prudentiam Parochi pœnitentiam confessionibus operam dantis illud etiam spectat, quod Sanchez monet *lib. de matrim. dist. 38.* his verbis: *Quando pœnitens sub lethali culpa tenetur ad aliquid adeo difficile, vt confessarius credat illum tunc, æquo animo, minime recepturum, & alia vice melius susceptorum, excusaturq; ignorantia inuincibili. posse tunc latere, & in opportunius tempus differre; immò prudenter agunt confessarij, dum non omnia ad quæ pœnitens tenetur: simul, & prima vice aperiunt; ne deterritus omnino abstineat à confessione, sed paulatim debent eum docere ea, ad quæ tenetur.*

Munus etiam Parochi est, auferre, aut impedire, si queat, scelerum occasiones. In hoc toto pectore incumbat; prudenter tamen, inter scelerum occasiones, impuræ comœdiæ, eas agere, & audire lethale crimen, vt multis placet, quam sententiam tuetur egregiè Comitol. *lib. 5. q. 11. Resp. mor.*

De prudentia, cæteris que in confessario requisitis, ad rite, & cum fructu, diuini ministerij munus obeundum, integrum tractatum edi-

dit

dit Valerius Reginaldus Societ. IESV Theologus; qui à confessarijs maximo cum fructu legetur.

CAPVT XII.

DE OFFICIO CVRATI EXTRA SACRAMENTA.

SVMMARIVM.

1. *An Curatus teneatur quærere peccatores degentes in sua cura.*
2. *Modus quærendi peccatores publicos.*
3. *Quamdiu duret inquisitio facta.*
4. *Peccator publicus quantum talis duret.*
5. *Quid aget Curatus cum persona scandalosa.*
6. *An tollenda meretrices.*
7. *Quid cum peregrinis venientibus in suam parochiam.*
8. *An corrigat Curatus peccata publica.*
9. *An facienti maius malum consulat minus.*
10. *Curatus an mala occulta impediat.*
11. *Quid agendum cum stultis.*
12. *De licentia laborandi in festo.*
13. *Auctoritas dispensandi in labore in festo qua fundamento nitatur.*
14. *Curatus pro quanto tempore det licentiam laborandi in festo.*
15. *Causæ laborandi in festo quæ sint.*
16. *Ad cognoscendum quæ festa de consuetudine obligent.*
17. *An accipiendum aliquid pro licentia laborandi in festo.*
18. *An Curatus possit remittere pœnam pro laborando in festo.*

19.

19. An Curatus remittens hanc pœnam ipse tenetur ad rest.
20. Quando laboranti credendum.
21. De licentia cibi prohibiti.
22. De licentia non ieiunandi.
23. Modus dispensandi in præceptis Ecclesiæ.
24. De licentia peregrinandi.
25. De licentia confessionum.
26. An teneatur Curatus exorcizare suos.
27. Quomodo faciat restitutiones pro alijs.
28. Casus de restitutione.
29. Inducat Curatus orationes publicas & priuatas, quomodo.
30. Consuetudines loci obseruet.
31. An sit obseruanda consuetudo, quæ est causa peccandi.
32. De consilio contra tertiam personam.
33. Curatus sit eleemosynarius.
34. Quantam eleemosynam dabit.
35. Curatus pauper quomodo procuret eleemosynam pro pauperibus.
36. An teneatur quærere pauperes.
37. De eleemosynis pijs quid.
38. Curatus sit Hospitalis.
39. Defendat miserabiles.
40. Faciat paces.
41. Caueat à faciendis sponsalitijs.
42. Habeat librum Baptismi & Matrimonij.
43. Modus bonus practicandi Matrimonium.
44. Quid agendum cum procuratore.
45. Habeat etiam librum pro mortuis & confirm.
46. An sit peccatum non scribere baptizatos mortuos & confirmatos.

47.
48.
49.
50.
51.
52.
53.
54.
55.
56.
57.
58.
59.
60.
61.
62.
63.
64.
65.
66.
67.
68.
69.
70.
71.
72.

Ai

47. An teneatur Curatus facere fides baptismi, matrimonij, confirmationis, & mortuorum.
48. Reuelationes excommunicationis non recipiat.
49. Et si cogatur quid aget.
50. Curatus studeat Sacerdotali Romano.
51. Ad incendia quid agat.
52. A quibus caueat Curatus.
53. Non proponat reliquias, Indulg. excommunic. Miracula.
54. Faciat adificare, & pingere.
55. Non sinat ne lactent Iudæos.
56. Videat probe quæ ab Episcopo iubentur.
57. Non sinat accendere candelas per Ecclesiam.
58. In euentu insolito quid aget Curatus.
59. Curatus sit prudens in exactionibus creditorum, & ad legata pia.
60. De miraculis nouis, & collectis.
61. De eo qui facit miracula, vel valde insolita.
62. Experientia quo spiritu ducatur faciens miracula.
63. An Curatus teneatur reddere librum prohibitum.
64. An teneatur reddere cum suo periculo.
65. An Curatus comburat libros malos.
66. An peccet accipiendo libros.
67. An peccet nolens destruere librum, vt euadat molestiam.
68. Breuia, & superstitiosa.
69. An furanda res mala, vt destruatur.
70. An Curatus possit dare licentiam faciendi comœdias.
71. An impediat fabricantes longe à cura.
72. Mathematicos, & diuinos coerceat Curatus.

73. Eijciat Zingaros.
74. Quomodo se habeat in collectis pro aliquare.
75. De absolutione generali ab excommun.
76. Curatus an tenetur tueri ius sui Episcopi.
77. An Curatus obuiet decreto populi malo.
78. Caueat Curatus ne nolens trahatur lenocinium.
79. Modus agendi cum Hæreticis.
80. De lampade ardente ante altare.
81. Quid aget Curatus cum Hæreticis & censuratis in diuinis.
82. An metus excusset contrauentionem.
83. Quid agendum cum concionatore scandaloso.

QVÆST. 1. *An Curatus teneatur quarere peccatores publicos degentes in sua parochia?*

RESP. Sine dubio Curatum teneri, non dare Sacramenta peccatoribus publicis: & cum non possit illos cognoscere, nisi de ijs inquirat, tenetur eos inquirere. Et cum Sacramenta possint peti omni tempore, Curatus omni tempore debet hac notitia esse instructus. Ideo statim atque Curatus fuerit adeptus, hanc inquisitionem faciat. Tol. *Instit. lib. 5. c. 5. num. 7. not. 7.*

2. QVÆST. *Quomodo Curatus quærat suos peccatores publicos?*

RESP. Non posse dari certam regulam, sed prudentiæ esse relictum. Debet sane inquisitio esse prudens, & diligens, ac potest eam facere per se, & per interpositam personam.

3. QVÆST *An facta semel inquisitio sufficiat pro vno anno, vel an saltem pro quoto tempore?*

RESP.

Resp. Non posse dare certam regulam: hoc vnicum certum esse, quod teneatur non dare Sacramenta peccatoribus publicis, ideo debet semper esse instructus quinam sint tales, vt rite suo possit officio fungi. Qui singulo mense, vel saltem eo tempore, quo communio solet frequentari, inquireret, credo suo muneri in hac re faceret satis. Bona practica cum plebeis erit, admonere eum, qui est peccator publicus, ne accedat ad communionem, nisi prius se Curato ostenderit, vt Curatus habeat tempus deliberandi de re ipsa.

4. Qvæst. *Quanto tempore quis dicatur durare peccator publicus.*

Resp. Non posse in hoc dari certam regulam, hoc vnum clarum esse, hunc non communicandum, nisi postquam populus fuerit certificatus de illius emendatione. Nauarrus *cap. 21. num. 55.* Silu. verò *Eucharist. 3. quæst. 5. not. 2.* ait non esse communicandum, quoad vsque fecerit publicam pœnitentiam. Practica. Cum peccator iste ostenderit signa emendationis, vel Curatus de illius licentia propalauerit eum esse confessum, & pœnitere, satis dicetur non esse amplius peccator publicus. Nau. *ibi.*

* Tunc autem satis certificat de emendatione, si vel publicè confessus sit, vel de confessione facta Curatus ceriores faciat astantes. Suarez *tom 3. q. 80. disp. 67. sect. 2.* vide *cap. 5. num. 13.*

Et si quis semel desijt esse peccator publicus, potest, & debet semper de illo inquiri, sicuti de cæteris totius parochiæ, quales nam sint, vt sciatur quid agendum in Sacramentorum admi-

nistratione, & si facta diligentia, Curatus nihil sciuerit, excusabitur.

5. QVÆST. *Quid aget Curatus cum eo, qui est quidem in peccato, sed celat flatum suum; puta, quia habet domi concubinam, quam dicit esse famulam, sicuti etiam de omni alio, de quo est magna suspicio, & datur scandalum?*

RESP. Communionem negandam peccatori ita publico, quod nulla tergiuersatione valeat celari. At propter solam suspicionem, etiam probabilem, non est neganda. Silu. *Euch. 3. q. 5. not. 3.* Practica: In confessione cognita veritate, non absoluas, nec ad communionem admittas, nisi prius dimissa concubina, aut relicto, quidquid agit, quod impedimentum facit: tamen si in facto sit magna suspicio extra confessionem, & cum scandalo; puta, quia fœmina quæ retinetur est iuuenis, & valde compta, & nō præ se fert esse qualem dicunt, amanter priuato colloquio ad eam eijciendam hortare, si non proficis, rem ad Episcopum deferas, & quod decreuerit, facias.

6. QVÆST. *Quid aget Curatus cum meretricibus?*

RESP. Quoad communionem idem agendum, ac cum peccatoribus publicis. Quoad vero ad tolerandas eas in cura, distingue. Si habitant in loco designato à Principe sæculari, & locus sit in sua parochia, sinas habitare: Si non habent locum destinatum, & habitant in parochia, idem agendum. Si, verbi gratia, es in oppido, & aduenit meretrix, vt ibi inhabitet, siue habitare, dummodo sit sola, ne forte sit in concubinatu,

si si

si sit associata. Si habitat in hospitio, vt communiter fit in castellis, alicubi constitutum est, non tolerandas has mulieres, nisi per aliquot dies. Si nulla adsit constitutio, poterunt tolerari, quamdiu ipsæ ibi habitare voluerint, dummodo non causent scandalum: In vniuersum tamen melius est eas expellere.

Quid si in loco paruo, puta oppido, fuerit vna aut altera meretrix, & iuuenum procacium multa turba, & inter se, vt communiter solet euenire, cognatorum, & affinium, promiscue se similibus mulieribus ingerentium, & per consequens contrahentium affinitatem ex fornicatione: an saltem tunc sint eijciendæ: Consule Episcopum, cuius prouidentiæ reseruatur prouisio. Quid vero magis expediat, an has tolerare, vel non, Episcopus viderit.

7. QVÆST. *An Curatus, & quomodo inquirat de peregrinis venientibus ad habitandum in sua parochia?*

RESP. Obseruet constitutiones sui Episcopi, quod si de hoc non constet aliquid, ita agat. Si sunt viri soluti, belle poterit inquirere de conditione status illorum: Si habent fœminas, inquirat an sint propriæ, & si allegent matrimonium, postulet fidem matrimonij., aut saltem testes. Sufficiet vnicus, si fuerit fide dignus, quia in his, quæ non sunt in præiudicium tertij, sufficit vnicus testis. Silu. testi. *q. 5.* & fortè sufficiet mulier. ex Silu. testis *qu. 1. not. 2.* & de omnibus tam solutis, quam vxorem habentibus, inquirat de fide, & moribus. Azor. *2. p. lib 3. cap. 12. q. 16.* Hoc probat si docuerint de communione in Paschate.

Maximè aduertat ad medicos, & ad magistros scholæ, præcipuè si veniunt à loco hæretico, vel cura est in loco hæreticis vicino, & hoc maximè curet Parochus ruralis, quia in ciuitatibus adsunt multa alia præsidia.

An Curatus teneatur ad hoc sub mortali?

Resp. Clarum esse negligentiam in hac re esse in magnum populi præiudicium, cum possint vagari mali, & hæretici, & multum officere, & ideo videtur obligatus sub mortali: hoc est enim bene populum regere, arcendo lupos. Porro in multis locis Episcopi cauent, ne medici vel magistri scholæ admittantur, nisi prius facta fidei professione in manibus Curati. Ideo Curatus Constitutiones sui Episcopi sciat & obseruet.

8. Qvæst. *An Curatus teneatur obuiare peccato publico, puta, videt populum currentem ad arma dissolutum, & quasi ouantem in coitu animalium, an teneatur obuiare?*

Resp. Teneri si potest. Si per bonas rationes habet probabile posse impediri, tenetur facere quantum potest, quia talis est lex correctionis. Aduerte tamen quod in secundo casu, non tenetur, quia in correctione opus est prudentia, & opportunitate temporum, quæ illi deest.

Expediet in magna rixa, cui aliter prouideri non possit, prodire in medium cum imagine Crucifixi, quia hoc modo similia validè impediuntur. Idem agendum in rebellionibus.

8. Qvæst. *An facienti maius malum possit consulere minus, ne faciat maius?*

Resp. Posse, non solum quando Curatus est requi-

requisitus, sed etiam cum est irrequisitus. Et per istam rationem infinita deciduntur. Et licet in casu de consulente minus malum facienti maius sint duæ opiniones citatæ ab Azor 2. *lib. 22 c. 16. qu. 8.* vnam affirmantem, alteram negantem; tamen cum benè eligatur quod est in vna opinione, licet habeat contrariam, videtur sequenda affirmans, cum pro se habeat Canones, Concilia, & bonam rationem. Vide Az. 2 *p. l. 12. c. 16. q. 8.* Sot. *de iust. lib. 6. q. 1. art. 1.*

10. QVÆST. *An Curatus teneatur impedire multa mala occulta, quæ nouit, vel per certam relationem, vel per vehementem suspicionem? Verbi gratia: quid aget si audierit, vel habuerit suspicionem in tali domo suæ parochiæ conuenire monetarios, vel sodomitas, aut similes?*

RESP. Curatum non habere aliam obligationem, quàm eam quæ nascitur ex regulis correctionis fraternæ, licet illa circumstantia officij Curati magis astringat ad correctionem fraternam Curatum, quàm alios cæteris paribus. Porro prudentius est rem Episcopo, vel sapienti conferre, & deliberata exequi.

11. QVÆST. *Quomodo Curatus aget cum stultis suæ Parochiæ?*

RESP. Si sunt amentes à natiuitate, non det Sacramenta, vt de singulis dicitur. Omnes. Diligenter tamen inquirat quantum rationis vsum habeant, vt nouerit quid agendum, si accesserint ad Sacramentum, vel eius indiguerint. Et credo expedire istam diligentiam prætermittere tempore collationis Sacramenti, ne Curatus in illo pacto imparatus inueniatur.

12. QVÆST. *An Curatus possit dare licentiam laborandi in festo?*

RESP. Vbi datur recursus ad Episcopum, vel Vicarium, non posse: vbi vero negatur dictus recursus, vt in villis, & castellis posse. Silu. *Dominica quæstio. 4. not. 3.* Azor. *Inst. 2. par. lib. 1. cap. 28. quæst. 6.* Qui tamen addit hanc restrictionem posse non in perpetuum pro omnibus, vel aliquibus festis, sed quotiescunque adfuerit causa legitima. Azor. *ibi.* Porro nota, quod quando Episcopus, vel Vicarius adiri non poterit, Curatus poterit dare talem licentiam, non solum declarãdo causam esse iustam, quam impetrans allegat, sed etiam quando non constat de ipsi iustitia, dispensando in eo, quod de necessaria iustitia forte deesset petitioni, Silu. *dispensatio, qu. 1. & 4.* Et Clarus *Ieiunium quæst. 1. not. 1. licet ibi loquatur de ieiunio.* At quæ conueniunt in ieiunio, etiam intelliguntur de laborando in festo quoad licentiam, quia vtriusque est eadem ratio.

14. QVÆST. *Pro quanto tempore, seu, pro quot festis Curatus dabit licentiam laborandi in festo, cum non possit eam dare in perpetuum, vt est dictum ex* Azor.?

RESP. Et credo dicendum posse dare pro omnibus illis, in quibus non potest haberi recursus ad Episcopum, vel Vicarium. Verbi gratia: tempore collectionis fœni magna necessitas eiusdem colligendi vrget, quia multum damnificatur à continua pluuia, eodem tempore instat messis, & adsunt duæ vel tres festiuitates continuæ. At si Episcopus, vel Vicarius qui consulatur,

tur, ita distant, quod responsum haberi non possit opportune, tunc Curatus pro tribus illis festis, credo tuto poterit licentiam laborandi concedere. Quod autem de collectione fœni dictũ est, eodem modo potest adaptari ad omnes similes casus. Vt vero Curatus ne nimis suo iudicio fidat, consulat Episcopum suum in tempore; & quod ipse præscripserit, faciat.

15. Causæ autem laborandi in festo iuste sunt necessitas damni euitandi, vitæ sustentandæ, & aliquoties vtilitas, puta cum piscandum est ad tunnos, qui discedunt, si tunc non capientur. Sylvest. *ibi & omnes*. Sed cum ad has, ex varijs capitibus reducantur diuersi casus, omnis causa, quæ erit rationabilis, erit iusta.

Sciendum tamen est festa nostra non coli ea obseruatione, qua sabbatha Iudæorum colebantur. Ideo inter leuitatem, & rigorem oportet Curatum incedere. Ita agendum consulerem. Vbi male obseruantur festa, reducerem sensim, & non vno conatu ad illorum obseruationem transgredientes, & vbi obseruantur, non laxarem habenas facultatis laborandi. Cæterum Curatus (præsertim consulto antea suo Episcopo, siue Generali, aut certe foraneo Vicario) bene aget, in omni casu etiam debili (dummodo rationabili) dando licentiam: quia vere potest declarare, & dispensare, vt liberet populum à laqueo transgressionis festi, quem fortè incurret non habita licentia. Et notet Curatus ruralis, quod si habeat magnam difficultatem in sanctificandis festis, poterit aliquando agere cum Officiali Principis secularis Domini loci, vt

ipse ad obseruantiam cogat, quod facile bene cedet.

16. * QVÆST. *Quomodo cognoscatur quæ festa de consuetudine obligent ad eorum obseruantiam?*

RESP. Dies festos ex consuetudine ad eorum obseruantiam tunc cogere; cum per Episcopum consuetudo est admissa, & non alias: ideo Az. *2.p.l.1.c.26.q.6.* docet, Curati interesse consulere Episcopum, quomodo talis cõsuetudo obliget, cum nõ constat de validitate obligationis. Si vero veniat dies festus ex consuetudine de improuiso: & non datur tempus consulendi Episcopum: duobus indicijs cognoscit Curatus. An dies festus obliget ad sui obseruantiam. Primum erit: si incolæ communiter teneant transgressionem horum, atque festorum de præcepto æque obligare, & in vtrisque teneant æque peccare, qui non interfit Sacro, & qui laboret. Secundum est, si ad eorum obseruantiam Episcopus pœnis cogat. Immo stantibus his duobus satis constabit talem diem obligare, absque quod Episcopus consulatur. Si vero de horum neutro constat, tunc consulatur Episcopus iuxta Az. *ibi.*

17. QVÆST. *An Curatus pro licentia laborandi in festo possit aliquid exigere?*

RESP. Azor. *Inst. 2. par. lib.1. cap.vlt. qu.12.* negare hoc de Episcopo, sed tandem limitando, concedere posse, non quidem pro licentia, sed mutando opus seruile laborare volentis in aliquam largitionem, quæ tamen cedat in opus pium. Sed, cum ea quæ de Episcopo in hoc casu

dicun-

dicuntur, conueniat etiam Curato, absente Episcopo, & eius Vicario, cum eadem limitatione poterit Curatus. Et forte bonum erit remedium pro reducenda ad obseruantiam sanctificatione festi, vbi populus multum in ea est relaxatus. Si tamen hoc velis practicare consulo, agas de Episcopi consilio, & quæ dantur non perueniant ad manus tuas, sed dentur pro causa pia, & detur manifestè, vt omnis suspicio euitetur. Item obseruandum, ne ista exigantur, nisi quando causa laborandi est dubia, quia si elatum est esse iustam, legitimè sine alia exceptione datur.

18. QVÆST. *An Curatus ruralis absente Episcopo, & Vicario, qui videt in festo laborantes, vbi est constitutio Episcopi, quod laborantes in festo soluant tantum, possit ad libitum eam pœnam remittere?*

RESP. Si prohibentur ab Episcopo, non posse. S. Thom. *22. quæst. 67. art. 4.* Silu. *iudex qu. 11. not. 5.* Sot. *de iust. lib. 5. quæst. art. 3.* Armil. *correct.* §. 1. Si tamen ex aliqua causa rationabili expediret remittere, est remittenda. Caiet. *correct.* P. In quo magna est opus prudentia, & bona conscientia, quam Spiritus sanctus dirigat. Armil. *ibid.* Si tamen in illo loco ex consuetudine legitima Curati remittunt, & id exigunt ad libitum, poterit exigere vel remittere, vt libuerit: Si autem remittitur, vel exigitur ad libitum Curati, & nescitur an Episcopus consentiat, iudicandum est consentire, quia si abnueret, declararet, & quia ita communiter fit. Quid simile habetur, & deducitur ex Soto *de Iust.*

tib. 5. q. 4. art. 3. vbi habet inferiorem non posse minuere, vel leuare pœnam Superioris, quando ita à Superiore mandatum est, ergo, inferior, si non est mandatum, hoc poterit. Ita tamen practicandum credo. Curatus non sit nimis facilis in condonando, ne det ansam laborandi; Praterea ego non remitterem laboranti ad lucrum, vel laboranti cum scandalo, nisi causa rationabiliter euinceret condonandum.

19. QVÆST. *An Curatus prohibitus ab Episcopo remittere, aut laxare pœnam, si alterum egerit, ad aliquid teneatur.*

RESP. Silvest. *iudex q. 11. not. 5.* affirmare teneri ad dictam pœnam soluendam, sed contrarium est verius iuxta dicenda. *cap. 15. num. 29.*

20. QVÆST. *Quid si Curatus post laborum sciuerit aliquos in festo laborasse, sed cum causa, an teneatur credere, vel debeat exigere pœnam?*

RESP. Teneri credere, quia per iustam causam isti laborantes fuerunt excusati, ideo non debent cogi ad pœnam, quia ita rationabiliter iudicatur mentem esse Episcopi cum alias videantur irrationabile obligare excusatum.

21. QVÆST. *An Curatus det licentiam manducandi cibum prohibitum infirmo, & ob quam causam?*

RESP. Sicut potest dare licentiam laborandi in festo, sic posse concedere facultatem edendi cibum vetitum in absentia Episcopi vel Vicarij. Curatus tamen de hoc non sit sollicitus, quia hanc licentiam dat medicus. Omnes. Et quibus ex causis possit dari, nullus præter medicum potest præscribere, quia sunt aliquæ infirmitates, quæ

quæ magna vi impetunt, vt febris ardens, & tamen esus carnium est malus, & sunt aliæ infirmitates, quæ multo minori impetu feruntur, imò aliquoties lenitate debilitas magna, & tamen requirunt esum carnium. Ideo indigens medicum consulat. Si vero in loco non sit medicus, vt in villa, Curatus non augatur scrupulis, sed det eam quotiescunque videbitur illi rationabile petentem ea indigere; quia credulitas in hoc sufficiet: & si causa non sit omnino iusta poterit dispensare, vt est dictum de laborando in festo, & reddere causam iustam.

22. QVÆST. *An Curatus det licentiam non ieiunandi?*

RESP. Dare non solum in oppidis & villis, vbi non adest Episcopus, nec Vicarius, sed etiam in ciuitatibus, presente Episcopo & Vicario, quia sic est consuetudo legitima, de quo vlt. Nau. c.21. & Caiet. *summa. Ieiun. neg.* contra quos affirmat Azor. *Instit. p. p. lib. 7. c. 26. q. 3.* Causa autem valida erit, quæ est vera, vel sine malitia, & quæ bona fide putetur vera Caiet. & Nau. *ibid.* licet vere non sit talis, quia sufficit credulitas inculpata, & Caiet. *ibi.*

23. Nota tamen bonam practicam: Quando dubitatur an causa sit sufficiens, aut Curatus vere cognoscit non esse sufficientem, tunc Curatus ipse cum Caiet. ibi commutet opus in quo dispensat, in orationem, eleemosynam, aut aliud simile pium. Et quæ dicuntur de commutatione ieiunij, intellige in omni commutatione cuiusuis præcepti Ecclesiastici.

24. QVÆST. *An Curatus det licentiam peregrinandi?*

RESP. Hodie non esse in vsu, tamen si petatur: detur, sed caueat in litteris ne inserat, nisi quæ ad ipsum spectant; puta dicat N. communicauit in Paschate, & narret vera, & non regat ambiguis verbis defectus licentiandi, puta, non dicat, & bonæ famæ, de eo qui est à Curia condamnatus, aut aliud simile.

25. QVÆST. *An Curatus det suis licentiam confitendi alteri?*

RESP. Omnes de hac licentia loqui, & in specie Tol. *Iust. lib. 3. cap. 13. num. 13. not. p.* vbi habent, Curatum posse dare suis licentiam confitendi omni exposito, & etiam alteri Curato. Pro quo sciendum, cum Episcopus aliquem ad confessionem admittit, admittere sine præiudicio Curatorum. Ita Candelab. *de conf. num. 15.* Idem potest elici ex Tol. *ibi.*

* Suarez vero *tom. 4. disp. 26. sect. 1. num. 11.* ex S. Thoma probat nullum præiudicium afferre Curato: immo esse iuuamento illi.

Regulares tamen hac licentia non *indigent*, cum per eorum facultates possint omnium ad os accedentium confessionem excipere. Dicendum igitur istam licentiam dandam, vbi talis viget consuetudo, vbi vero non viget, vt in multis locis est videre, nec dandam, nec petendam. At vbi datur, Curatus sit facilis in ea concedenda, & sufficit in generali allegare iustam causam. Silu. *conf. 1. quæst. 6. not. 1.* Notet præterea Curatus, si in loco sit solus, & sui non vadant alio ad confessionem, curet saltem semel in anno obtinere ab Episcopo aliquem confessorem insolitum, vt sui liberius possint confiteri, si fora-

forte propter aliqua verecundarentur faciem ipsius Curati, & hoc poterit fieri in Paschate, vel Iubileo.

26. QVÆST. *An Curatus teneatur exorcizare suos obsessos à spiritibus malignis?*

RESP. Et dico, teneri, cum non habent alium exorcizantem, vel illi nolint vti alio, ne factum detegatur: quia hi sunt in magna necessitate, nec per alium possunt ab ea subleuari, & per consequens Curatus tenetur. Et cum necessitas ista magna sit, credo Curatum teneri sub mortali. Excusandum autem iudico, si renuat humilitate, vel quia non credat se facturum satis misero energumeno. Porro Curatus non vtatur superstitionibus, quæ sæpe tanquam pro secretionibus remedijs circumferuntur. Bonus liber est Fustis, & Flagellum dæmonum, sed sacerdotale Romanum non postponatur.

27. QVÆST. *Quomodo Curatus restitutiones faciat pro alijs?*

RESP. Si occurrat ei restitutionem facere pro alio, procuret syngraphum, qua solutionem factam doceat, & hanc det restituenti, vt certiorem faciat de restitutione. Nauarr. *c. 17. nu. 96.* Forte erit melius duplicatam syngraphum accipere, vnam quam det restituenti, & alteram quam apud se retineat, qua docere possit de veritate, si vnquam contigerit. Porro ne nominetur persona restituens, syngrapha poterit esse talis: Ego N. accepi à N. Curato tali, tot, tali die, mense, & anno, pro restitutione, quam aiebat mihi factam.

28. QVÆST. *An Curatus, qui est vere pauper,*

per, & forte egens, qui acceperit decem restituenda Titio, possit adito Titio dicere, quidam, qui debet tibi decem, sed est pauper, orat vt illi remittas? An, si Titius remiserit, Curatus possit sibi illa decem retinere, cum vere sit pauper, & mendacium non dixerit?

Resp. Non valere remissionem, quia non fuit voluntaria; quando enim Titius remisit, intellexit de omni alio à Curato distincto: Curatus enim loquebatur in tertia persona, & ideo dolose locutus est. Si tamen Curatus ista diceret: Ego tibi decem debeo, remittis? Et Titius annueret; valeret remissio. Et, si Titius diceret Curato da pauperibus, ipse Curatus tunc posset sibi retinere partem, vel totum secundum regulas Silu. *eleemosyna, quæst. 3.* nota tamen quod Silu. *eleemosyna quæst. 2. in fine* ait, quod non posset sibi retinere. At tu tene cum Nauar. *c. 17. nu. 93. & 171.* quod si vere est pauper, posset sibi retinere, maximè de consilio confessarij, quod tamen non intelligas de necessitate, sed ad suam maiorem cautelam.

29. Qvæst. *Quomodo ager Curatus introducendo deuotiones in suo populo?*

Resp. Si inducit deuotiones priuatas, puta ieiunandi, aut orandi, aut similium, quæ ab ipso proposita populus acceptat, bene agit, sed caueat, ne ipse deprehendatur illa non obseruare cum ponit, quia destrueret ædificatum.

Si vero deuotiones sunt publicæ, puta processiones, festinationes aliquorum dierum, aut similia, non inducat, nisi populo proposita, & per ipsum suscepta. Hoc ita bene ceder. Habeat

cura-

Curatus amicum prudentem, & probum, cui fidat, huic suam intentionem aperiat, & per illum curet proponi populo quasi rem propriam, & non Curati; & tandem deferri ad ipsum Curatum, pro illius voto obtinendo: & tunc Curatus si in negotio sint difficultates, eas proponat, vt populus sciens & volens rem amplectatur, nullum enim violentum durabile. Caueat autem prætextu deuotionis, & specie honoris proponere populo, quæ in Curati eiusdem vtilitatem cedant, quia res est homini Christiano indigna, & sordida prudentia, & si contigerit aliqua proponere, è quibus Curato vtilitas obueniat, intentio Curati non in bonum proprium, sed populi feratur. Et si melius optat actum iri, non proponat nisi, quæ sunt puræ deuotionis. Si velit autem proposita stabilitatem, acquirere, muniat eas Episcopi consensu.

30. QVÆST. *An Curatus obseruet consuetudines suæ curæ, puta de danda candela in Purificatione, thure in vigilia Ascensionis, & similia?*

RESP. Obseruet, quia etiam per Episcopum posset cogi. Omnes alias consuetudines non implicantes peccatum obseruet ad vnguem, & nouitates fugiat, quia sunt odiosæ: at, si necessitate cogente aliud sit mutandum, tunc bonum erit illud peragere cum consilio, quasi illud petentes, maioris partis suorum, aut saltem maiorum plebe, vt potius videantur morem gerere, quam imperare. Et non curet de honore, aut similibus, quia sunt nugæ. Caueat vero diligenter introducere aliqua, ex quibus populus possit sibi ius præscriptionis euincere: Ideo si quid simi-

simile concesserit, clare protestetur, se pro illa vice solum, & non vlterius concedere: quia sæpe euenit Curatum liberaliter aliqua concedere, quæ cum velit postea populo negare, maxime inter rudes, omnia clamoribus insonant, & sæpe non effugit magnas molestias, maxime si concesserit potentioribus, multo magis Ecclesiasticis, & personis præferentibus religionem, vt sodalitatibus siue confraternitatibus laicorum, & multo magis si sapiunt pietatem. Omnia tamen tuto concedet, quæ suo non repugnant officio: repugnantia vero prudenter, & raro concedet; sit exemplum: In oppido non adsunt nisi duæ Missæ, & in prima vt commodiori, solet Curatus docere docenda, & monere monenda. Quidam de populo, vel laicorum societas de nouo fundata, optat die quadam stabilita celebrari Missam in aurora pro honore dictæ societatis. Curatus videat an concedatin perpetuum, & an concessio sit futura officio suo impedimento, puta, quia populus eget instructione, & elabitur, cum non possit Curatus in tali Missa docere necessaria eo quod in secunda sit ad futura maior pars populi eadem instructione egentis, & in vtraque Missa idem peragere non possit. In similibus ergo Curatus prudenter, & raro postulata concedat.

31. QVÆST. *An Curatus consuetudinem obseruet quando populus ea abutitur ad peccatum, vel superstitionem?*

RESP. Cum res ista sua natura sit indifferens sit, vt qui ea vtitur male, id ex sua praua natura faciat, ideo Curatus non dicetur causa peccati

& pec

& per consequens non tenebitur necessario ab ea abstinere, & non dare iuxta consuetum. Curatus igitur Populum admoneat de peccato commisso in abusu rei concessæ. Quod si post admonitionem perseuerauerit, nec timeatur scandalum, seu murmur in populo, poterit non dare consuetum; sed & si dederit, non peccabit, quia vere non potest esse certus, an populus abusurus re accepta. Melius est admonere Episcopum de abusu, & iussa exequi. Idem aget de consuetudinibus, quæ peccatum præ se ferunt, puta non eundo ad Ecclesiam ob funes, non eundo ad Missam iuuenes nobiles, & similia. Quæ pro viribus exterminabit. Si non valet, rem ad Episcopum deferat, & iussa exequatur.

32. QVÆST. *An Curatus det consilium, & quomodo petendi illud, quando resultat in damnum tertij?*

RESP. Nunquam similibus se ingerat, nisi manifesta charitas, aut necessitas vrgeat, tunc etiam prius inspiciat, si possit diffidentes concordare; si non potest, dicat veritatem eo modo quo potest, id est, certum pro certo, & dubium pro dubio. Melius est, si remittat negotium ad peritum, quia beneuolentia populi erga Curatum est necessaria pro bono regimine. Ideo Curatus abstineat semper ab his, quæ animos alienant: & quæ sunt alienationem afferentia, deriuent in alios, salua semper conscientia, quia multa debet facere, etiamsi certo esset illi moriendum, & in hoc fit intrepidus. In summa: ita viuat, loquatur, & scribat ac si omnia

omnia certo noſceret cenſuranda ab inimicis. *Vide etiam multa in c. præcedenti.*

33. QVÆST. *An Curatus teneatur eſſe eleemoſynarius?*

RESP. Sine dubio teneri; ſed an teneatur ex iuſtitia, vel ex charitate, tres ſunt ſententiæ.

Prima. Eſt Nau. *de redditibus Eccleſiaſtic.* qui vult teneri ex iuſtitia.

Secunda. Eſt Caiet. *22. quæſt. 185. art. 7.* qui tenet, quando redditus ſunt pingues, deberi eleemoſynam pro quarta parte.

Tertia Eſt S. Thom *22. quæſt. & artic. dicto.* Sot. *de iuſt. lib. 10. quæſt. 4. art. 3. conc. 1.* Azor. *2. p. Inſt. lib. 12. cap. 11. qu. 1.* dicentium, teneri iuſtitia, de bonis, quæ ſunt deputata pauperibus, ſi fortè Curatus hæc habeat; ſi non ſunt deputata; teneri lege charitatis. Vult autem Azor ibi obligatum Curatum arctius, quam laicos, quia ait laici obligantur præcepto naturali, & diuino, clerici vera naturali, diuino, & canonico.

34. QVÆST. *Quantam eleemoſynam dabit Curatus?*

RESP. Caiet, *vbi ſupra.* & Sot. *quæſt. dicta art. 4.* velle dandum eſſe quartam partem fructuum ab eo, qui habet pingue beneficium. Azor vero *cap. dicto quæſt. 1.* vult dandum, quantum ſupereſt, ex decenti, & commodo victu. Quando vero Curatus in hoc peccet, *vide Summiſtas; & in ſpecie* Silu. *eleemoſ. quæſt. 1. clericus.* Azor *Inſt. 2. par, lib. 12. cap. 7.*

35. QVÆST. *Quid agendum cum Curatus ſit pauper, & non habet vnde eleemoſynam vi-*

leat

leat erogare, & tamen eleemosyna necessario sit danda?

Resp. Si indigentia sit ordinaria seu communis: puta quærentium ostiatim, & accipientium, si nõ ab vno saltem ab alio, nisi aliud agat: Si sit insolita, & magna commendet ipse necessitatem, alicui diuiti, vt ab eo indigens recipiat. Si hoc non potest Parochus, curet accipere ab alijs, & data porrigati. Ideo bonum consilium est, post adeptam curatam instruere in sua cura sodalitatem aliquam, quæ huiusmodi miserabilium curam gerat. Vel si hoc non potest, notificare populo, vt eleemosynam largiatur, quando eiusdem Curati nomine mittentur viri, vel mulieres ostiatim quærentes pro miserabilibus. Et notet Curatus, præcipuam curam gerere miserabilium, qui secreta paupertate premuntur, & maximè eorum, qui sunt honestæ conditionis, & bonis moribus præditi.

36. Qvæst. *An Curatus teneatur quærere suos indigentes, vel sufficiat dare eleemosynam cum eorum inopiam exploratam habuerit?*

Resp. Tol. *Inst. lib. de septem peccatis mortal. cap. 35. in fin.* affirmare, aliter non satisfacere. Sed videtur melius dicendum: Si Curatus habet bona dispensanda pauperibus, quia illorum vsui sunt deputata, tenere eos quærere: si sunt ex superfluis beneficij sufficere dare occurrenti, absque quod eum inquirat. Nau. *c. 24. n. 9.*

37. Qvæst. *Quomodo geret se Curatus in his eleemosynis, quas pij in vsum Ecclesiæ, vel alium elargiuntur?*

Resp. Mentem elargientium exequatur; Si non

non explicant, ita exponat, vt publicè constet de effectu, ad sui honoris manutentionem, & ad aliorum bonorum exemplum.

38. QVÆST. *An Curatus teneatur esse hospitalis?*

RESP. Conc. Trid. *sess. 25. cap. 8. de reform.* admonere omnes habentes beneficia Ecclesiastica exerceant hospitalitatem quantum per eorum prouentus licebit. Ideo si Curatus ea quæ voluit dare in eleemosynam in hunc vsum conuerterit, bene aget, non tamen tenetur ad hoc sub mortali, cum non præcipiatur.

39. QVÆST. *An Curatus teneatur defendere suos paracios miserabiles?*

RESP. Lessium *de Iust. lib. 2. c. 9. nu. 13. & 94.* velle Curatum teneri defendere suos solum in ordine ad spiritualia. Concil. Trid. vero *sess. 23. cap. 1. de reform.* ait: Cum diuino præcepto mandatum sit omnibus, quibus animarum cura cõmissa est, inter alia, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, &c. Ideo videtur dicendum, si potest, teneri, non quidem de iustitia, sed ex charitate, licet crediderim arctius, quam alium Christianum. Sciat enim Curatus se positum refugium, & spẽ omnium suo auxilio indigentium, ne miseri omni spe destituti desperent. Ideo videat, quia male poterit otiari, cum sæpè non desint, quibus se implicet. In hoc tamen sit prudens, ne dum vult miserabiles defendere, transeat in sinistram opinionem defensorum, si sint personæ, de quibus possit haberi suspicio, vt fœminæ. Ideo in hoc ita se gerat auxilium præstet; si expetitur:

vel

vel si videat miserabiles carere omni alio auxilio: ista enim modificantur secundum regulas eleemosynę, quę rectè dicto modo datur. Qui vero sint miserabiles *V. Silu. aduocatus. q. 2. 3. & 4.*

40. Curatus componat paces. Ideo sciat modos dandi satisfactionem læsis. Noter tamen vt conciliet animos solum à ceremonia vero, & pactis abstineat quantum potest, sed habeat virum auctoritatis, quo in huiusmodi vtatur, quia ita euadet magnas molestias, quæ sæpè solent euenire in factione pactorum, & pacis. Cæterum non plus tenetur ad hoc, quam cæteri Christiani. Sed & si in loco viderit alios idoneos, relinquat illis hanc prouinciam.

41. Caueat etiam sub hac regula à faciendis sponsalitijs, hoc est, à trouare maritò moglie, quia ista aut non fiunt sine mendacijs, aut malè fiunt sine eisdem, de S. Ambrosio legitur, quòd semper abstinuerit ab huiusmodi.

42. Curatus habeat librum Baptismi, & matrimonij *ex* Conc. Trid. *sess. 24. c. 2. de refor. mat.* In lib. Baptismi scribat, vt est dictum *c. 6. nu. 43.* In lib. vero matrimonij scribat coniugum, ac testium nomina, diem ac locum contracti matrimonij. Vnusquisque sequatur formulam suæ curæ. Meæ hæc est:

Die N. Maij 1608. Petrus, & Berta factis inter Missarum solemnia trinis denuntiationibus tribus diebus festiuis continuis, videlicet die 1. 4. & 8. mensis N. dicti anni, & nullo impedimento allato, seruatisque alijs seruandis, coniuncti sunt matrimonio à me N. in Parochiali N. talis loci, & inter Missarum solemnia ibidem bene-

benedictionem matrimonialē receperunt(quādo est danda) præsentibus N. & N. testibus.

Si fuerit dispensatio obtenta, à Sanctiss. Dn. super aliquo gradu, post illa verba: Nullo impedimento allato, addo, & obtenta dispensatione à Sanctiss. super gradu N. & admissa per D. Vic. vt in filo: & addo reliqua.

43. Quoniam verò matrimonium est Sacramentum, & recipere Sacramenta in mortali, mortale est, eodem mane meos communico, & postea adsto celebrationi matrimonij, & statim in Missa do benedictionem matrimonialem. Si placet modus eo vtere, quia verè est tutus.

44. * *An vero Curatus idem agat cum procuratore qui alieno nomine contrahit?*

Resp. Reb. *de oblig. 2-p. l. 2. t. 5. n. 12.* non esse necesse, cum non teneatur talis procurator illo actu conterere.

Curatus habeat etiam librum pro notandis mortuis. Hoc communiter obseruatur.

Habeat etiam librum confirmatorum, hoc etiam communiter obseruatur. Sed in ciuitatibus non est necesse, cum Confirmatio conferatur in Cathedrali, & ibi confirmati notentur. In oppidis videtur necessarium, quando Episcopus non habet secum notarium scribentem.

46. Qvæst. *An non habere istos libros, vel non notare notanda, sit peccatum, & quale?*

Resp. De Baptismo, & matrimonio esse peccatum mortale, quia ita iubetur à Concil. *loco dicto, & cap. 1. eiusdem sess. de reform. matrim.* & quia cedit in magnum populi damnū. De mortuis, & confirmatis erit idem iudicium, quando negli-

negligente Curato, omnes negligunt, maximè vbi sit Episcopi constitutio, & consuetudo scribendi; Vbi verò non sit nec constitutio, nec consuetudo non condemnarem de mortali.

* Aduertat autem Curatus bonam custodiam his libris adhibere, ne, dum possunt ad aliorum manus facili negotio peruenire, falsentur, vel rumpantur, aut alio modo destruantur à maleuolo in magnum Curati damnum.

47. QVÆST. *An Curatus teneatur facere fides baptismi, matrimonij, mortuorum & confirmationis quando exiguntur?*

RESP. Teneri, quia ad hoc sunt dicti libri constituti, & potest accipere pro sua mercede illud, quod in loco solitum est dari: si vero fiat gratis, & ipse faciet.

48. Reuelationes excommunicationum recipiat, vel non accipiat pro vt est consuetudo loci, & si acceperit, & sit tradenda copia siue exemplum accipiat, vel non accipiat mercedem, prout pariter est consuetudo loci. Tutius est propter multa incommoda, quæ possunt sequi, vel curare, vt accipiantur ab alio, vt à notario, vel curatum ipsum non scribere reuelata, sed solum accipere scripturam reuelationum per reuelantes factam, vel saltem non accipere propria ipsius Curati scriptura, nisi præsentibus testibus: Ita enim euitantur multæ molestiæ.

49. * Et si Curatus cogatur eas reuelationes accipere, caueat ne accipiat, quæ alterius præiudicium afferunt: ideo noscat, qui excusentur à reuelando. De quibus agit Silu. *excom. 2. dub. 8.* Nauar. *c. 25. n. 46.* Suar. *to. 5. disp. 20. sect. 3. per tot.*

50. Curatus studeat Sacerdotali Romano, & habeat ad manum quæ in eo monentur, tum vt possit euellere, & excludere superstitione, si de illis dubium est, tum vt accendat suam, & populi deuotionem ad obtinendas gratias ibi notatas. Et sciat me vidisse mirabilia; nec faciliter transeat ad alium librum cum in illo sint omnia necessaria. Et in remedijs in bonum populi, puta contra grandines, locustas fata vastantes, non solum sit facilis, sed ipsemet etiam irrequisitus ea proponat. Idem agat in mortalitate animalium, & similibus non quod ad ista ex præcepto teneatur, sed quod ita agens beneuolentiam populi acquiret, & illius deuotionem augebit, & meretur actu charitatis.

Aduerte autem circumferri Sacerdotale, seu Rituale paruum Venetijs impressum sub hoc nomine: Familiaris liber Clericorum, in quo sunt multa superstitiosa, puta de certis Missis dicendis cum certo numero candelarum, & alia huius generis, tu eo non vtaris: prohiberur enim per instructionem positam in Indice librorum prohibitorum, vbi agitur de correctione §. 2.

51. Si contingat in propria cur magnum domus incendium, præter opem externam, quam vicini conferent, sciat etiam ipse Curatus opitulari ad extinctionem. Ideo proijciat in ignem Agnus Dei benedictos per Papam, mirabiles enim effectus, si fides & deuotio adsint, inde sunt visi. Caute tamen agendum.

52. Curatus à multis caueat sine licentia Episcopi, quam curabit habere semper in scriptis, & reponet, sicut cætera omnia quæ in ben-

bentur per scripturam, vt possit de iussis rationem reddere.

53. Primò. Non proponat reliquias sine Episcopi facultate obtenta.

Secundò. Non proponat indulgentias, etiam Papales, sine Episcopi iussu, nec excommunicationes, etiam Papales.

Tertiò. Non miracula noua, sine approbatione Episcopi. Narrare tamen aliquod miraculum auditum à fide dignis, poterit ædificare audientes, sed id fiat cum sale discretionis.

54 Quartò Non sinat ædificare, nec pingere in sua Ecclesia, vel in alia sibi subdita; & si adsit Episcopi licentia, non sinat pingere, nisi secundum Exemplar Episcopo propositum à pictore, & ab eodem admisso per subscriptionem.

55. Quintò. Non sinat Christianas lactare Iudæos, nec vice versa; nec Christianos in Sabbatho seruire Iudæis; similiter non sinat Iudæos obstetricare Christianis; nec vice versa.

56. Videat præterea omnia, quæ iubentur ei ab Episcopo per Constitutiones synodales, vel quomodolibet, & ea ad vnguem obseruet.

57. * Potest præterea contingere, vt in tua Ecclesia ad aliquod altare, seu ante aliquam imaginem, aliquis accendat candelam in vindictam; puta quasi à Deo, vel in Sancto illo petendo, vt inimicus eo modo, quo candela liquesceret, tabesceret, vel aliter offenderetur: qui modus fœminis proprius. Tu de facto candelam deijce, ac grauiter, qui eam incendit, obiurgato. Et si in loco ista sæpe contingant, admone Episcopum, & iussa exequere. Non enim

actus venerationis Dei & Sanctorum detorquendi sunt, & adaptandi ad malam vindictam.

58. QVÆST. *Quid aget Curatus in omni re insolita, puta si afferatur fulminatoria Papæ exequenda sub excommunicatione, & ferens nolit Episcopi votum expectare?*

RESP. Exequatur, & quamprimum Episcopum moneat. Idem eodem modo agat, si adueniat visitator, aut commissarius, qui se dicat Apostolicum, aut alius qui de facto mandatum exequi velit. Considerandæ tamen parentes, quia & aliquoties nebulones sub hoc nomine vagati sunt. Practica. De omni re insolita moneat quamprimum Episcopum, vel Vicarium, Et si per tempus hoc nõ potest, Curatus vicinos consultat de modo, quo & ipsos ab huiusmodi casibus se extricauerunt, & secundùm consulta agat, si tamen consilium sit rationabile, excipe istos benigne, & tracta amanter, & interim, vt est dictum, mone monendum. Nunquam tamen aliquam admittas ad ea, quæ *sunt vltra* facultatem, quam habet.

Ideo considera litteras facultatis illius: & neminem sine literis admittas, quia si Legati solent eas ostendere, multo magis tenebuntur inferiores commissarij.

Curatus studeat multum prudentiæ, pro quo vide caput præcedens. Ideo in exactione suorum creditorum ex bonis Ecclesiæ potius sit remissus, quam concitatus; sic & lites etiam Ecclesiæ cum modestia agitet. Legata pia etiam expedit leniter exigere, quia viui non deterrentur à bono faciendo. Res honoris, & famæ me-

lius

ius tractantur si deserantur, hoc est, melius est eas supprimere, quam velle per ventilationem decidere. Expedit habere virum bonum, & prudentem, & emergentia cum eo consultare, & exequenda non nisi matura deliberatione, aggredi, & liberaliter agere, quæ liberalitatem volunt, ne dum auare remedium tentas, omnia fiant frustra. Scias errorem nunquam comitari charitatem & prudentiam.

60. QVÆST. *Quid si in Ecclesia subdita Curato ad aliquam imaginem miracula fiant?*

RESP. Celeriter Episcopum moneat, & iussa exequatur.

Et si ibi fideles multas largiantur eleemosynas, idem agat; cuius vero sint dictæ eleemosynæ: vide Silvest. *10. quæst. 2. not. 3.*

61. QVÆST. *Quid aget Curatus, si in sua cura adueniat aliquis faciens, vel miracula vera, vel quæ videantur miracula, & valde insolita?*

RESP. Vidi deceptos à quadam malè feriata tertiaria S. Francisci, quæ per mentitas ecstases frequentes continuo victu ex fructibus, & herbis, & quotidiana communione fucum fecerat. Ita videtur agendum: Primò sis incredulus, & ad omnia tanquam suspecta oculum figas, (etiamsi per confessionem Sacramentalem cõstet tibi de contrario,) quia tunc te habes vt personam publicam, & debes vt scientia publica non priuata.

Secundò. Si quæ aguntur clarè, constat esse mala, prohibeas fieri, & Episcopo monito iussa exequere. Sed ista vix in ciuitatibus eueniunt, caueant Curati rurales. Tu vero facto, ante-

quam ab Episcopo admittatur, nullo modo auctoritatem præbeas, ne habearis consentiens peccato alieno.

62. Porro si vis experiri quo spiritu ducatur ista faciens, diligentes interrogationes; si datur tempus, fortè rem detegent: si non datur tempus observa si ista faciens gloriam quærit, si lucrum venatur, si facta vanitatem sapiunt, si faciens est moribus incompositis, si humilitatem ostendit. Finge aduocare brachium seculare, si videris timorem, habeas omnia suspecta: super omnia aduertas, si concordat in dictis, quia, vt ait Scriptura, isti Prophetæ habent spiritum mendacij.

63. QVÆST. *An Curatus teneatur reddere librum prohibitum ei, qui sibi ostendit, vt videret, an prohibitus esset?*

RESP. Si iudicat probabile dominum non vsurum libro, puta ipsum laceraturum, vel allaturum ad inquisitorem, reddat. Si vero scit, vel habet probabile dominum illo vsurum, tenetur sub mortali, domino non reddere, quia nec furioso sub mortali reddendus est ensis depositus, quo se, vel alium occidat. S. Thom. 22. *quæst. 6. art. 5.* Caiet. *ibi.* Sot. *de iust. lib. 4. quæst. 7. art. 1. ad p. principale argumentum.*

46. *Quid si vir atrox velit librum suum, alias probabiliter mihi immineat damnum, an tunc teneat reddere?*

RESP. Vbi supra, in redditione rei alienæ, si est in iniuriam suam, vel aliorum, nõ reddendã, si commode potest. Quibus adde me non teneri cum periculo vitæ meæ impedire periculum

lum alienæ vitæ. Item, non teneri cum periculo vitæ meæ impedire eum, qui ex malitia peccat, si peccatum animæ ipsius tantum noceat, si autem peccatum ipsius, animabus aliorum qui non malitia peccaturi sunt mortaliter, & alio modo illis prouideri non poterit, tunc teneor exponere vitam meam pro animabus illorum.

65. QVÆST. *An casu quo Curatus librum non reddat possit eum comburere, vel quid de eo aget?*

RESP. Si liber est hæreticus, Azor *Inst. p. p. lib. 8. cap. 16. quæst. 11.* affert duas sententias: aliam decentium propria auctoritate posse comburi; aliam tradendum. Inque fidei, cum hoc possit fieri sine magno suo damno, aut periculo. Si verò liber est de prohibitis alio nomine, puta quia obscenus superstitiosus, vel quomodo cumque suspensus, Curatus poterit eum comburere, vel certe ita lacerare, vt nulli sit vsui, & ita communiter practicatur.

66. Porro hoc agat priuatè, & in præsentia domini libri, vt reddat tutum Curatum vere perdere librum, non pro se hoc titulo, quod sit malus retinere.

67. QVÆST. *An Curatus peccet, si cum accedit habens librum prohibitum, vel breue superstitiosum ostendendum, antequam cum accipiat, dicat, si est res prohibita non reddam vt dominus rei, vel libri ex talibus verbis non det rem illam, aut librum, & ita Curatus euadet molestiam, quam timet dicta accipiendo, & non reddendo?*

RESP. Non facere, & nolle facere reduci ad

idem genus ; & sicut peccaret si male redderet, sic peccat si arte ista euadit ne accipiat. Porro peccatum erit maius minusve, secundum rationem periculi causandi ab illa non acceptione.

68. QVÆST. *Quid aget Curatus cum offunduntur illi breuia, vel res superstitiosæ?*

RESP. Eodem modo quo dictum est *num. 53. & seq.*

69. QVÆST. *An Curatus qui in aliena domo videt rem superstitiosam, vel librum malum, possit eum furari vt destruat ; cum non sit probabile posse aliter è manibus domini eripi?*

RESP. Et non credo teneri ad hoc, cum zelum comitari debeant scientia, & discretio; posset enim excitare rixas, & magnos rumores in domo illa.

70. QVÆST. *An Curatus in festo det licentiam faciendi comœdias, circulatoribus, & similibus suas artes exercendi?*

RESP. In ciuitatibus eum non dare, quia hæc cura ad Episcopum spectat, In oppidis vero, & castellis absente Episcopo, & eius Vicario siue generali, siue foraneo, obseruet Constitutiones sui Episcopi. Vide Azor. *Instit. 2. p. lib. 1. c. 28. quæst. tertio.*

71. QVÆST. *An Curatus ruralis, vbi omnes sui viuunt gregatim intra oppidum, possit prohibere, si quis in agro, intra limites suæ Parochiæ, sed loco dissito velit fabricare domum ad eam inhabitandam, ex quo fiet Curatum multum laborarum ad Sacramenta illi afferenda?*

RESP. Si nulla constitutione municipali loci isti prohibentur, nec Curatum posse prohibere si ve

si verò vetantur, posse tali constitutione immunitatem suam quærere.

72. * QVÆST. *Quid agendum si in loco fuerint, vel aliunde soleant aduentare, vt sæpe videre in oppidis diuini & qui maleficia remedio non Ecclesiæ, sed ignoto dissoluunt?*

RESP. Consulendum Episcopum, & Inquisitorem, & iussa exequere. Si vrgentia casus hoc non patiatur, & clare constat de malitia actus, vtere auxilio brachio secularis, & incarceratos denuncia Episcopo, & Inquisitori tanquam specialiter delegato à Sede Apostolica super hæresim.

73. * Scias etiam diligentiam in magistratu seculari in eijciendis, vel non admittendis Ægyptijs, vulgariter dicantur Zingari, futuram proficuam: abundant enim multis superstitionibus, & eas docent.

74. QVÆST. *Si veniat aliquis, qui habeat literas Papæ, Legati, vel alterius inferioris, & velit commendari populo, quomodo agendum?*

RESP. Dictum esse supra.

Non commendandos nisi Episcopo, vel Vicario per subscriptionem annuente.

Istius generis sunt literæ pro redimendis captiuis, pro Iudæis baptizatis, pro hæreticis conuersis, & similibus.

Et si facienda sit aliqua collecta insolita, puta pro maritanda meretrice, quæ asserat si adiuuetur, pijs eleemosynis, se posse nubere, Curatus difficilis sit in credendo, & non deueniat ad hoc, nisi re bene expensa.

Et si tuto agere velit, non aggrediatur rem

nisi Episcopo consulto; & si illi visum fuerit aliter posse agere, non det, quæ fuerint collecta, nisi postquam verè contraxerit: Vidi enim in hoc fraudes.

75. QVÆST. *Quid aget Curatus si populus impetret à Papa, vt aliquoties fit, absolutionem generalẽ ab omnibus excommunicationibus ignotis, quas forte aliqui de populo incurrerunt, vt earum territorium fœcundetur, per quas crediderit sterilitatem contraxisse, quomodo tunc ista absolutio danda?*

RESP. Si in Breui Papæ præscribatur forma, illam obseruandam: si non præscribatur, vt vidi, cum in nullo Rituali, vel Sacerdotali, (quod viderim) præscribatur, obserua prius iussa à Sanctissimo, quæ communiter sunt ieiunia, vel Processiones, siue supplicationes publicæ, & illis absolutis, super populum adstantem, facta confessione generali, absolutionem da super omnes, & quascumque excommunicationes, si & in quantum sint eis innodati, virtute diplomatis Sanctissimi concessi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Forma posset, virtute facultatis concessæ à Sanctissimo D. N. Papa N. absoluo vos omnes ab omnibus excommunicationibus si & in quantum eas incurristis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

76. QVÆST. *An Curatus ruralis teneatur tueri ius Episcopi. Verbi gratia: videt aliqua fieri, cuius cognitio est fori Ecclesiastici, an Curatus tunc teneatur monere Episcopum, & ius illius tueri?*

RESP.

Resp. Si admonuerit Episcopum bene acturum, non tamen credo teneri ad hoc: ratio est, quia Curatus deputatur pro Cura animarum, nō pro defendendo iure Episcopi; Si tamen crimen sit in exitium populi: credo teneri saltem ex charitate impedire tale damnum, & sub mortali; sicuti etiam si est in damnum tertij, dummodo speretur profectus, & esset ratio maioris scandali. Quæ vero crimina sint fori Ecclesiastici. Vide Az. *Inst. 2. p. lib. 3. c. 53. q. 1. & 2.* & sunt omnia illa, quorum prohibitio ortum habet ex iure canonico solo, vel simul cum iure diuino, vel naturali, sed absque ciuili: talia sunt, hæresis, simonia, vsura, matrimonium contractum in gradu prohibito, vel contra aliud præceptum Canonicum, violatio voti, violatio singulorum præceptorum Ecclesiæ, sacrilegium in Sacramentis commissum, violatio alicuius censuræ Ecclesiasticæ. Crimina verò mixti fori sunt: Adulterium, sacrilegium, sortilegium, blasphemia, violatio castitatis virginum Deo Sacrarum. Concubinatum aliqui faciunt mixti fori, alij solius fori Ecclesiastici. Azor. *ibi.*

77. Qvæst. *Quid de isto casu: Quidam Curatus oppidi videt suos manifestè per publicum consilium decretare rem intrinsece malam, puta vendere frumentum vltra pretium currens, aut aliud simile, an teneatur hoc impedire?*

Resp. Prouisionem huius rei pertinet ad Episcopum ex Azor. *ibi quæst. 2.* ideo Curatus ita agat, si datur recursus ad Episcopum recurrat, & iussa exequatur: si non datur recursus, & speretur emendatio, nitatur pro viribus contra

dictum consilium, agat tamen blandè & suauiter: si non speratur profectus non tenetur, quia frustra ageret. In dubio tamen de profectu, si contra niteretur non malè ageret. Notet tamen Curatus oppidi siue oriundus, siue sit aduena, nõ misceat se publicis populi negotijs, nisi charitate, vel necessitate cogente; nam nec decet, & ista odium pariunt.

78. Caueat Curatus, ne prætextu pietatis ab improbo in lenocinium nolens trahatur. Verbi gratia: Mulier improba alienum amans, vt ad peccandum ei commodum præbeat, adit Curatum dicens: Domine talis (expresso nomine) nõ sinit me viuere, dum enim maritus meus noctu surgit ad opera, & officinam adit clausa domo, & claue sub porta demissa, venit, & aperto ostio mihi tum intentauit, sed minis coegi eum re infecta discedere, quæso agas ne in posterum sit mihi molestus, alioqui super caput eius malitia illius descendet. Hæc omnia autem dicit, vt per Curatum notificetur illi, qua hora, & quomodo possit ad eam ingredi. Vidi contingentiam facti non semel. Caueat diligenter Curatus libens promittat opem, sed non præstet, nisi factus fuerit certior virum verè insequi talem mulierem, & nec tunc fraterne corrigat nisi cum speratur profectus. Prudentia tamen præbebit alia subsidia, destruendi proteruiam talis malæ fœminæ.

79. QVÆST. *Quomodo se gerat Curatus, qui habitauerit inter hæreticos pro illorum conuersione, & pro defensione bonorum, ne hæresi inficiantur?*

RESP.

Resp. Et primo, pro defensione videtur, inter multa, quæ possunt fieri, agendum ita: Excubare, ne virus altius serpat. Hoc autem promouet hæreticorum apostasiam, petulantiam, arrogantiam, & cætera vitia inculcare: sic item hæresum contradictionem, absurditatem, fraudes, grauitatem, & sexcenta monstra inde enata, & damnata, quæ cum ista colluuie inundarunt in Principum publicum & priuatum exitium, exactè explicare.

Fiet enim indè, vt boni reddantur beneuoli, & non tam facilè opinione sua moueantur. Cauere etiam poterit Curatus, vt auxilio brachij sæcularis, ne augeantur hæretici aliquo priuilegio aut commodo, sed sint statu illorum pristino contenti; & si fieri potest, magis adstringantur. Et si magistratus, vel Princeps sæcularis sint hæretici, non prætendat titulum religionis; sed interesse temporaneum, quod prudentia docebit, petitio sit suspecta, & prouisio cedat vacua effectu.

Pro conuersione verò illorum videtur dicendum, conuersionem hominis esse opus Dei, tamen non desperandum: vt autem dicamus, quibus medijs homines medio hoc Deus disponat, sciendum duplici via nos posse procedere.

Prima est disputatiua, & de hac vtilissimè scripsit Bellarminus Cardinalis suas Controuersias, & Stapletonus libros suos de principijs fidei, & de doctrina iustificationis controuersiæ. Sed ista via quærit hominem, qui secretiora Theologiæ penetrauerit, & talem non facilè videas in villa aut oppido clausum; maxime cùm inter

hæreticos reditus ecclesiastici, vtpote intercepti, non sint tales, quod animum inescare possint. Altera via est plana, & efficacior non solum pro tuenda plebe nondum hæresi infecta, sed etiam pro lucrandis ministris hæreticis subuersoribus, & quæ possit præstari à Sacerdote, etiam tenuis literaturæ, & cuius facile possit haberi copia, & hæc est charitas ardens, nullas fouendo animo cogitationes, quæ contemptu dignos hæreticos suadeant. Præterea conando reddere eos benevolos, vt recte de ipso Curato sentiant, & intra se iudicent, hoc autem paratur comitate, & affabilitate, & non conuertendo, aut disceptando, sed solum sermonem constituendo de illis, in quibus nobiscum conueniunt. Adhæc Curatus videat quibus vitijs, tum ipsi ministri, tum alij hæretici teneantur, & totus incumbat ex eorum cordibus radicitus euellere illa, & ipsis auulsis videbit, omnem hæresim prostratam. Adde quod cum hæretici vt plurimum errent non admittentes præcepta *Ecclesiæ*, eo quod obligent sub mortali. Curatus contra nitatur & hortetur, vt eruat eos à pusillanimitate spiritus, & animet ad concipiendos spiritus, quibus in Domini virtute ostendet posse non solum fieri iussa, sed multo maiora, facilitate mira. Hæc omnia ex Epistola Iacobi Fabri desumpta sunt, ex Bibliotheca Selecta Antonij Possevini lib. 7. cap. 3. His posset forte addi: Si in loco fuerit hæresiarcha, seu minister hæreticus, alliciendus est ad ouile, etiam spe commodi temporanei, si forte tali oblectamento attrahatur: Ideo Curatus pro viribus cum Episcopo

cura-

curabit, etiam ex reditibus Ecclesiasticis, vt pensionibus aut alijs donis hunc lucrari. Sic Gregorius XIII. & Clemens VIII. multos lucrati sunt. Et si minister fuerit apostata ab aliqua religione, pariter curabit ei parochus reditum ad monasterium, & immunitatem ope Episcopi: multi enim misere alias pereunt, cum magna aliorum ruina, quibus si hac via prouideretur forsse ipsi, & reliqui salui forent. Super omnia vero talis Curatus excellenti exemplo omnium virtutum eluceat, quia mire proficiet. Libet ferre exemplum istius generis. Circa annum Domini 1575. Hieronymus de Ruere, tunc Archiepiscopus Taurinensis in subalpinis, postea vero Cardinalis delegauit in Vallem Perosæ sitam in subalpinis prope Pinarolum totam hæreticam, Sacerdotem iuuenem ex Seminario suo Archiepiscopali. Is cum socio vallem ingressus peruenit ad quandam villam, vbi persistens, & incipiens suæ delegationis officio fungi, mira sunt, quæ passus sit ab hæreticis loci, tamen patientia, & vitæ innocentia, breui multum profecit, ita vt esset admirationi. Quid maius, aggressione operis, tam desperati, an progressus eiusdem inopinati?

80. QVÆST. *An Curatus de præcepto sub mortali teneatur curare, vt continuo lampas ardeat ante tabernaculum S. Sacramenti?*

RESP. Obseruandas constitutiones Episcopi. Dico præterea lampadem ardentẽ esse symbolum fidei, quo protestatur in tabernaculo existere verum corpus Christi & ad hunc actũ fidei eliciendum omni tempore nemo tenetur. v. Az.

z.1. lib.8. c.7. q.7. quod cum non sit in casu nostro, non credo mortale Curato, si non habuerit continuò ardentem lampadem ante sanctissimum Sacramentum. Poterit tamen mortaliter peccare, si oleum sit alterius personæ, & Curatum furetur, quod erit Sacrilegium graius, leuiusve secundum quantitatem materiæ. Sed nec credo excusandum à mortali Curatum, qui in hoc notabiliter deficeret: esset enim dare non leue scandalum.

81. QVÆST. *Quid aget Curatus in administratione Sacramentorum, & in admittendo ad diuina, si fortè in sua Cura habuerit hæreticos, vel publicos excommunicatos, aut aliter censuratos?*

RESP. Ista practicanda iuxtà constitutionem Concil. Constant. qua solum prohibetur communicatio in diuinis cum publicis excommunicatis, per denunciationem, & publicis clericorum percussoribus. Quidam negant hanc constit. eo quòd de ea in dicto Concil. non constat: sed solum per relationem aliquorum Doctorum. Ita refert S. Ant. *3.p. tit.23. cap.13.* & volunt standum constitutioni Concil. Basilien. qua prohibetur participatio cum omni excommunicato ita publico, quòd nulla tergiuersatione valeat celari. At standum constit. Concil. Constant. eo quòd ab vniuersali Ecclesia admittatur. Suarez *To.5. disp.9. de excom. maiori sect.2 à n.1. vsque ad 6.*

82. QVÆST. *An casu quo Curatus non possit cum istis participare excusetur metu?*

RESP. Excusari, si metus sit mortis, vel grauis dam-

damni, seu scandali, dummodo non cogatur participare in contemptum clauium, quia tunc nullatenus excusaretur. Cùm autem audis scandalum excusare, intellige de scandalo resultante ex peccato mortali; puta graui murmuratione, vel iudicio temerario, sola autem admiratio non excusabit, nisi afferat grauem infamiam, quod vt plurimum euenit. Suarez *de censuris disp. 8. sect. 3. n. 19.*

83. QVÆST. *Quid ager Curatus, si in sua Ecclesia concionator fortè doceat hæretica vel scandalosa, an in facto impediat, vel sinat orationem seu concionem absoluere? Quid item aget, si ipse Curatus, dum concionatur ad populum, aliquis temerarius contradicat ipsi publicè?*

RESP. In primo casu de concionatore, sinat concionem perficere, deinde Episcopo admonito iussa exequatur; & hoc in his, quæ non sunt contra fidem, quia aliàs causaret magnum scandalum, quod non licet. Si verò concionator iste docuerit hæretica, vel valde scandalosa, idem omnino agat, vt est dictum, & si ibi sit edictum S. Officij, eidem pareat denunciando Episcopo vel inquisitione.

Si determinatio Episcopi sit aduentura, antequam concionator iste iterum concionem habeat, vel non sit periculum ante aduentum placiti Episcopi de nouo hęretica vel scandalosa illa prædicaturum: Si autem probabile est periculum, ea repetiturum, concionem prohibeat vsque ad determinationem Episcopi.

Et si videtur concionator non acquieturus, curet cum poni sub firma, sed decente custodia,

stodia, Episcopo celeriter de omnibus admonito.

In casu autem de illo sibi contradicente publice, ego ita agerem, tunc silerem, & quasi commotionem illam sedendo blande dicerem, *pura* poterimus de hoc alia vice commodius loqui: deinde haberem me cum isto iuxta proportionem, vt dixi de concionatore. In istis tamen casibus aduertat Curatus, non deferret rem ad Episcopum, nec aliter prouideat, nisi postquam de tota re controuersa testes examinarit, vel eorum dictum per priuatam scripturam testium exceperit: & tunc testes, vel scripturam ad Episcopum transmittat, & prouisionem quærat, vel, si sit acceleranda prouisio, prouideat, & non antea.

A. VICTORELLI
Ad Caput XII. Notæ.

PRoponere minus malum, vt maius vitetur, fas esse censebis; dum in illud consensus proponentis non feratur: at suadere, vel dare consilium, vt fiat, nequaquam; quia hoc sine consensu in malum, accidere, posse non videtur, nonnulla huc spectantia notaui olim, ad *cap. 37. libro 5. Instr.* Cardin. Tol. quo in loco factum Loth Sodomitis filias offerentis, allatis Doctorum sententijs, considerandum proposui.

De hac re Mol. *d. 335. de Iust.* Perer. *d. 1. in 19. Genes.*

21. Si verò, &c. Curatus non angatur, &c. vide, *si liber*, Ioan. Med. *de pœn. tract. 4. quæst. 9. de leiun.* Azor. *tom. 1. Instit. Mor. lib. 7 c. 18. qu. 3.* & Notas nostras *ad cap. 4. lib. 6. Instr. Sac. Card. Tolet.*

25. Parochus, cum ordinariam in suos, pro foro conscientiæ, iurisdictionem habeat, permutere potest; vt alius Sacerdos, ad confessiones audiendas in eadē diœcesi approbatus, suorum confessiones excipiat: imo, vt alterius diœcesis parochus id faciat. Episcopi nonnulli Sacerdotibus quibusdam. nō parochis, facultatem interdum faciunt; vt homines quibuscumque suæ iurisdictionis parochis subiectos sacro ritu audire, & absoluere possint. Hi confessarij parochorum facultate non egent. De licentia alieno confitendi Ioan. Med. *q. 31. de confessione.* Sot. *4. d. 18. q. 4.* Suarez *tom. 4.*

Sed vide, ne te vetuisti, (aut fere,) Scriptoris (in his Io. Med. q. 34. de Cōfessione) dicta fallant, cum legis, parochianum veniam à suo parocho assecutum, vt alieno Sacerdoti crimina, in sacro Pœnitentiæ foro explicet, posse ad simplicem Sacerdotem confugere: nam post Concil. Trident. *sess. 23. cap. 15.* necesse est, vt is Ordinarij approbatione confessionibus excipiendis expositus sit.

Vicecurati licentiam sufficere, ait Ioan. Med. *quæst. 32. l. c.* si ei parochus concessit: vt id (quoad Sacramentorum administrationem) efficiat quod ipse efficere: at Sot. *4. dist. 18. qu. 4. art. 3. col. 8.* hoc sentit, si subdelegandi facultas ei à parocho facta sit.

26. To-

26. Teneri, &c.] Quid si Parochus, probabili coniectura ductus, hominem à dæmone, in eius & aliorum hominum bonum Dei voluntate vexari existimet?

Exorcista Thyræi librum, egregium sanè de obsessis à dæmone, cum fructu & oblectatione, decies repetita lectione, inspiciet.

Qui dæmonibus ab humanis corporibus pellendis operam nauant, videant sedulò, ne hac arte pecuniam quærant, aut quærere videantur, pro diuina gloria laborent, abstineant à muneribus, mercedem à Deo expectent. Subsannant & decipiunt praui dæmones auaros homines, in magnasque impellunt angustias; recentia non deessent exempla.

27. Vir magnus Xauerius, pecuniam, neque restitutionis, neque eleemosynæ titulo pauperibus distribuendam, accipi volebat à Confessarijs. Turscll. *lib. 6. c. 17. Vitæ Xaueriane.* Quod iterum, dedita opera, moneo.

40. Inimico, qui te læsit, pacem supplici oranti, tabellionis manu scriptam, concede non teneris. Sic Comitolus *lib. 4. q. 32. tom. Resp. mor.*

41. In sua ignorantia, &c.] Si culpa careat. De re simili actum est suprà ad cap. de matr. in Appendice.

43. Parochum matrimoniorum librum non habentem peccare mortiferè, à Sanchez quoque traditum est, *lib. 3. D. 15. num. 22.* Ex verbo Concil. Trident. hoc non colligitur: nam non sunt præceptiua; sed colligitur ex fine, quem Concilium præ oculis habuit: is est, vt lite

euitentur, & de celebrato matrimonio Ecclesiæ constet.

52. Mentitas ecstases, &c. Repertæ sunt mulieres, quæ, malo dæmone fallente, se Christi Domini vulneribus (hoc munere cumulatus S. Franciscus, & D. Catharina Senensis) decoratas dicebant: mirum est, quod ex P. Ioseph Acosta significauimus, ad *c. 7. n. 80* Firmilianus *ep. 75 ad D. Cypr.* narrat, mulierem quandam dæmonis astu solitam & statim experiri res, quæ miræ videbantur, efficere: his illa artibus multos decepit.

Quædam mulier, (apud Seraphinum Firmanum *cap. 4.* de spirituum discretione,) eodem dæmone decipiente, sanguine sudabat. Lucilla Carthaginiensis dæmonis secuta fraudes schismati Africano initium fecit. Optat. Mileuit. *lib. 1 de Schis. Donatist. cont. Parmen.*

Quomodo Confessarius se gerere debeat cum fœminis visiones referentibus, docet Rodriquez *p. 1. Summæ cap. 9.* Libenter leges, quæ monebat spirituales suas filias B. Catharina Bononiensis, *cap. 29. lib. 2. Vitæ S. Claræ, F. Valerij Veneti Capuccini*, & quæ scribit Martin. Delrio *Magic. Disquisit. lib. 4. cap. 1. q. 3.* de diuina agens reuelatione.

CAPVT XIII.

DE MORIBVNDIS.

SVMMARIVM.

1. *An teneatur Curatus quærere infirmos pro Sacrament.*

2. *An*

2. *An denunciet mortem infirmo.*
3. *An tangat pulsum infirmi.*
4. *Hortetur Cur. ad indulgentias suæ sodalitatis.*
5. *Post confessionem, & communionem quid agat cum infirmo.*
6. *Hortetur infirmum ad testandum.*
7. *An Curatus scribat testamentum.*
8. *In legatis pijs quid obseruandum.*
9. *Quos deterreat à legatis pijs.*
10. *Consilium infirmo leganti pia.*
11. *Quid respondendum difficili, aut impossibili rei.*
12. *Consilium pro astantibus & domesticis infirmi.*
13. *An teneatur commendare animam infirmo.*
14. *Quantum temporis Curatus maneat apud infirmum.*
15. *Practica pro commendatione animæ.*

QVÆST. 1. *An Curatus, vt audit aliquem infirmari, debeat se ingerere, & hortari ad Sacramenta suscipienda, vel sufficiat dare petenti?*

RESP. Præter dicta *cap. 5. num. 3. & cap. 7. num. 81.* Diligentius incumbendum in causa infirmi, quam in causa sani. Sed quia fragilitas naturæ humanæ talis est conditionis, vt infirmus male accipiat cum statim de Sacramentorum receptione admoneatur; Parochi diligentis erit curare, vt medici suæ parochiæ, iuxta canones, & cõstitutiones Pontificias suscipiant banc prouinciam, & de confessione admoneant saltem domesticos infirmi, & maxime cum præuident, vel dubitant de futuro delitio. (quod periti medici fatentur posse agnosci, domestici deinde denuncient infirmo, vide etiam *cap. 7. n. 101*

Et

Et quo maior peccator est infirmus, eo magis Curatus incumbat, primò lenibus, deinde grauioribus verbis, si ita prudenter expedire viderit, sed aspera relinquat pro extremo remedio. Atsi in loco vigeat abusus in hac re, curet tollere, instruens populum ad petenda Sacramenta sponte cum infirmitate præmuntur, docti de commodo inde sequente, & de probabili periculo aliter imminenti.

2. QVÆST. *An Curatus teneatur denunciare mortem infirmo?*

RESP. Et non credo necessarium sub peccato, nisi quando probabile est, si denuncietur, infirmum saluatum iri, aut euasurum peccatum mortale. Porro prudenter denunciata non afferet molestiam illam quam communiter afferre solet. Expediet autem instituere cum infirmo sermonem de miseria huius mundi, & obiter inserere de periculo mortis, quod infirmitas solet afferre dicendo, Domine, si te oporteret ad Cœlum ire, quomodo mortem acceptares libenter? Et ita, vel alio meliori modo, disponere ad mortem, vt sic dispositus rebus etiam suis disponat.

3. QVÆST. *An expediat, vt Curatus notitiam aliquam saltem crassam habeat pulsuum, vt tangendo infirmos, cognoscat, an vere infirmus sit moribundus?*

RESP. Non esse necesse, nec bonum tangere pulsum, dum accedis pro conferenda extrema vnctione; quia si tetigeris, & vnxeris, intelliget infirmus se iam, iam mori quod esset illi valde molestum, sufficiet autem Curato pro recte

vngen-

vngendo infirmo scire illum deficere, iuxta dicta de extrema Vnctione. Cæterùm qui hanc doctrinam calleret, vita & multa, quæ sæpe ab imperitis Curato proponuntur.

A quibus Curatus in morte absoluat, *vide cap. 7. num. 72.*

4. QVÆST. *An Curatus det, & quomodo indulgentias bullæ, puta, ægrotus est è sodalitate, qua habet priuilegium accipiendi indulgentiam plenariam in morte?*

RESP. Considerandas esse bullas Papæ, & si Papa concedit Indulgentiam, Curat. nihil agit: At si concedit confessario, vt illam largiatur, absoluat priùs à peccatis, deinde det indulgentiam in hæc verba: Auctoritate, qua fungor, concedo tibi omnem indulgentiam illam peccatorum tuorum, quam possum tibi concedere, virtute cuiuscunque gratiæ. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Nau. *cap. p. 26. num. 30.*

5. QVÆST. *Quid aget Curatus post confessionem & communionem infirmi?*

RESP. Hortetur, vt tunc velit extremam Vnctionem, dandam tamen, quando ita visum fuerit Curato: licet hoc possit differri in aliud tempus, puta dum Curatus viderit infirmum paulatim deficere, & doceat cum Soto *dist. 23. quæst. 2. art. 2. conclus. 2.* Vnctionem non esse differendam in id tempus, quo natura iam est deplorata, si tamen eo protrahatur, etiam est danda: colligitur verò, cùm natura adhuc vigeat, multum prodesse, quod non efficiet, si conferatur iam natura prostrata; quia Sacramentum operatur secun-

secundum naturæ vires eas adiuuando, ita vt si opportunè conferatur, multi sanentur, qui alias moriuntur. Doceat præterea hoc Sacramento induci hilaritatem animi, quæ etiam multum ad sanitatem conducit, & in hoc multum incumbat, cum æger amore seculi validè retinetur.

Libet narrare exemplum: Decumbebat ad mortem iuuenis, qui amore vnici filij mirè cruciabatur: Inunxi eum, & statim interrogatus, an aliqua molestia afficeretur, respondit, esse animo omnino sereno, & vsque ad mortem, quę fuit post quartam partem horæ solutis sensibus, cum mira deuotione, quiete perseuerans expirauit. Alia istius generis multa vidi.

Practica: Posset Curatus cum habet infirmum lethaliter ægrotantem, eum sæpè inuisere, vt ex visitatione infirmus non terreatur, dum viderit Curatum cũ extrema vnctione aduenire.

6. Qvæst. *An Curatus aliqua, & quænam præstabit pro, vel in testamento infirmi?*

Resp. Nauarr. *cap. 26. num. 36.* hortandum esse infirmum ad testandum, dum est in gratia; & si testamentum condidit, dum nõ erat in gratia, hortetur ad id Deo offerendum, dum est in gratia, quod vt plurimum est post confessionem & communionem. Nauarr. *ibi.* Tol. *Inst. lib. 5. cap. 5.* vult Curatum teneri ad hoc sub mortali, id est ad exhortandum ad testandum: quod in vniuersum non potest esse verum. Forte tamen concedendum erit, quando si iste non testetur, multa damna sint secutura post eius mortem, & nullus sit aptior Curato ad persuadendum vt testetur, quo persuadente sit credibile infirmum testaturum.

7. QVÆST. *Si infirmus velit testari, & est loco, puta Villa, vnde Notarius abest. An Curatus possit loco Notarij testamentum scribere?*

RESP. Exoneret se Curatus, quantum fieri potest; quod si aliter fieri nequit, scribat, & adhibeat suos testes necessarios, qui debent esse septem mares.

8. Et si contigerit infirmum velle facere legata pia, Curatus aduocet duos testes, præter ipsum sufficient quidem mulieres: at melius habere viros, si fieri potest. Silu. *testem par. quæst.*

9. Deterreat autem à legatis pijs (magnis saltem) habentem hæredem pauperem, *quia bonum legatum est relinquere pauperi*, modo sit *digno*, dummodo extreme indigeat, & non habeat alium, qui eum alere possit, vel *velit*. Nav. *c. 26. num. 36. in fine.*

10. Consilium petenti infirmo, quid possit pro anima sua relinquere, Curatus caueat ne proponat, quæ sapiant auaritiam. Dicat potius generalia; puta fac eleemosynam locis vel personis pijs. Aliquando item proponat aliquos tolerabiles. Aliquando propriam Ecclesiam, si vere indiget. Sed sit prudens, ne incurrat offensionem domesticorum infirmi.

Quomodo Curatus iuuet infirmum ope externa indigentem. *Vide cap. 7. num. 62.*

11. QVÆSST. *Quid respondeat Curatus infirmo petenti rem indignam, aut impossibilem, puta, habeas curam vxoris meæ, vel filiorum meorum, aut aliud simile?*

RESP. Nihil præcisè respondeat, sed solum genericè, puta, sis bono animo, non deero quicunque in re potero, & similia.

Si verò contingat aduenam in loco esse infirmum, & habere vxorem, ac filios, & velit Parochum curaturum eos in patriam reduci, qui aliàs notabiliter essent passuri: Curatus præstabit rem dignam homine Christiano eos, & suis, & piorum eleemosynis adiutos in patriam remittere.

12. Obseruet Curatus pro astantibus, & domesticis infirmi. Cohibeat dolentes, & plorantes, & nonnunquam dicentes: Paulatim deficit: Non perueniet ad talem horam, & similia: infirmi enim pollent acutissimo auditu vt plurimum, & talia valide moribundum conturbant.

13. QVÆST. *An Curatus teneatur moribundo commendare animam?*

RESP. Tol. *Inst. lib. 5. cap. 5.* affirmare: An sub mortali? Non credo, quia videtur res leuis, nisi in eo, qui ad talem statum sit redactus cum mortali, puta non confessus aliquo prauo affectu, vel cum perseuerantia in statu mortali, quia iste cum sit in magna indigentia pœnitentiæ, videtur Curatus tanquam Pastor teneri omni modo, & via dum supereſt halitus, illius salutem procurare, & tanto grauius credo teneri, quanto periculosius est damnum vicinum, & irreparabile moribundi. Pro commendatione verò animæ in isto casu, non solum intelligo preces ilas fundere, quæ in Rituali inscribuntur. Commendatio animæ, sed vt inducat precibus hunc ad dolorem suorum peccatorum, & veram pœnitentiam. Commendare vero animam, id est, preces illas fundere,

sancta res est, & à Spiritu sancto, qui regit Ecclesiam, profecta.

14. QVÆST. *An Curatus teneatur manere apud moribundum die ac nocte vsque dum expirauerit ?*

RESP. Si moribundus sit impœnitens, credo teneri, vt est dictum num. superiori: si vero is recipit Sacramenta, & Christiane moritur, est bonum apud illum manere, sed nō necessarium, consuetudine generali ita interpretante. Sciat tamen Curatus diligentiam in hoc esse proficuam infirmo, & sibi, & valide domesticis infirmi charam. Circumferuntur duo libelli *Italice* conscripti, videlicet consolatione de gli afflitti del P. Gaspar Loarte della Compagnia di Giesu, & alter Modo vtilissimo al ben morire: quorum cognitio erit in hac re Curato valde vtilis. Præbeat autem se Curatus non magis diuitibus, quàm egenis diligentem, imò si velit excedere, excedat cum pauperibus, vtpote magis hac ope & consolatione indigentibus.

* Sed & Curatus sciat sæpe freneticos paulo ante mortem fieri rationis compotes: ideo, si pro freneſi infirmus non potuit antea iuuari, conetur hoc præstare, cum instat mors saltem saltem si non viderit antea adesse rationis vsum. Nam potest fieri, tunc infirmum esse sui iuris, & fore iuuandum cum antea per freneſim omni auxilio incapax esset.

15. QVÆST. *An commendatio animæ sit repetenda ?*

RESP. Si velis, posse repeti. Vide vero an fructuosius, (quod ita credo) crebris oration-

bu

bus iaculatorijs mixtis cum gratiarum actionibus, tenere mentem infirmi excitatam: Et si habuerit vsum sensuum, expediet animare ad amorem Dei, ad voluntatem eius acquiescendā, ad spem vitæ æternæ, & ad læta huiusmodi, quæ magis afficient, si in medium producentur miseriæ huius vitæ, & præcipue infirmi, qui in eis fuerit, aut sit, siue item domesticorum, quæve euenire cuique possunt: sic enim ex recordatione noti odiosi, discet amare incognita. Si in commendatione videris infirmum valide à dæmonio vexari, expediet vt orationi tuæ iungas orationes astantium, & vt respondeant tibi ad Litanias, vel repetant ipsi, quæ tu clarè pronunciaueris, vt multiplicata intercessio sit efficacior, præcipuè verò Psalmū: *Exurgat Deus, &c.* & Euangelium S. Ioannis: *In principio, &c.*

Si verò infirmus auditu caret, relinque iaculatoria, quia non prosunt, & alia supradicta, & age causam illius oratione tua, & astantium. Et cura semper adesse aquam benedictam, qua sæpe aspergatur infirmus. Vis enim huius aquæ contra ægritudines, & morbos mira.

* Caue etiam à vociferatione, dum res necessarias doces, nam ista moribundum inquietant. Sufficit vox ordinaria, nisi surditas infirmi velit attol endam esse.

A. VICTORELLI
AD CAPVT XIII. NOTÆ.

NOn esse differendam, &c. Lethali morbo oppressus ad extremæ vnctionis remedium

dium tunc debet confugere, cum integrum rationis robur ei permittit, vt pium animi studium ad Sacramentum afferre queat; & cum supernaturalis Sacramenti vis naturæ languendis vires adiuuare potest. De hac re actum est à me in libro de Extrema Vnctione, *pagina 50.* Alacritatem, miram profecto, in ægroti animo Sacra gignit Vnctio; qua is recreatus sæuientis draconis impetum sustinere facilè, ac frangere potest.

Beatus Laurentius Iustinianus sacro delibutus oleo egregiam habuit de mortis bono, & de sempiternis beatæ vitæ delitijs orationem. De Beata Maria Oegniacensi Iacobus de Vitriaco *lib. 2. cap. 4.* hæc scribit: *Dum ægrotus aliquis extremæ Vnctionis Sacramentum, B. Oegniacensi Maria præsente, perciperet, sentiebat illa, Christum cum Sanctorum multitudine adesse, ægrotumq; illum misericorditer corroborantem, dæmones expellentem, animam purgantem.*

S. Clara è Montefalco diuinum hoc remedium suscipiens, diuinitus monita crimina condonata, æternæque vitæ præmia sibi in cœlo parata cognouit. Quæ tunc illam voluptas exhilarauit? *v. c. 4. lib. 5. vitæ S. Claræ*, quam P. Valerius Capuccinus edidit.

6. Rodriquez *parte 1. cap. 59.* quid agendum Confessario, scribit, cum morientis hominis confessionem excepturus est. De testamento in statu gratiæ condendo idem, quod Nauar. Parochus moneat ægrotum, vt æs alienum detegat, iubeatque vt illud primo quoque tempore imò antequam obeat, si fieri possit, dissoluatur.

14. Duo

14. Duo libelli, &c.] Liber Ioannis Polanci è Soc. Iesv, Methodus ad adiuuandos morientes, inscriptus, optimus est; cum præ manibus Parochus habeat.

CAPVT XIV.

DE MORTVIS.

Svmmarivm.

1. *Quanto tẽpore à morte sepeliendus sit mortuus.*
2. *An sepeliendum omni hora, & die.*
3. *An sepeliendum gratis.*
4. *Quibus negatur sepultura Ecclesiastica.*
5. *De puero in partu periclitante.*
6. *Moriens in Torneamentis, occidens se, non confessus, non communicatus, an sint sepeliendi.*
7. *Quid aget Curatus si vocetur ad confessionem eius qui omnino non potest loqui.*
8. *Censuratus absolutus in morte sepeliatur.*
9. *Quid intelligatur per verbum sepelire.*
10. *De infirmo blasphemante in morte.*
11. *Inuentus sine signo baptismi.*
12. *Prohibeat Curatus insolita super mortuos.*
13. *Quomodo exigat emolumenta sepult.*
14. *An Curatus permittat aperitionem mortuorũ.*
15. *An mortua in partu introducenda sit in Ecclesia more parturientium.*
16. *Missa de requiem quando dicatur.*
17. *Quid de candelis super sepulturas.*
18. *Distributio candelarum ad absentiam alterius Curati.*

QVÆST. 1. *Quot horis debeat mortuus teneri super terram, antequam sepeliatur?*

Resp. Non esse determinatum. In quibus locis vidi assignari octo, vel ad minus sex horas. Conforma te consuetudini, & in dubio consule medicum, qui si iudicauerit sepeliendum, sepelias. Si vero habes constitutiones tui Episcopi, sufficier eas obseruare. Et si cares constitutione, & medico, facto experimento, *vt c. 6. nu. 10.* poteris tuto sepelire.

2. Qvæst. *An omni hora & die possit sepeliri mortuus?*

Resp. Quis vetat? etiamsi sit dies Paschæ. Vidi non admitti ad sepulturam in die Parasceues, sed qua ratione, nescio. Verum est quod si sepeliatur, non pulsabitur campana. Sepelire vero de nocte, vidi prohibitum in multis locis, tu obserua constitutiones tui Episcopi, si non adsunt, obserua consuetudinem loci.

3. Qvæst. *An Curatus teneatur sepelire suos mortuos?*

Resp. Teneri, & gratis vbi ita sit consuetum. Et vbi est laudabilis consetudo *aliquid* tribuendi pro funere, poterit recipere solitum dari. Omnes. Ita tamen agat. Prius mortuum liberet sepeliat, deinde petat consuetam largitionem. Silu. *sepult. q. 3.* Sot. *de iust. lib. 9. q. 6. art. 2.* quam postea (si negaretur) poterit petere etiam via iuridica: debetur enim de iustitia. Sed Curatus hoc remedio non vtatur, nisi cum omni alia via prius tentata, suum nequit habere. Nunquam tamen ante sepulturam quærat habere cautionem de isto solito. Vidi alicubi Curatum noluisse admittere ad sepulturam, ni daretur cautio de soluendo solito ab his, in quorũ domo mortuus iacebit.

cebat. Et alibi, contra eosdem processum fuisse via iuridica, quando mortuus non habebat vnde solueret. Tu ab omnibus istis caue, quia irrationabilia, & scandalosa. Et Curatus in his debet esse tam alienus, vt mortaliter peccet, & sit excommunicatus, si induxerit aliquem ad promittendum, aut iurandum se acceptaturum sepulturam in sua Ecclesia, aut quam iam ante accepisset, non mutaturum. Nau. *c. 25. num. 132.*

QVÆST. *An aliquibus sit Ecclesiastica sepultura neganda?*

RESP. Affirmatiuè, & esse negandam.

4. Non baptizato dummodo sit extra corpus matris, quia dum non est extractus, est pars ventris. Et si sepulta matre, aliqua de causa extrahatur, & fœtus separetur à matre, non est sepeliendus amplius in sacro, propter eandem rationem practicatum. Baptizatus vero baptismo dubio, ita vt si superuixisset, rebaptizãdus fuisset cum conditione, sepelitur in sacro. Silu. *baptism. 4. quæst. 2.*

Quid de isto casu. Dum in partu periclitaretur infans nondum integrè natus, obstetrix eum baptizauit, dicente matre puerum viuere, quia mouebat se, tamen statim plenè natus, apparuit mortuus, vbi erit sepeliendus? Consulti Doctores asseruerunt sepeliendum in sacro, quia sufficienter probatur vixisse dum fuit baptizatus: quod vero natus visus fuerit mortuus, nihil aliud concludit quam natum mortuum, quod nõ impedit sepulturam. Deducitur etiam ex Silu. *bapt. 4. q. 1.* vbi concedit non priuare Ecclesiastica sepultura baptizatum baptismo dubio,

Si vero infans in partu baptizetur, & non constat baptizanti an viuat, necne, nec matri, quæ pro dolore istud non attendit, si baptizatus apparet mortuus, sepeliendus in sacro. Ratio videtur esse, quia sicuti ibidem sepelitur baptizatus baptismo dubio, sic venit sepeliendus baptizatus sub dubio an viueret, quia semper baptismus dicetur dubius, posito dubio in forma, vel susceptore, vel materia, & ita iste baptizatus sub dubio, videtur sepeliendus, vt sepelitur baptizatus baptismo dubio. Ista tamen intelligo cum hac limitatione, dum vero post baptismum adhuc duret dubium, an infans tempore baptismi viueret, nec ne, quia si constaret tempore baptismi fuisse mortuum, non est sepeliendus in sacro.

Caret idem Ecclesiastica sepultura, Moriens in torneamentis, etiamsi accepto vulnere viuat, & pœniteat. Idem est de moriente in duello. Concil. Trident. *sess. 15. cap. 19. de reform.* Vide Decretal. Gregor. *del libro 5. tit. 3. cap. 1. & 2.* Silvest. Tabienam. Nauar. *Manu. c. 15. num. 9.*

Occidens se ex desperatione, vel ira, sed si viuat, & pœniteat, sepelitur.

Non confessus, vel non communicatus *illo* anno, hoc est per annum. Pro quo obserua Constitutiones tui Episcopi: si non adsunt, & istum non confessum, vel non communicatum fuisse clarè constat non sepelias; si est dubium sepeliendus est, sicuti si factum sit occultum. Sil. *sepult. q. 10. not. 1.*

* Porro Curatus notet, si vocetur pro confessione eius, qui omnino non valet nec verbo, nec signo

signo confiteri, nec ostendere signum contritionis, vbi isti non confessi non sepeliuntur in Sacro, vel alia pœna puniuntur domestici mortui, adhibeat testes, ne forte apud Episcopum incusetur quasi sua culpa non confessus mortuus fuerit. Postea enim fieri, vt isti, si liberarentur à pœna istam negligentiam in Curatum dejicerent.

Monachus proprietarius. Potest euenire casus Curato in Apostata, vt bis vidi in aliena Cura.

Blasphemus Dei. Addit Armil. *sepult.* Si contempsit facere pœnitentiam.

Notorius peccator mortuus ipso notorio mortali.

Interdictus & excommunicatus. Adde alios de quibus vide Summistas *verbo sepult.*

Qui tamen omnes excepto mortuo in torneamento, si ostenderint signa contritionis, sepeliuntur in sacro.

Vsurarius publicus, si potuit præstare quæ dicuntur *c. 7. nu. 96.* & licet dicat se in testamento relinquere, vt vsuræ soluantur, non est sepeliendus in sacro, & sepeliens est excommunicatus. Nauarr. *cap. 26. num. 8.* Tol. *Inst. lib. 5. c. 36. Sed absoluit ab ea Episcopus.*

Vsurarius vero occultus potest sepeliri. Aduertat vero Curatus, quod si admittit ad sepulturam eum, qui restitutionem feciſſet, si ei negata fuisset sepultura, quod ipse Curatus tenetur pro eo restituere. Silu. *vsur. 7. quæst. 2. in fine.* licet credo possit excusari iuxta dicto *cap. 5. num. 19.*

5. Omnis autem censuratus, puta excommunicatus, interdictus, vel suspensus absolutus in articulo mortis, potest in sacrum sepeliri. De excommunicato affirmat Tol. *lib. inst. p. c. 16. num. 9.*

Si vero excommunicatus in eo articulo non fuit absolutus, sed ostendit signa contritionis, ad quę probanda sufficiet vnus testis, postquam absolutus fuerit ab excommunicatione, ab eo cui absolutio erat reseruata, poterit sepeliri in sacro. Nauar. *c. 26. n. 32.* Tolet. *Inst. lib. 1. cap. 26. num. 10.*

6. Quid vero intelligatur verbo sepelire, cum dicitur sepelientem excommunicari. Caietan. *excommunic. casu 46.* vult esse solum eum, qui mortuum deponit in tumulo, & mandantes non autem facientes officium sepulturæ: At Nauar. *cap. 27. nu. 237.* citat glossam dicentem excommunicati omnes efferentes, & comitantes mortuum, & officium sepulturæ facientes. Suarez *tom. 5. disp. 12. sect. 4.* videtur hoc idem tenere. Sed & si quis bona fide, crederet fuisse absolutos, vel dedisse cautionem, quando est danda, & sepeliret, nō incurreret excommunicationem. Caietan. & Nauar. *ibi.*

7. Qvæst. *Quid de isto casu: Quidam infirmus antequam moreretur pessimè blasphemabat, & blasphemando mortuus est, quomodo sepeliendus?*

Resp. Si iste erat frenericus, tuto debet in sacro sepeliri; si nescitur an fuerit freneticus, si quidem habuit Sacramenta, debet iudicari freneticus, quod facile erit cognitu. Si vero non fue-

fuerit frenetícus, quod etiam bene constabit, puta si blasphemabat ex causa, non sepeliendus in sacro, quia mortuus est in statu peccati mortalis.

Porrò, quia etiam potuit blaspemasse ex inaduertentia, vel lapsu linguæ, quæ excusant à mortali; ego non sepelirem nisi monito Episcopo, nam saltem hoc cederet in cautionem aliorum blasphemantium, & ex hoc capite posset excusari in foro conscientiæ, at non in foro exteriori, quia Ecclesia non iudicat de occultis, sed de claris, & huius peccatum clarum est in tali foro. Porro Episcopus viderit.

8. QVÆST. *Quid aget Curatus in sua parochia, puta in crypta, vel in via inueniat mortuum non habentem aliquod signum baptismi, quomodo hunc sepeliet?*

RESP. Obseruandas constitutiones Episcopi, si hac de re adsunt, si non adsunt, consulendum Episcopum; si hoc fieri nō potest, & probabiliter potest mortuus iudicari infidelis, non sepeliat in sacro: si æque est probabile, esse & non esse fidelem; sepeliat in sacro, quia non constando ei aliter, potest credere fidelem, & conditio boni nominis quam non amisit mortuus est potior.

Aduertat tamen, antequam mortuum loco moueat, vt factum notificet magistratui seculari, seu curiæ, quia fere vbique cautum est, non sepeliendos similes mortuos, sine cognitione curiæ, & hoc pro bono publico, ad quod non turbandum: seu impediendum Curatus tenetur; est enim lex rationabilis.

Curatus prohibeat super mortuum poni in-

solita, dum fertur ad tumulum, multo magis sapientia superstitionem, puta capillos vxoris, & similia: & si sui admoniti non desinant, rem ad Episcopum deferat. Sed & ipse, si cognati mortui sunt plebeij, & non timetur scandalum, *po.* terit velut in pœnam similium rerum, non facere super mortuum officium sepulturæ, vt ab istis sui desuescant.

10. Si cadauer defertur in aliena Ecclesia, & Curato obueniant aliqua, puta quarta funeralis aut similia, & ea debentes negent, non rixetur sed absoluto officio, re delata ad Episcopum inde iustitiam sibi sumat. Modestia enim Ecclesiastici nota debet esse.

11. QVÆST. *An Curatus sinat modicos aperire corpora mortuorum delata ad Ecclesiam?*

RESP. Si in loco cognati defuncti malehabent corpora defunctorum aperiri, Curatus non permittat, nisi prius habita licentia propinquorum, cum testibus vt molestiam euitet, si quæstionem instituant. Si vero propinqui in loco de non curant, Curatus permittat maxime si vagantur morbi medicis ignoti, qui ideo cupiunt aperire mortuos, vt sit inde remedium sanis, imo tali casu expedit aperire.

12. QVÆST. *Si puerpera in partu moriatur an antequam deferatur ad Ecclesiam pro sepultura super eam debeant legi orationes ad introducendam mulierem in Ecclesiam post partum.*

RESP. Me vidisse aliquos de hac re scrupulis actoris actos. Sed tu dic, quod non debent legi quia, vt patet, orationes sunt pro viua, non pro mortua.

13. QVÆST.

13. QVÆST. *An Missa de Requiem possit dici omni die?*

RESP. Pro sepeliendo mortuo & pro anniuersario posse dici, omni, die etiam dominico. Rubr. Missal. *de Missis defunctorum*, Azor. *Inst. prima parte lib. 10. cap. 32. quæst. 7.* Addit curandum, vt in dominico, & in die festo, populus habeat Missam currentem: tu intellige, in quantum potest, quia ad impossibile nemo tenetur. Sed nec in Parasceue potest dici Missa de requiem, quia nec illa, nec alia dicitur. Idem credo de Sabbatho Sancto. Idem de die Paschæ.

QVÆST. *An idem sit obseruandum in alijs festis eiusdem classis, puta in Natiuitate Domini, in Epiphania, in Ascensione, in Pentecoste, in festo Corporis Christi, in Natiuitate S. Ioannis Baptistæ, in festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in Assumptione Beatæ Virginis, in festo omnium Sanctorum, in dedicatione Ecclesiæ, in festo Patroni loci, vel tutelari Ecclesiæ?*

RESP. Nullibi, quod sciam, esse cautum; distinguerem tamen. Vbi non adest nisi vnica Missa, ego non dicerem nisi currentem, vbi autem sunt plures, quod inconueniet dicere vnam currentem, & aliam de requiem?

Aliæ Missæ de requiem possunt semper dici, excepto in duplici. *rubr. Missal. de Missis defunctorum.*

14. * QVÆST. *Quid de isto casu. In die commemorationis omnium Defunctorum in quibusdam locis feruntur à populo candelæ, & accenduntur super sepulturas: nunc quæritur, an absoluto*

luto officio, vel ad libitum eas ponentium possint ac eisdem auferri; vel an eo ipso quod apposita acquirantur Ecclesiæ?

Resp. Iuxta consuetudinem loci practicandum: si dubium sit super consuetudine consolatur Episcopus, & iussa exequatur.

15. Qvæst. *Si in Ecclesia curata, in qua sint duo Curati, & aliqui Capellani contingat fieri per exemplum Anniuersarium, & desit vnus ex dictis Curatis, an tunc lucretur suam partem, ac si esset præsens, vel an eam amittat, eo modo, quo de distributionibus disponit Conc. Trid.*

Resp. Iuxta consuetudinem receptam loci pariter agendum; cum possit præscribere contra Concil.

A. VICTORELLI
Ad Capvt XIV. Notæ.

Induxerit, &c.] De peccato mortifero, *c. Animarum de sepult. lib. 6.* De excommunicatione (hæc Papalis est, & ipso facto Pontificiæ legis violatores afficit) Clem. *Cupientes de pœnis.*

Ad iurandum, &c.] adde & ad vouendum, Clem, *cit.*

4. Hæreticus quoque Ecclesiastica sepultura priuandus, est enim excommunicatus; etiam. si post mortem constet de hæresi. *c. sane 24. q. 2.*

Qui seipsum occidit, cum mentis compos non esset, fidelium sepultura priuandus non est, Rodriquez *parte 2. cap. 65.*

Cadauer hominis fidelis inuentum in puteo in Sacro loco humandum est: debemus enim con-

conijcere, illuc illud proiectum fuisse, vel hominem viuum. Rodriq. *loc. cit?*

APPENDIX I.

IN fidelium cadaueribus sacra loca polluuntur, si ea in ijs tumulentur, *c. Ecclesiam, 1. & 2. de consecrat. dist. 1.* non autem hæreticorum, nisi quatenus sunt excommunicati.

Si hæreticus non esset denuntiatus, cadaueris eius funeratione Sacra ædes non pollueretur; quia post Conc. Constant. excommunicati denuntiati tantum, & publici Clericorum percussores vitandi sunt: at quos viuos non vitamus, defunctos vitabimus? Vide *cap. sacris. de sepult. lib. 6.* Nauar. *lib. 5. consil. 15. de hæret. nu. 4. in cap. 1. §. si laboret, de pœnit. dist. 6. in Man. c. 27. n. 35.* Couar *in cap. Alma mater, part. 1. §. 2. n. 2.* Suarez *in 3. p. S. Thom. tom. 3. d. 81. sect. 4.* Vict. *in summa q. 99.*

Si cadauer excommunicati denuntiati in loco sacro, ea mente, collocetur; vt inde post paucas horas translatum in non sacro loco tumuletur, Sacer locus non censetur pollutus; pœnæ enim sunt restringendæ; *cap. odia, de reg. iur. lib. 6.* Sepultura, non autem simplici depositione ad paucas horas, cadaueris excommunicati Sacer locus violatur. Vide *cap. consuluisti de consecrat. Ecclesiæ, vel Altaris.* De hac re pluribus alias, rogatus, differui.

APPENDIX II.

DOminus pro seruo impubere sepulturam eligere potest. Silu. vide *sepultura num. 7.*

Et

Et pater pro filio impubere, si ita ferat consuetudo, *c. licet, de sepult. lib. 6.*

Filiusfamilias post pubertatem, sine patris consensu, sibi potest sepulturam eligere. *c. licet. cit.*

Cadauer hominis post pubertatem morientis, sine sepulturæ electione, vel in sepulchro maiorum suorum vel in parochiali Ecclesia tumulandum est, *ex capitulo licet citato,* nisi contraria consuetudo repugnet.

Mulier, quæ multos viros successiuè habuit, decedens, sepultura non electa, dum vltimo viro tumulanda est, *c. is qui, de sepult. in 6.*

Habens domicilium in ciuitate, vel castro, si rus petat, animi gratia, vel vt ruralia exerceat; ibique sepultura non electa moriatur; in templo in quo maiorum suorum antiqua extat sepultura funerandus erit, capitulo is qui citato.

Hominum, Iudicum sententia, iugulatorum cadauera non omnia humanda in loco sacro, sequenda loci consuetudo. Hæretici Ecclesiastica sepultura priuandi, & illi, qui capite damnati, ante sententia excommunicationem, seipsos occidunt. Vide Martinum Delrio *lib. 5. sect. 19.*

Disquis. Mag.

CAPVT

CAPVT XV.

MONITA
AD RECTVM STVDIVM CASVVM
Conscientiæ pro Incipientibus, & addiscentibus per libros, & pro bene practicanda doctrina.

SVMMARIVM.

1. *Habeat Curatus paucos, sed bonos libros.*
2. *Quos libros habeat.*
3. *Studium sit continuum.*
4. *Quos libros meliores elegat.*
5. *Possidendæ sunt regulæ generales.*
6. *Considerate legat auctores.*
7. *Canones & Bullæ semper præualent.*
8. *Possideat semper terminos doctrinæ.*
9. *Scientia scandali necessaria.*
10. *Studium sit diligens.*
11. *Formet practicam rei, cui studuerit.*
12. *Quibus maxime studendum.*
13. *Nunquam recedendum ab opinione communi.*
14. *Communis opinio quæ.*
15. *Quæ opinio præferatur communi.*
16. *Inter opiniones contrarias, quæ sit tenenda.*
17. *Opinio æque tuta, quæ sequenda.*
18. *Opinio doctoris, vt sit præferenda communi.*
19. *Opinio propria quando sequenda.*
20. *Opinio magistri licita.*
21. *Probabilitas in moralibus sufficit.*
22. *In dubio tutiorem partem esse eligendam, quomodo intelligatur.*
23. *In pœnalibus mitior pars est eligenda.*

24. Con-

24. *Consuetudo tollit legem.*
25. *Consuetudo publica non contemnenda.*
26. *In præiudicium tertij non fiat iudicium nisi declaris.*
27. *Paruitas rei in omni materia excusat.*
28. *Ignorantia qualis excuset.*
29. *Ignorantia quotuplex.*
30. *Inconsideratio & obliuio inculpata excusant.*
31. *Pœnæ non debentur ante condemnationem.*
32. *Necessitas non habet legem, ideo excusat.*
33. *Impossibilitas semper excusat.*
34. *Impossibile quotuplex.*
35. *Leges positiuæ non obligant in magno damn.*
36. *Quis legem interpretatur.*
37. *Quando leges sunt contrariæ, quid agendum.*
38. *Restituere quis teneatur.*
39. *Causæ excusantes restitutionem.*
40. *Bona fides quid causat.*
41. *Præscriptio quæ.*
42. *Damnum rerum actionis ordinis qui agat.*
43. *Bona quæ.*
44. *Excommunicatio quando incurritur.*
45. *Quæ excusant ab excommunicatione.*
46. *Irregularitas quæ, & quando contrahitur.*
47. *Natura vsuræ, & quot modis potest fieri.*
48. *Quæ opiniones non sunt publicè docendæ.*
49. *Intentionis regulæ.*
50. *Episcopus in quibus potest dispensare.*
51. *Bonum consilium in casibus diff.*
52. *Iuramenta quæ teneantur.*
53. *Non omne licitum in foro exteriori, licitum in conscientia.*
54. *Bona fides excusat à peccato.*

55. Cru-

55. *Crudelitas inculpat a excusat.*
56. *Dolus quos contractus in conscien. rescindat.*
57. *De contractibus aliquid.*
58. *Omne peccatum est voluntarium.*
59. *Voluntarium quid & quotuplex.*
60. *Ad constituendum peccatum mortale quid requiritur.*
61. *Vbi non est culpa, ibi nec pœna.*
62. *Culpa quæ & quomodo obliget.*
63. *Peccata quomodo specie, vel numero differant.*
64. *An peccata cordis temporis interruptione multiplicentur.*
65. *Peccata in voluntate, omissione & facto.*
66. *Peccata oris quomodo multiplicentur.*
67 *Peccata operis quomodo multiplicentur.*
68. *Grauitas peccatorum vnde, & quomodo cognoscatur.*

1. NOn curet initio studiosus iste magnam librorum suppellectilem congregare; quia male explicabit à varietatibus opinionum. habeat igitur paucos, sed bonos libros, & sufficient isti:

2. Pro ordine, & methodo; Summula Caietani, cui posset æquari Toleti instructio, Summa Siluestrina, & Nauarri Manuale, & in his bene versatus euadet magnus vir. Ita Romæ consulti viri præcipui in hoc genere studij, & præsertim P. Io. Baptista Costa Societ. IESV Pœnitentiarius Sancti Petri, vir in hac scientia notissimus; istorum vero lectio nunquam deseratur, quia experientia docuit bonos alioquin casistas, sed studium casuum intermittentes postea impegisse in errores

3. Ra-

3. Ratio est, quia ista doctrina, quæ non acquiritur nisi post multos labores, & canos, vt ait Nauarrus, habet duplex fundamentum, vel in regulis Theologiæ scholasticæ, vel in beneplacito Pontificum: & licet prius facilè hæreat mẽti propter sua principia, secundum tamen est difficile, cum nullo alio fundamento nitatur, quàm beneplacito Pontificio. Ideo nulla alia via possidetur, quàm per continuum studium. At quia, vt plurimum, post adeptum beneficium nõ studetur, prudenter in aliquibus Episcopatibus cautum est, vt Curati statis diebus conueniant, vt de varijs casibus conscientiæ, qui continuo hoc exercitio memoriæ firmius hærent, conferant. Et si placet meum consilium, credo rudiorem melius acturum, si vnum solum ex dictis sequatur.

Et vt copiosiorem eligerem Silu. quia simplicior est doctrina, & sine vllis Doctorum concertationibus. Ac de Toleti quidem Institutione Sacerdotum meminerint, qui varias bonorum istiusmodi Auctorum editiones non viderunt, vt eam eligant, quæ absolutior prodijt, qualis quæ anno 1603. & sequentibus Mediolani, quin etiam deinceps Brixiæ cum titulis capitum recussa est in quarta parte folij. Idem dictum sit de alijs Summistis atque Theologis. Quorum posteriores editiones, & vndenam fuerint emissæ, & quæ in ijsdem, siue prænoscenda, siue ad vsum sint adhibenda, cõsule Apparatum Sacrum Possevini Patrui mei, ad quem vel ipse Romanus Expurgatorius Index, nouissime in Vrbe excussus sæpè lectores emandat. Cæterum si quando

Curi-

Curatus vti voluerit Candelabro aureo Alphonsi Martini Viualdi, sciat à Romano Magistro Sacri Palatij prohibitum fuisse, nisi fuerit eximpressis ab anno 1602. Suspensa est idem Henrici Henriquez Summa Moralis, donec emendetur: Quod dictum, velim, ne si quando ab alijs, siue etiam interdum à nobis aliquid ex eo allatum sit, propterea posse illam ab omnibus versari existimetur.

Nam neque nos eam legissemus, aut vbi ab Auctorum approbatorum minimè discrepantia in ipsa referuntur, quædam nonnunquam attuliſſemus, nisi facultatem ab eodem Reuerendissimo Magistro Sacri Palatij eam tractandi, ac legendi obtinuissemus.

Porro Curatus id sibi omnino persuadeat, necesse esse, vt non solum apud se habeat Indicem librorum prohibitorum, cum Regulis confectis per Patres à Tridentina Synodo delectos, & quidem postremum Clementis Papæ VIII. iussu recognitum, & publicatum verum etiam eundem, de quo diximus, Expurgatorium. Indicem aliquod Auctorum ab Reuerendiss. Magistro Sacri Palatij in Vrbe editum. Sed & quinam Scriptores, siue eorum opera prohibita, vel donec expurgentur, suspensa sint, ad calcem istius legere debebis è dubijs edictis, quæ anno 1603. & 1605. Romæ promulgata sunt: cum, & quæ subinde S. Officij Sacræ Inquisitionis iussu publicantur aduersus pestilentes libros ea omnia edicta à Curato sedulo procuranda, ita cognoscenda sint, vt in tempore, qui suæ Curæ concrediti sunt, eos præmonere possit, ne qua illorū lectione inficiantur.

4. In-

4. Inter ſtudendum verò in ſingulis titulis, ſeu materijs, nota regulas generales illius materiæ, & ſecundum eas tuum ſtudium dirigas, quia inde facilius reſolues multos caſus contingentes, & iſta facilius memoriæ mandantur, vel ſaltem retinentur, quam ſingulorum caſuum deciſiones.

5. Caue inter ſtudendum ne celerior ſis in verſandis Doctoribus, ſed & attentè conſidera ipſum modum quo docent, quia aliquando diſputant de re, quo ad forum exterius, at eorum reſolutio in foro interiori non valet: non quod omnia, quæ determinantur in foro exteriori, contraria ſint determinatione fori interioris, ſed quod aliqua ſint huiuſmodi.

6. Quotieſcunque in aliqua re eſt canon non determinans, vel Bulla Pontificia, ſi non adſit conſuetudo in contrarium militans, omnes opiniones contrariæ ſunt nullæ, puta: eſt Bulla Sixti V. quod Eunuchus vtroque teſte carens non ſit habilis ad matrimonium contrahendū, quidquid in contrarium dicant Doctores, eſt nullum, quia hæc conſtitutio eſt vſu recepta.

7. Sæpè contingit, vt termini, qui in doctrina adhibiti ſunt ad faciliorem intelligentiam, maiores tenebras obſcuritatis ſpargant, ideo ſtudioſus curet bene eorum intelligentiam aſſequi, & non pergat ad vlteriora, niſi prioribus benè intellectis, & poſtquam ſibi viſus fuerit intellexiſſe, ruminet ſecum quaſi conferens, quibus ſtuduerit, quia ita firmius hærebunt menti. Porro quando legeris hunc terminum moralis, vel moraliter, actio moralis, intellige actionem pro-

procedentem ab intellectu humano, cum scientia, & eius deliberatione, tam acceptante, quam respuente, vt includatur actus omissionis. Nauar. *prælud. 6. n. 2.*

8. Habetur bona cognitio scientiæ scandali, quia ea ex cognitione, quãdo sint dimittenda bona spiritualia, vel temporalia propter scandalum patet decisio infinitarum rerum emergentium, & afferentium magnam perplexitatem.

9. Inter studendum vtere diligentia, non solum versando titulos qui videntur necessarij, sed & alios forte apparentes non necessarios, puta in Sylvestro Cautio, conclusio, compromissum, & similes; quia inuenies ibi plura resolutorie decisa, quæ alibi sunt inuoluta magna, & obscura disputatione.

10. In singulis materijs formes tibi regulas expedientes in sua praxi casum, cui studueris, modo pro viribus faciliori, quia & tibi, & alijs ista proderunt.

11. Omnibus bene studeas, sed potissimum administrationi Sacramentorum, & restitutioni. Si quis vero adeptus fuerit curam, videat vt informationem ingeniorum suæ plebis, & casuum, qui ibi maxime occurrunt, resolutionem præ manibus exactam habeat. In incertis quæ postea emergunt, facile dubitet, resolutionem suspendat, quo ad perfectius studuerit, vel ad peritiorem remittat.

Sed quia in hoc spatio campo Theologiæ positiuæ, seu casuum conscientiæ, raro datur res, quæ non subiacet varijs opinionibus, ac quidem sæpe contrarijs, magnum pondus habebit

prudens opinionum delectus, Pro quo notandum.

12 Opinionem communem esse magni momenti, & ab ea non esse facilè recedendum; sed nec esse immutabilem: nam, verbi gratia; Nunc aliqua opinio est alia ab ea in re aliqua, quam quæ olim fuit; iam vero sit communis, quæ pro tali habetur. Cum vero audis opinionem communem, intellige communẽ in Theologia, quam Theologi sequuntur, & communem in iure quam Iutis Doctores sequuntur. Azor *Institut. 1. par. lib. 2. cap.* 13.

13. Communis opinio est quam sequuntur sex, vel septem Auctores Classici. Nauarr. *c. 27. num 289.* & addit, si in eadem re fuerint hinc inde octo, vel decem Auctores graues cum iudicio opinantes, posse vtramque opinionem vocari communem: Azor vero ibi, vocat communem, quam sex, vel septem tractantes, ex his quinque conueniunt, & tunc vult hos quinque facere opinionem communem.

14. Porrò nec opinio, ex eo quod sit communis, est præferenda, sed ea quæ nec comprobatur maiore, subtiliore, ac fortiore ratione. Azor. *ibi.*

15. Concurrentibus varijs opinionibus contrarijs potest eligi, quæ libuerit, dum modo opinio electa sit absque formidine, & dubio de contrario. Azor. *Inst. 1. p. lib. 2. c. 16. quæst. 2.* Addeiudicetur tuto posse eligi, (vt vere tuto potest, etiamsi contrariam habeat veram) quia inter duas opiniones contrarias libera est electio & dummodo non sit contraria manifestè verbis fidei

quia

quia tunc non potest nec debet eligi. Verbi gratia: Concil. Trident. sess. 14. can. 1. habetur Extremam Vnctionem institutam à Christo Domino: ideo sententia asserentium institutam auctoritate Christi, & Spiritus sancti instinctu, & affatu Apostolorum, est refellenda: citantur auctores istius sententiæ ab Azor. *Instit. 1. lib. 2. c. 9. præceptione 1.* At si Doctores, alioquin sancti, vnquam tenuerunt opinionem, quæ nunc sit contra determinationem Ecclesiæ, non peccarunt; quia nondum Ecclesia determinauerat; Quæ si determinasset sanè consensissent.

16. Quod si opiniones sunt æquè tutæ, possumus eligere etiam minus tutam: Et si quæ minus tuta est, etiam habeatur minus probabilis, poterit nihilominus eligi. Azor. *lib. d. cap. 16. quæst. 2.*

17. Et si opinio sit vnius tantum Classici Auctoris, & contra communem, potest nihilominus teneri. Immo vir bonus, & doctus potest sequi suam opinionem, si sit rationabilis, etiam contra communem. Azor. *lib. dicto, c. 17.*

18. Rudis vero hoc non potest: quia cum electio debeat fieri prudenter, per rudem prudenter nequit fieri *Item ibi q. 5.*

19. Discipulus etiam potest sequi opinionem sui Magistri, licet non classici, puta scripta Doctoris, vel opinionem periti: quia rationabiliter operatur. Azor. *cap. dicto, q. 4.*

20. Porro quando dicitur sequendam opinionem probabilem, sciendum est in moralibus sufficere probabilitatem; Ideo non est necessaria maior certitudo, nec euidentia. Sot. *dist. 27.*

quæst.1.art.3.dub.p. Silueſt. *ſcrupul. quæſt.5.notab.5.* Azor *cap.dicto quæſt.2.*

21. Quod vero dicitur in dubio tutiorem partem eligendam, intelligitur, cum vere dubitatur de contrario, quia alias eligens exponeret ſe periculo peccandi, quod non licet: ſi tamen opinio ſit ſine dubio de contrario, vel ſaltem cum hoc, quod liceat vnam opinionem eligere, licet & habeat contrariam pro vera, vtralibet eligi poterit. Azor. *lib.dicto, cap. 16. quæſt.2.in fin. & cap.12.qu. in fine ad obiecta.* Quod vero aliqui diſtinguant, ante factum tenendam opinionem tutiorem, poſt factum vero ſufficere tutam, præterquam in cenſuris. Tu dic, iuxta prædicta, & ante, & poſt ſufficere tutam, quia rationabiliter agitur, quod prudenter agitur.

22. Inter opiniones, in quibus agitur de pœna ſiue temporali, ſiue ſpirituali; puta excommunicatione & ſimilibus, benignior eſt eligenda. Azor *loc.d.c.1.* niſi quando leges contrarium explicant. *Idem ibi.* Angel. *conſ.4.q.2* Silu. *conſeſſ.3.4.10.* Idem tenendum eſt in cauſa matrimonij.

Nota tamen in eligenda opinione, ne imprudenter eligas & deludaris; quia ſunt aliquæ opiniones deductæ ex vno fundamento, quæ ſunt mitiores, quas ſi elegeris, & tenueris fundamentum contrarium, eris ludibrio.

23. Conſuetudo tollit omnem legem poſitiuam, ſiue Eccleſiaſticam, ſiue ſecularem, & tunc conſuetudo cenſetur approbata contra legem ſecularem, quando eſt confirmata tacito quodam conſenſu totius populi, vel maioris partis.

Cen-

Censetur autem approbata contra legem Ecclesiasticam, quando est confirmata tacito consensu Prælati, qui possit abrogare legem. In Constitutionibus enim Ecclesiasticis semper Doctores requirunt scientiam, & tolerantiam Prælatorum. Ita omnes. Lessius *lib. 2. cap. 6. dub. 14. num. 45. de Iust.* Et vbicunque superius inueneris hanc phrasim, consuetudo legitima, intellige consuetudinem secundùm præcedentem declarationem. Non est autem necesse videre, an consuetudo sit rationabiliter introducta, sufficit enim quod ita fiat. Caiet. *22. quæst. 122. art. 6. in resp. 6. casus.* Ex hoc capite infinita deduntur contra omnes leges positiuas. Consuetudo tamen contra legem naturalem, aut diuinam non potest introduci. *Omnes.* Azor. *1. par. lib. 2. cap. 10. Instit.*

24. Cauendum tamen in iudicando, ne feratur iudicium contra consuetudinem communem etiamsi videatur corruptela, & libri aperte contrarium dicant, sed prius diligenter res expendenda, quia possibile est, quod communiter fit, valide fiat; exemplum sit, de venditione ad creditum, siue ad tempus vltra pretium currens certarum generum mercium alicubi solita. Igitur ne sis præceps in condemnatione, etiamsi multi Doctores, contractũ hunc damnent, quia non desunt, qui excusent. Ideo, quotiescunque iudicium inuoluit præiudicium tertij, non feratur, nisi re bene expensa.

25. Paruitas rei in omni materia excusat. Excipiunt omnes iuramentum assertorium cum mendacio. Aliqui etiam volunt excusare iura-

mentũ promissorium de re leui, aliqui negant: vnde Nauar. *cap.12.num.10.*

26. Probabilem videtur excusari à mortali.

Excipiunt alij mendacium in confessione, & iudicio. Caiet. *Confessio sub Fidelis, & 22.qu.89. art.7.* Sed impugnatur à Sot. *de Iust. lib.8.quæst. 1.art.7.post 6. conclusio.* Nauar. *vbi supra.* Azor. *Inst. par. lib.5.c.28. parum vltra medium,* & vocat hanc communem.

Alij excipiunt peccatum factum ex contemptu, quod quidam concedunt esse mortale, cum est de re magna, & veniale cum est de re parua.

Alij addunt peccatum factum contra conscientiam, quod dicitur per conscientiam erroneam, iuxta illud Apostoli ad Roman. 14. *Quidquid non est ex fide, est peccatum.*

Azor tamen *Inst.p.p.lib.2.c.8.q.5.* vult, paruitatem excusare à mortali. Lopez etiam *in Instruct.c.1.* non meminit inter excepta, nisi de iuramento, & contemptu. At omnes Doctores contrarium tenent, vt ait Siluest. *conscientia q.2.*

Alij addunt minimum in Venereis, non excusari à mortali; ita Lessius *de Iust. lib.4.dub.8. num.58.* Rebell. *de obligat. de matr. lib.3.qu.19. sect.3.* vbi multis hoc probat.

27. Ignorantia inculpabilis semper excusat à peccato, hoc modo, si sit iuris naturalis, quod est ex se clarum, puta, quod tibi non vis, alteri ne feceris; bonum sequendum; malum fugiendum; ignorantia in his neminem cum in nullo homine detur; est enim horum cognitio naturalis. Ignorantia verò Iuris naturalis, quod ex dicto colligitur, & facile noscitur, qualia sunt præ-

cepta

cepta Decalogi, potest dari ad breue tempus, & data ab omni peccato excusat. Azor. *Inst. 1. par. lib. 1 c,13.* licet alij negent. Ratio Azor. est, quia iusta ignorantia facit inuoluntarium, quod à peccato excusat.

Ignorantia vero iuris positiui inculpabilis semper excusat. *Omnes.* licet sæpe apud homines puniatur.

Ignorantia etiam Iuris diuini inculpata etiam necessariorum ad salutem excusat à peccato propter eandem rationem. Azor *ibi.* licet aliqui negent.

28. Inconsideratio, & obliuio inculpatæ excusant ab omni peccato, quia faciunt inuoluntarium. Az. *loc. dicto. c. 16. q. 3. & 4.* Caiet. *Inconsideratio.* Armil. *Inconsid.* quia reminiscentia etiam eorum, quæ scimus, non est in potestate nostra.

29. Pœnæ non debentur nisi post condemnationem, nisi pœnæ trahant secum executionem, quod euenit in pœnis Ecclesiasticis, vt excõmunicatione, suspensione, & irregularitate. Caiet. *22. q. 62. art. 3.* Silvest. *Lex. q. 9. not. 7. pœna q. 25. hæresis q. 8.* Sot. *de Iustitia lib. 1. qu. 6. art. 6. ad 8. dubium.* Nauar. *c. 23. num. 66. & 67.*

Aliqui addunt deberi etiam ante condemnationem pœnas Ecclesiasticas, vt priuationem beneficij, officij, vel alterius commodi: Alij negant. Citantur ab Azor. *Inst. lib. 2, c. 11. versus finem.*

Alij addunt, quod quando additur in lege, Quod pœnę soluantur absque condemnatione, statim debeantur. Ita Silu. Assassinus *q. 5.* Armil. *eodem verbo, §. 2* Azor *Inst. prima parte, lib. 5. c. 7.*

quæst.6. Idem videtur tenere. Tu tene nullam pœnam, excepta spirituali Ecclesiastica, puta excommunicatione, & similibus deberi ante condemnationem, ita primo citati. Ratio est, *quia* consuetudo quæ est optima legum interpres, ita declarat, & nullum videas, etiam probum, non condemnatum luere pœnam. Idem & etiam de pœnis conuentionalibus. Azor. *1. parte, lib.5. cap 8. quæst.7.*

30. Porro nota differentia inter pactum, & pœnam: nam pœna non obligat, nisi vt est dictum, pactum vero obligat cũ primum id transgressus fuerit. Silu. *pactum per totum.*

31. Necessitas non habet legem, sed ipsa sibi legem facit. Ideo necessitate infinita excusantur, quæ alias licita non essent.

Impossibilitas semper excusat. Impossibile autem est duplex. Primum quod nullo modo fieri potest; vt hominem volare. Secundum, quod quidem fieri potest, sed cum magna difficultate, quod leges vocant impossibile. Vt autem istud impossibile excuset, debet esse quod honeste, & commode fieri possit. Silues. *facere & impossibile.* Honestum vero est, ac honorato vulgari idiomate, *& honorata mente*, quod est citra verecundiam. Silues. honestas. Commode autem dicitur aliquid fieri posse, cum potest fieri salua omni alia re necessaria faciendâ; verbi gratia: quis pro Deo debet facere totũ quod potest, tunc recte satisfit muneri suo, si omnia illi necessaria potius vacauerit, puta somno, negotijs, & similibus perficiendis, reliqua vero Deo persoluerit, ita Silu. *facere.* Et ex hoc capi-

re re-

te resoluunt omnia, quæ requirunt à nobis, vt facimus possibile. Vide Victorellum de extrema Vnctione, cũ citatis ibi, de excusato metu mortis comminatæ, dum est excommunicatus, & debet vnctionem ministrare.

32. Præcepta seu leges positiuæ, etiam Ecclesiasticæ an obligant cum damno vitæ, salutis, honoris, & magnæ iacturæ bonorum. Silu. *lex quæst. 8. versus finem, & Interpretatio quæst. 1.* quia talis videtur esse mens legislatoris, ex Nauar. *prælud. num. 12. & omnes.* Si tamen leges positiuæ secum inuoluunt legem naturalem vel diuinam, tunc obligant cum quantouis damno secuturo ratio est, quia lex naturalis, & diuina est de re naturali, & necessaria ad salutem, quia est participatio legis æternæ, lex vero positiua non est de necessarijs ad salutem, nisi inquantum præcipiuntur, non autem ex sua natura. Ex hoc infinita resoluuntur.

33. In legibus, si intentio legislatoris sit contraria verbis legis, quilibet potest interpretari secundum sensum legislatoris, in necessitate subito occurrente, interpretando secundum, quod poscit iustitia, ratio, & communis vtilitas S. Thomæ: *par. 2. quæst. 6. art. 6.* Silues. *scrup. qu. 3. num. 6. dispens. qu. 4.* Azor *Inst. parte 1. lib. 5. cap. 16. qu. 16.* Et hoc intellige in omni lege positiua, & etiam in Diuina, quia Deus non intendit obligare ad hoc, quod aliquis appareat fatuus, & ridiculosus saltem apud discretos, & bonos, Silu. *scrup. qu. 3. not. 3.* Et interpretari potest non solum pro se, sed etiam pro alio: quia quod rationabiliter fit, absque peccato fit, & ita

Doctores ad aliorum vtilitatem multa interpretantur. Et si interpretatione quis per Epicharam erret, non curandum quia non peccauit: rationabiliter enim egit. Silueſt. *ibi q. 4. not. 7.*

34. Si in facto concurrant multæ leges, *puta*, naturalis & poſitiua, vel aliquæ earum, & ſibi videantur aduerſari, ſtandum eſt lege naturali. Sot. *de Iuſt. lib 3. quæſt 4. art. 3. ad 1. argum.* nam omnes leges pendent à naturali: nihil enim aliud ſunt, quam rectum dictamen rationis, quod eſt lex naturalis: deinde naturalis pendet à diuina tanquam à fonte. Sot. *de Iuſt. lib. p. quæſt. 3. art. 1. concl. 2. candelab. de lege canonica num. 64. & omnes.*

35. In omni reſtitutione ad eam ſolus tenetur, qui peccauit contra iuſtitiam in damnũ tertij, quia peccans contra charitatem non tenetur reſtituere. Sot. *de Iuſt. lib. 4. q. 6. art. 3.* Nauarr. *c. 17. num. 70.* Tolet. *Inſtit. lib. 5. c. 19. num. 2.* Innuit S. Thom. 12. *num. 62. art. 7. ad 3.*

Sed à reſtitutione multa excuſant.

36. Bona fides, quæ excuſat à peccato, & reſtitutione. Silueſt. *reſt. 3. q. 7. not. 3.* Tol. *Inſt. lib. 5. c. 26. num. 9.* Et ſuperueniente mala fide tenetur, in quantum factum eſt locupletior: quod aliqui interpretantur: *In quanto ha auanzato del ſuo*, vt dicamus vulgariter. Ideo ſi in nihilo factus ſit locupletior, ad nihil tenetur. Ex hoc capite excuſatur Doctor & Confeſſarius, qui credens bene agere, male conſuluit in damnum tertij. Et decidunturalij, infiniti caſus.

Præſcripto, de qua vide Silueſt. *præſcripto. q. 5.* Tol. *Inſtitut. lib. 5. cap. 26. num. 5. & ſeq.* Lopez

Inſt.

Instit. parte 1. cap. 133. Præscriptio autem finitur secundum varium modum locorum: Communiter mobilia præscribuntur triennio, quod alij vocant Vsucapere. Vide leges loci, & secundum eas iudica.

Impossibilitas de qua supra. Si vero velis videre, an ista impossibilitas fuerit legitima eam *in* confessione alleganti, ita agas. Verbi gratia: Petrus anno elapso restituere debebat septem, non restituit, interrogatus à Confessario, respondit, non potuisse: tu interroga, an toto illo anno aliqua effuderit in ludo, luxu, vel alijs vanitatibus, si hoc affirmat, non credas fuisse impotentem, ideo reddere difficilem in absolutione, vt ille cogatur ad restitutionem.

Damnum rerum altioris ordinis. Pro quo nota omnia bona esse, aut animæ, aut corporis, aut famæ, & honoris, aut fortunarum, & quæ primo numerantur sunt altioris ordinis. Igitur nemo tenetur restituere bona inferioris ordinis, cum iactura bonorum superioris ordinis. Ita Caietan. citatus à Nauarr. *cap. 18, num. 47.* licet Sot. *de Iust. lib. 4. quæst. 6. art. 3.* Lopez (licet aliquatenus dissentiat) *Inst. part. 1. c. 116.* Tol. *Inst. lib. 5. cap. 127.* non admittant sic in vniuersum, sed faciant aliquas exceptiones. Sed quia prima opinio est bonorum auctorum, potes eam tenere.

Dubium in restitutione excusat; quia in dubio potior est conditio possidentis. Silvest. *restit. 3. q. 7. not. 2.*

37. Excommunicatio nunquam incurritur, nisi pro mortali, ita vt id quod agitur sit de mor-

tali, vel si est res venialis ex sua natura, sit mortalis, quia præcepta. Silvest. *excom. p. sciendum. 3. versus finem.* Ideo, qui erit securus non peccasse mortaliter, erit etiam tutus se excommunicatione non affici. Et si quis faciat rem *vel illicitam*, vel illicitam habens adnexam excommunicationem, sed hoc ignoret non incurrit eam. Tol. *Instit. lib. p. cap. 9. nu. 11. cum citatis. ib. iuxta dicta supra de ignorantia.*

Excusant etiam ab excommunicatione omnia quæ excusant à peccato, vt necessitas, impossibilitas, & alia dicta: quia sine mortali non incurritur, & omnia dicta à mortali excusant.

38. Irregularitas ea sola est, quæ in iure exprimitur, & ideo non debent ad eam trahi casus similes, aut etiam habentes maiorem causam. Tol. *Inst, lib. 1. c. 52. n. 7. & communis.*

39. Vsura semper est peccatum concurrentibus tribus. Primo mutuo: Intellige verò, vel palliato, id est, alio nomine cooperto. Secundo: Lucro principaliter intento, pro lucro intellige aliquid vltra mutuatum, quidquid sit, dummodo res sit quæ vendi possit. Tertio: Pacto. Et concurrentibus dictis tribus est vsura formalis: concurrentibus vero solo mutuo, & lucro dicitur vsura mentalis. Silvest. *vsura p. à principio.* Nau. *cap. 17. num. 206.* Tol. *Instit. lib. 3, cap. 28.*

40. In hac materia ante factum melius est tenere, inter opiniones rigidiorem, quia alias faciliter declinatur in extremum in hoc vitio: Sed & si quis mitiorem sequeretur, non peccaret, vt est dictum de delectu opinionis. Eodem modo melius

melius est tenere rigidiorem in Venereis, propter eandem rationem. Et opiniones, ex quibus eripitur ansa peccandi, non sunt propalandæ, maximè in publico, puta quod in necessitate furari liceat, & similes, quia inde improbi accipiunt ansam peccandi.

41. Vbi in aliqua re requiritur intentio, sufficit eam habuisse actu, actualiter à principio actus, cui est necessaria, licet in processu actus non adsit; non facit vt actus desinat esse melior, vel peior. Dicitur vero intentio actualis durare virtualiter in actu ex ea inchoato, donec actu contrario reuocetur, ita; Expresse habuisti talem intentionem in hoc actu inchoando, dum dum expresse eam non reuoces. Ex hoc capite innumera resoluuntur præcipue de administratione Sacramentorum.

42. Episcopus dispensat in omnibus irregularitatibus & suspensionibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, & absoluit ab omnibus excommunicationibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis occultis, in sua diœcesi, per se, vel per Vicarium delinquentes quoscunq; suos subditos, & hoc gratis, in foro conscientiæ. In omnibus vero casibus Bullę cœnæ Domini non absoluit, non obstante quod aliqui affirment, licet Concil. Trid. *sess. 24. c. 6. de reformat.* concedat in hæresi occulta, quia in dicta Bulla, per ista ver. ba: Non obstante clausula Concilij, reuocatur talis facultas. Ita stylus Curiæ. Azor *Instit. parte prima, lib. 8. cap. 10. quæst. 10.* Tolet. *Institut. libro*

parte, cap. 64. num. 7. not. 10. gloss. marginalis. item cap. 42. num. 13. Et ita tenendum. Ideo si Curato veniat aliquis casus includibilis indictis, noscat adhibere facile remedium per Episcopū, & non vexare pœnitentem mittendo Romam. Eodem modo agas, si occurrat casus in dispensatione, aut commutatione voti, in quibus Episcopi sæpe possunt, etiam si sint reseruati Papæ, vt notat Silues. *absolut. 4. not. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 89.*

43. Et in casibus, in quibus Episcopus potest absoluere, Curatus faciat sibi dari talem facultatem pro illa vice, vt cum maiori facilitate, & amabiliter pœnitentis gerat negotium, quod facile Episcopus concedet.

44. Iuramento pacta firmantur, dummodo non sit contra legem naturalem.

Ex hoc capite volunt Doctores aliqui quod mulier, quæ non potest fide iubere, si pro marito fide iusserit, teneatur saluare, propter iuramentum solitum apponi in contractu, etiamsi leges reddunt eam immunem, ita vt non possit vel fideiubere, vel si fideiusserit, non possit cogi ad soluendum iurata. Azor. *Instit. p. 1. lib. 11. c. 7. regula 4.* Silu. *iuram. 4. quæst. 16.*

Addicendum: Si forum exterius non cogit ad soluendum, non teneri forte, quia hoc est ex fide iubere per metum reuerentialem, etiam leuem, sufficientem tamen, ne tale iuramentum obliget. Sic viri periti Romæ respouderunt, & sic in illo foro practicatur.

Si tamen velis eam obligari? Lopez *de contractibus lib. 2. cap. 17.* consulet petendam esse re-

laxa-

laxationem à iuramento, & tunc non obligabitur, & ita magna molestia liberabis multas fœminas, quæ in hoc impingunt, metu, ne mariti male accipiant, aut eas male tractent, si non fideiusserint.

43. Non tamen credas, omnia, quæ practicantur in foro exteriori, valida esse in foro conscientiæ, puta, qui adita hæreditate, non fecit inuentarium tenetur ad debita, vltra vires hæreditatis, quia iste in conscientia non tenetur. Et huius generis sunt multa. Silues. *hæreditas tertia quæst. quinta.* Si tamen quis ita practicaret, & creditor compelleret debitorem vltra vires hæreditatis, posset habitum in conscientia sibi retinere: quia censetur valide fieri, quod fit iuridice, & qui sequitur opinionem periti, vt est in casu, in conscientia est tutus, vt est dictum de delectu opinionis.

46. Bona fides semper à peccato excusat: ratio est, quia facit inuoluntarium, quod semper excusat à peccato. Ad hanc reducitur, seu potius est res faciens bonam fidem.

47. Crudelitas inculpata, quæ est, cum qui agere debet, vere potest, sed vere credit se non posse: tunc enim excusat ab omni peccato propter eandem rationem. Ex quo infinita etiam resoluuntur. Tamen ita à Confessario practicandum. Alleganti bonam fidem super præterita credat cum regula dicta supra numero trigesimo sexto, super futura verò non credat, nisi vero expertus fuerit, quæ bona fide credit, ita esse vt credit. V. gratia: Quis confiterur se non ieiunasse die præscripto ab Ecclesia, & affert pro

cau-

causa excusante, quod crederet se verè non posse: credet Confessarius pro ieiunio transacto, sed non admittat pro futuro; nisi experiatur prius, quæ verè possit præstare. Sed & si vellet hunc absoluere absque tali experientia non malè ageret, sufficiet enim credulitas ad excusandum à peccato. Nunquam tamen ad hanc experientiam remittat eum, quem verisimile est non acquieturum dicto: ne dum alias non peccat, cogat peccare per illam conscientiam erroneam.

48. In omnibus contractibus, qui dicentur bonæ fidei, vt est emptio, venditio, locatio, conductio, mandatum, depositum, societas, pignus, commodatum, & permutatio; si interuenerit dolus, non obligant in conscientia, omnes vero alij contractus obligant quoad fuerint per iudicem dissoluti. Silu. *contract. q. 2.* Ang. *contract.*

Omnes contractus, qui requirunt liberum consensum, facti per metum, non tenent. vide Silues. *metus quæst. 8.* Azor addit illis, sponsalia metu facta, & cum quis detruditur, vel detinetur in carcere omnis promissio in fauorem detinentis, vel detrudentis facta, metu cadente in constantem, non valere. Item omnis donatio. Porro contractus illi, qui metu fiunt, & non valent, rescinduntur, vel exceptione, quod est dicere metu factos, vel officio iudicis. Azor. *Inst. parte 1. lib. 9. cap. 11. qu. 17.* Sed si quid per dictos contractus acceptum fuerit, in conscientia non est restituendum, nisi quod acceptum est per donationem metu factam. Idem ibi. Alij vero contractus metu facti, siue metus sit causa impellens,

pellens, siue sit causa finalis valent in conscientia. Azor. *ibi.* Lopez verò *Instr. parte 1. cap. 96.* cum Adriano, tenet contractus metu factos, etiamsi principalis contractus, non obligare in conscientia, sed solum in foro exteriori.

49. Nullum peccatum est peccatum nisi sit voluntarium. Voluntarium verò est, quod fit nec vi, nec ignorantia. Azor *Instit. parte 1. lib. 1. cap. 3. quæst. 1.* Sed voluntarium est duplex, directum, & indirectum. Directum est, de quo est sermo: Indirectum est, cum facere debemus, & possumus, & non facimus. S. Thom. *part. 2. q. 6. art. 3.* Silvest. *voluntarium.* Nauarr. *prælud. 6.* Tol. *Inst. lib. p. c. 72.* vbi de isto vltimo dat exemplum, de illo qui multum vini bibit, non quidem volens inebriari, qui si inebriatus fuerit, ebrietas erit illi voluntaria. Igitur peccatum debet esse voluntarium altero istorum modorum, & debet esse liberum, hoc est, non inuitum, sed spontaneum. Azor *lib. dicto cap. 1. qu. 4.* Dicitur, liberum, quia si in peccato fuerint afferentia impedimentum, dummodo non impediat omnino, (an vero detur aliqua vis omnino impediens voluntarium, dic quod non) Az. *lib. p. c. 9.* qualia sunt metus, passio, nihilominus voluntarium efficiunt. Azor *loco dicto cap. 10. & 17.* licet multum voluntatem moueant, & de voluntario minuant. *Idem ibi. cap. 17. per totum.* Sed nota, quod de ratione voluntarij est, vt sit sine ignorantia: voluntas enim non fertur nisi in cognitum: ideo erit cum scientia. At cum qua scientia? Nauar. *prælud. 9. n. 9.* Lopez *Instruct. parte prima cap. 3.* dicunt cum scientia quod sit peccatum.

tum mortale, deducitur etiam ex Viguerio *Instruct. Theolog. cap. 3. §. 4. de voluntario.* Azor vero *parte prima, lib. 4. cap. 1. quæst. 4* vult ad constituendum mortale, quod, qui peccat, sciat id quod agit esse contra rationem, & legem *in re* graui. At ista sunt magnæ speculationis; quia etiam veniale est contra rationem, & legem licet in re parua. Sed quomodo rudis cognoscet de grauitate: *Vide an* Nauarr. & Azor *in substantia idem dicant.* Ex dictis prudens sciet, quale voluntarium constituat peccatum.

10. Vbi non interuenit culpa, non debetur pœna, non solum de pœna spirituali, vt excommunicatione & similibus, sed nec etiam de temporali. Porro culpa non obligat in conscientia, nisi interueniat dolus, & lata culpa. Dolus est cum voluntate nocendi: lata culpa est non vti ea diligentia, qua communiter homines eiusdem professionis vtuntur, puta lata culpa est ignorare quod communiter scitur; licet in foro contentioso detur actio pro omnibus aliis culpis. Sil. *culpæ quæst. 1.* ratio est, quia dolus, & lata culpa faciunt voluntarium, & aliæ culpæ non item.

§1. Peccata specie differunt vel numero.

Peccat cogitationis differunt primo ex diuersitate obiecti, seu materiæ specie distincta, etiamsi sit nisi vnicus actus voluntatis, vt velle occidere ad furandum sunt duo peccata numero & specie distincta.

Secundo ex obiecto, & fine, & ratione diuersis, vt velle furari ad donandum pro peccato.

Ter-

Tertio. Quando in eodem obiecto sunt duæ grauitates contra rectam rationem, vt furari rem sacram: quia furari est vnum, & rem sacram aliud peccatum, id sacrilegium. Et eodem modo quo multiplicantur specie, multiplicantur etiam numero.

§2. An vero peccata cogitationis multiplicantur interruptione temporis sunt duæ sententiæ.

Prima affirmat multiplicari, puta, Petrus vult occidere Ioannem, dormit, vadit, & alia multa agit, toties peccat, quoties cogitat de occidendo. Silu. *peccatum. quæst. 2.* Armil. *peccatum. §. 4* Tab. *peccatum, p. quæst. 8.* Sic etiam videtur tenere Nauarrus *cap. 6. num* 18. de insequente mulierem. Sed ibi loquitur de opere, seu peccato externo.

Secunda sententia ait, multiplicari, quando sunt per contrarium actum interrupta, & postea reassumuntur: vt qui vult furari deinde determinat nolle, & postea iterum deinde determinat velle, tunc quoties determinat, toties peccat. Caier. *opusc. tom. p. tract. 31. qui est resp.* 15. Nauar. *c. 6. num.* 16. vbi proprie loquitur de peccato interno. Azor *Inst. parte* 1. *lib. 4. c. 4. quæst. 4.* de Graff. *parte* 1. *c. 20. n.* 11. Lopez *Instit. c.* 31 *q. 4.* Si vero interruptio fiat naturaliter, puta dormiendo, loquendo, aut similia agendo, non multiplicari peccatū, sic declarat Lopez ibi; Azor vero conciliat dictos auctores ita: peccata, quæ in voluntate perficiuntur, cursu temporis multiplicari cum iterantur; sic est hæresis, odium, & similia. *Idem* Nauarr. *ibi.* Peccata vero, quæ complen-

plentur omissione, vel facto, tunc solum esse vnicum peccatum, cum omittitur, vel fit ipsum peccatum; licet sæpius cogitatio interrumpatur.

53. Peccata oris distinguuntur specie, & multiplicantur numero, quoties sermo fertur ad obiecta diuersa, vt appellare furem, hæreticum, sunt duo peccata, quia duo obiecta. Azor. *c. dicto quæst. 5.* quod videtur contra Nauar. *cap 6. n. 18.* qui ait non augeri numero conuicia, eo quod alterum quis ter appellet furem, aut ter deieret, nec eo quod plura maledicta simul in plures conijciat, vt blasphemando duodecim Apostolos. Azor autem distinguit; esse vnicum peccatum vocare furem ter continuo sermone, sic vna est rixa percutere ter, aut quater vnum.

54. Peccata operis, seu quæ opere perficiuntur sunt plura specie, & numero.

Primo. Quando habent obiecta specie diuersa, vt adulterium, furtum.

Secundo. Quando habent vnicũ obiectum, sed habent plures prauitates specie distinctas, vt furtum rei sacræ.

Tertio. Quando habent obiectum fine, & specie diuersum, vt occidere ad furandum.

Quarto. Quando habent obiecta differentia, vt occidere duos homines vno telo.

Quinto. Tot sunt peccata quot actus, quando peccatum actu consummatur, vt binus congressus cum muliere est duplex peccatum. Azor *parte prima, lib 4. cap. 4. quæst. 6.* licet aliqui negent, & velint esse vnum, quando assumuntur pro vnico fine.

Pec-

Peccata hoc modo ſunt alia alijs grauiora.

55. Primo quæ ſunt contra Deum, ſunt grauiora his, quæ ſunt contra proximum: Et grauiora, quæ ſunt contra præcepta primæ tabulæ his, quę ſunt contra præcepta ſecundæ tabulæ. S. Thom. *prima ſecundæ quæſt. 73. art. 4.* Azor *Inſt. parte 1. lib. 4. cap. 19. quæſt. 3.*

Secundo grauiora ſunt, quæ ſunt contraria maiori virtuti, cæteris paribus; poteſt enim fieri, vt aliqua ſint contraria maiori virtuti, ſed ſint minora alijs, quæ ſunt contraria minori virtuti, puta, iuſtitia caſtitate eſt maior, & tamen fornicatio, quæ eſt contra caſtitatem, ratione ſobolis, & bono prolis, eſt maior furto, quod eſt contra iuſtitiam. S. Thom. *quæſt. dicta, art 4.* Azor *ibi quæſt. 4.*

Tertio grauiora ſunt, quæ maius damnum cauſant intentum, vel præuiſum, quia ſi non ſit nec intentum, nec præuiſum, non augent peccatum, vel ſi non ſit intentum nec præuiſum, tamen ex peccato ſequitur, quia tunc illud grauat. S. Thom. *quæſt. dicta, art. 8.* Azor *ibi qu. 4. & cap. 20. q. 1.*

Quarto quæ proficiſcuntur ex maiori cauſa, cæteris paribus: puta, maius eſt peccatum ad deliberatum, peccato per ignorantiam. S. Thomas *ibid. art. 6.* Az. *ibi. q. 5.*

Quinto quæ fiunt peioris finis gratia. Azor *ibi. q. 5.*

Sexto quæ habent circumſtantias deteriores, vel numero plures. S. Thom. *ibi art. 7.* Azor *ibi. quæſt. 6.*

Ex quibus infinita decides, quando, & quomodo

modo sit pensanda grauitas peccatorum, maximè concurrentibus duobus malis, vt valeas minus eligere.

A. VICTORELLI
AD CAPVT XV. NOTÆ.

MVltis placet, (& merito) liber paruus sed succi plenus Emmanuelis Sà, Aphorismi Confessariorum inscriptus; in quem nonnullas edidi Notas; & Doctorum loca indicaui Summam Emanuelis Rodriquez, & Institutionem Sacerdotum Petri de Soto quidam parocho tenere manibus, cum fructu consuescere.

APPENDIX.

PArocho non indocto suaderem; vt multis, ijsque egregijs, moralis Theologiæ libris Bibliothecam suam instrueret; non vt omnes inutili euoluat curiositate, sed vt, dum sese offert occasio, res diligenter pertractatas legere, varias Doctorum sententias, explicatasque rationes inspicere, & quod in vno Auctore non inuenit, in alio reperiri possit.

Proponetur interdum moralis aliqua dubitatio, quæ ingenium torquebit pro cuiusque explicatione plures, fortasse, libri desiderabuntur. Summa S. Thomæ eximiam continet eruditionem, eximiam afferre potest vtilitatem.

Pro doctrina Sacramentorum Parochus non indoctus habere poterit *Francisci Suarez, & Gregorij de Valentia in 3. parte, S. Thom. volumina, & quæ in 4. Sent. scripsit doctiss. Theologus Domin-*

minicus à Soto. Quidam Candelab. Viualdi, Ioseph Anglez volum. in 4. sent. vel Inst. Sac. Pet. de Sot. vti solent.

De Matrimonio.

Petri à Ledesma,
Ferdinandi Rebelli [monumenta.

Thomæ Sanchez, præcipue diligentissimi, & doctissimi viri tria vberrima & vtilissima volumina. Theodori Peltani Theses.

De Contractibus.

Conradus Summenhart, Ludouicus Lopez, Frãciscus Garzias, Ludouicus Molina, Gregorius de Valentia in 2. S. Thom. Leonardus Lessius, Ferdinandus Rebellus.

De Iustitia.

Dominicus à Soto, Dominicus Bannes, Ludouicus Molina, Bartholomæus Salon, Petrus Arragon, Leonardus Lessius, Ferdinandus Rebellus.

De Restitutione.

Adrianus Papa, Ioannes Medina, Petrus Nauarrus, Ludouicus Carbo, & qui de Iustitia tractantes, de hac quoque re scripserunt.

De Censuris.

Felicianus Episcopus Scalensis, Vgolinus, Stephanus de Auila Societ. IESV Theologus, Gregorius Sayrus diligens scriptor, Franciscus Suarez doctissimus, vbertissimusq; Theologus.

Institutiones Morales eruditi viri Ioannis Azonij, (quæ hactenus editæ tribus continentur tomis) in nulla Parochorum, non penitus indoctorum, bibliotheca desiderandæ, doctæ profecto sunt, & vtiles. Hoc ipsum asseres de moralibus Pauli Comitoli Responsis.

Quæ

Quæ in primam secundæ S. Thomæ Gabriel Vasquez. Ioannes de Salas Soc. Iesv, quæ in hanc & in secundam secundæ Gregorius de Valentia scripserunt, vtilia, & iucunda moralis Theologiæ studioso accident.

Placebit, & proderit in multis, Summa S. Antonini, in quatuor partes distributa, Quæstionarium Theologicum Cordubæ, Gulielmi Parisiensis Aluerni liber de virtutibus & vitijs, & de pœnitentiæ Sacramento, Ioannes Medina de Pœnitentia, Cano, de eadem re. Victoriæ Summa, & quædam Relectiones.

Placebunt, & proderunt multa ex operibus, & consilijs Nauarri; nonnulla ex ijs, quæ insignis Canonum Interpres Didacus Couarruuias, & Doctus Guttierez scriptis mandarunt; necnon quæ Rodriquez in Bullam Cruce signatorum & de Regularibus scripsit.

Non displicebit Clauis Regia Sayri, non Instructorum conscientiæ Ludouici Lopez, non Chapeauille de Casibus reseruatis, non Graffius, non Càrponis liber de legibus, & Summa Summarum, non exiguus moralium dubitationum liber Antonij Cordubensis.

Habeat Parochus non ineruditus, Sacrorum Canonum volumina, Concilium Tridentinum; & si alia Concilia habere nequit, saltem Conciliorum summam; necnon pontificias illas in corpore iuris non insertas constitutiones, quæ animabus iuuandis, regendisque deseruire possunt: aut, quando eas nequeat habere, earum compendium à Stephano Quaranta editum.

Compendium quoque priuilegiorum Paro-

cho

tho vsui erit interdum necnon Martini Aialæ de Apostolicis, & Ecclesiasticis Traditionibus eruditi libri.

Pro praxi pœnitentiæ videre poterit animarum Curator Practicam Ioannis Molani, Directorium Ioannis Polanci, Gasparis Loartij, & Martini Fuloarij libellos de hac re, Valerium Reginaldum de prudentia Confessarij: eiusdemque praxim Fori pœnitentialis in tres partes distributam, ratione Personarum, Actionum & Rerum, Synodum Colonienſem de Sacramento pœnitentiæ, Tractatumque de ratione eiusdem Sacramenti ministrandi, quem in selecta, eaque insigni Antonij Possevini Bibliotheca spicere licebit.

3. Ac de Toleti, &c.] In Toleti Instructionem moralem, septem ab hinc annis. Notæ meæ, (impressorum culpa mendis affectæ) Venetis typis in lucem prodierunt, quas in Gallijs, Belgioque recusas legere licuit.

Ex his multa, meo suppresso nomine, ab Anonymo mutata parum aliquando, & cum alijs (ne fortasse internoscerentur) mixta interdum in Instructionem, ante nonnullos menses Brixiæ, & alibi impressam, translata videre, & agnoscere poteris. Et cornicula sese alienis vestiuit pennis.

13. Classici, &c.] Theologos, Canonici; & Ciuilis Iuris Interpretes, necnon Summarum Scriptores in quatuor classes distinguit, & recenset Azor *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14.

15. Extremam Vnctionem, &c.] Ego quoque de hac re in disputatione edita de Extrema Vnctione pag. 1.

24. De venditione ad creditũ, &c.] Vide, si placet, Sot. *lib. 6. q. 4. art. 1. ad 4. de iust. & iur.* Couar. *lib. 2. var. resol. c. 3. n. 6.* Cordub. *quæst. 84. in Summa.* Rebell. *de oblig. Instit. 2. par. lib. 9. q. 14.* Ludou. Mol. *de Iust. d. 357.* Lessium *lib. 2. de Iust. c. 21. dub. 6.*

26. Iuramentum, &c.] Vide Lessium *lib. 2. c. 42. dub. 5.* Greg. de Val. *disp. 6. q. 7. par. 2. to. 3.*

29. Pœnæ, &c.] Vide Molin. *de Iustit. tract. 2. disp. 95.* Couarr. *in quarto Decret. part. 2. c. 6. §. 2.* Pœna conuentionalis quam debitor, sua culpa incurrit, ante sententiam Iudicis debetur: vi tamen receptum est, vt non offeratur antequam petatur. Couarr. 2. *parte, Epit. cap. 6. §. num. 1.* Rebell. *de oblig. Iust. par. 2. lib. 8. q 9. n. 6.*

42. Gloss. marginalis, &c.] Pro hac sententi nõnullos recensui in notis ad Toleti instructionem: ea Nota ad libri calcem imprimenda fuit ob nonnulla omissa à Typographo, & ob aliud idq; maximum eiusdem erratum. capit. 63. libri primi, eiusdem instructionis, Glossa illa Marginalis ex mea Nota fuit desumpta.

Pro eadẽ vera sententia Suar. *to. 4. disp. 30. sect.*

48. De metu diligentissimè Sanch. *l. 4. de Matrim.* multas pertractat quæstiones. Nonnullas leges apud Azorium *tom. 1. l. 1. Inst. Mor.*

Omnes contractus, &c,] Sanch. *disp. 8. loc. cit.* contractus omnes, præter matrimonium (quod inter fideles est etiam Sacramentum) viri coacti metu celebratos validos esse dicit, sed irritandos. Aduersa sententia, cuius argumenta ab eodem referuntur, & refelluntur, ipso iure eos irritos esse, docet.

De actibus humanis, de illorum bonitate, & malitia, de ratione peccati, de distinctione venialis & mortalis; de differentia, ex obiecto Petrus de Soto diligenter & eruditè *2. part. Inst Sacer.* & Ioan. Azor. *tom. 1. Inst. Moral. lib. 1.* quos legisse te, vt arbitror, non pigebit, aut pœnitebit.

Studeat Parochus diligentissime Diuina artis præceptis; diurna nocturnaq; manu sacros libros verser. Corporum medicus suæ artis libros, morituris corporibus remedia præscribẽtes, assiduè leget; & Parochus, animorum Pastor, & medicus, sacra monumenta animorum semper viuẽtium medicinam indicantia non aspiciet; ô tempora, ô mores, ô cæcitatem summopere deplorandam! Resipisce quisque hactenus desipuisti, & caue, ne animum tuum corporis ergastula relinquentem sempiternus horror excipiat.

Considera quæ Gloss. ad illud Ephes. 4. [alios Pastores] scribit, suis verbis. [Pastor non est, nisi doctrinam habeat, qua gregẽ pascat.] Vnde Petrus Apost. in ordinatione Clementis dixit. [Impietatis crimẽ est, neglectis verbi Dei studijs solicitudines suscipere sæculares.] Vide hoc testimonium apud Mart. Aiala *3. p. de S. Traditionib.*

Deo Patri, & Filio, & Spiritui S. ex quo, per quẽ, & in quo omnia, honor, & gloria, & B. Virgini Mariæ laus, & Sanctis omnibus in sæcula.

Quæ Columna, & Firmamentum Veritatis Sancta Romana Ecclesia non probat; & ego damno & deleo; damnabo & delebo semper.

F I N I S.

DECLARATIONES SACRÆ CONGREG.

CIRCA DECRETA CONCILII *Tridentini de Matrimonio, & Sponsalibus ex sessione 24.*

Consule, legeq; diligenter caput primum Concilij Trid. de reformatione Matrimonij.

De publicatione decreti circa Matrimonium editi à Conc. Trid. sess. 24. Cap. 1.

SECTIO I.

POST dies 30. Decretum Concilij Tridentini irritans matrimonia clandestine contracta, absque licentia proprij Parochi, incipit habere robur post 30. dies à die publicationis ipsius Decreti in Parochiæ factæ: quæ tamen publicatio sic facta post Calendas Maij 1564. iuxta bullam Pij IV. tenet: Sicque duplex tempus concurrere debet vnum post dictas Calendas Maij anni 1594. alterum post 30. dies à publicatione; adeo vt si ante dictas Calendas facta fuisset publicatio, decretum non obligasset matrimonia contracta ante publicationem præteritam Decreti de Reformat. Matrimonij in Parochia contrahentium factam: ideo ante publicationem irrita non sunt, nec irrita declaranda.

2. Ea matrimonia irrita à Concilio Tridentino declarantur, quæ post 30. dies, à die publicationis

tionis decreti in Parochia factæ clandestine contrahuntur.

3. Vbi Concil. Tridentinum nondum publicatum fuit, vel intra 30. dies à die publicationis, matrimonia non sunt irrita.

4. A die primæ publicationis. Hoc decretum reformationis matrimonij ad hoc, vt robur suum accipiat, necesse in Parochijs publicatis; nec eius publicatio in diœcesana synodo facta æquipollet.

5. Publicatio decreti Concilij Tridentini de reformatione matrimonij in Synodo Diœcesana non æquipollet illi publicationi, quam idem Concilium præcipit fieri in singulis Ecclesijs Parochialibus.

6. Si verba hæc, videlicet quod fierent matrimonia præsentibus Parocho, & testibus, alioquin essent irrita, fuerint publicata in parochia, sufficit & æquipollet publicationi totius decreti, quantum ad matrimonij irritationem.

DE DENVNCIATIONIBVS præmittendis.

SECTIO II.

7. PVBLICE denuntietur, denunciationes si omitterentur, per hoc matrimonium irritum non est, seruatis tamen cæteris requisitis.

8. Quibus denuntiationibus factis Concilij Rauennat. 2. fuit approbatum decretum in Congregatione, quod hi, qui peractis denuntiationibus intra quatuor menses nõ contraxerint,

rint, non possint contrahere, nisi iterum peractis denuntiationibus, arbitrio tamen Episcopi.

9. Matrimonium, si antequam fiant publicæ denunciationes, consummatum sit; seu, factis denuntiationibus, consummatum itidem sit, antequam coram Parocho, & testibus celebretur, est verum matrimonium, si postea contractum sit coram Parocho & testibus, & nullum aliud adsit impedimentum. Vbi vero talis est abusus, scilicet, quod matrimonium consummetur antequam factæ sint denunciationes, seu post & antequam contractum sit per verba de præsenti coram Parocho & testibus, est omnino tollendus; & qui id commiserunt, & in posterum committent, puniri debent, non pœna stupri, sed dumtaxat arbitraria.

10. Sponsus, qui sponsam seduxit, & stupravit, non potest puniri ab Episcopo pœna contra stuprum à sacris Canonibus inflicta, prætextu, quod hodie ex hoc decreto Concilij sponsalia post copulam subsecutam non transeunt in vim matrimonij, vt erat ante Conc. sed grauiter arbitrio Ordinarij dumtaxat sunt puniendi ex hoc decreto.

11. Monendi tamen sunt, vt factis sponsalibus, quam primum contrahant matrimonium per verba de præsenti, coram Parocho & testibus; ne sponsi hoc periculum subeant; maximè si ipse à sponsa ante consummationem matrimonij, id petierit.

12. Curare debent Ordinarij, vt sponsi factis sponsalibus, quam primum contrahant matri-

mo-

monium per verba de præsenti coram Parocho, a stupri periculum euitandum.

In regionibus, in quibus factis tribus denunciationibus, sponsi se carnaliter cognoscunt, Episcopi prouidere debent, vt Parochus, vltima denunciatione absoluta, in matrimonio illos habito coniungat, ad stupri periculum euitandum.

13. Si secunda publicatione in Ecclesia facta sequatur copula carnalis, etiam Curato Parocho, vt veniret ad celebrandum matrimonium, non est tamen matrimonium licet mutuus consensus, & mutuæ promissiones interuenerint, instante tamen vna parte alteri ad contrahendum agendum est, *cap. ex literis 2. de sponsal.*

14. In facie Ecclesiæ. In priuatis etiam domibus matrimonia celebrari possunt, dummodo proprius Parochus præsens sit.

15. Qui promiserunt contrahere matrimonium coram Parocho, & testibus, & notario, qui recipit desuper instrumentum, cum iuramento in manibus ipsius Parochi præstito: deinde sequuta est inter eos copula carnalis, nullis factis denunciationibus, sunt puniendi grauiter arbitrio Ordinarij, qui debet, tale matrimonium nullum esse declarare; & si postea voluerint contrahere per verba de præsenti, id eis permittitur, seruatis ex hoc decreto Concilij seruandis, & dummodo nullum aliud impedimentum legitimum adsit. Si alter quoque alterum voluerit cogere ad obseruanda sponsalia iurata, iuxta dispositionem cap. ex literis de sponsalibus, id eis permittitur.

16. Ordinarius non potest prohibere, quin matrimonium domi celebretur, seruata forma Concilij, cum tamen maxime deceret, vt in Ecclesia celebretur, ad hoc hortari debet, non tamen præcipere.

17. Si tot præcesserint denuntiationes. Vbi propter publicas denuncitationes matrimoniũ malitiosè impediri potest, illis omissis coram Parocho, vel alio Sacerdote, vel Episcopi licentia vel tribus testibus adhibitis per verba de præsenti contrahere possunt: quo facto, antequam deueniant ad consummationem, semel, vel bis erunt faciendæ denuntiationes.

18. Vna tantum denunciatio fiat arbitrio Ordinarij, non Parochi,

19. Nisi Ordinarius ipse, Episcopus potest etiam post matrimonium contractum, ante illius consummationem, si ita expedire iudicauerit, secundum prudentiam suam, & iudicium ex aliqua causa, arbitrio suo remittere denuntiationes; etiamsi non sit suspicio, quod matrimonium malitiosè impediatur.

20. Non permittitur hæc facultas Commendatario, licet eius Abbatia iura episcopalia habeat; cuius Abbas appellatione Ordinarij venit, *iux a Gloss. in cap. fin. de Off. Ord. in 6.* dixit enim S. D. N. quod Ordinarius hic non intelligitur, nisi Episcopus: tamen Cardinali Farnesio commendatario Farfensis Monasterij fuit permissum, non autem eius Vicario.

21. Non solum ex causis hic expressis possunt hæ denuntiationes omitti: sed alijs etiam, arbitrio Ordinarij, qui illas remittere potest, etiam

post

post contractum matrimonium, & ante illius consummationem.

22. Vt præteritæ denuntiationes remittantur, Episcopus potest post contractum matrimonium, ante illius consummationem remittere denunciationes; si ita expedire iudicauerit.

23. Præter causas à Concilio hic expressas super omissione denunciationum etiam aliæ sunt sufficientes, secundùm Ordinarij prudentiam & iudicium.

24. Quod in illius prudentia, &c. Et potest Episcopus ex alia causa arbitrio suo remittere denuntiationes, etiamsi non sit suspicio, quod matrimonium malitiosè secundum eius prudentiam, & iudicium impediatur.

25. Potest etiam secundùm tamen eius prudentiam, & iudicium, ob vicinitatem temporis, quo prohibitæ sunt nuptiæ, remittere aliquas denuntiationes; sed non potest iubere diebus non festis.

26. An omissio edictorum, quæ præcedere debent celebrationem matrimonij, ex constitutionibus synodalibus diœcesis, & ex consuetudine immemorabili; quam seruandam esse etiam post Concilij Tridentini Congregatio declarauit, reddat matrimonium clandestinum, prolemque illegitimam, perinde ac si matrimonium contractum esset sine Parocho & testibus? R. Congregatio censuit negatiuè.

27. Si omissa fuerint culpa Parochi, non vitiatur matrimonium.

DE PROPRIO CONTRAHENTIVM Parocho, & forma verborum, ac de sponsalibus de futuro.

Declarationes Sacræ Congregationis.

SECTIO III.

28. TEr à proprio quando matrimonium contrahitur inter duos de diuersis parochijs, debent in ambabus fieri denuntiationes.

29. A proprio contrahentium Parocho. Proprius parochus est, in cuius Parochia contrahentes habitant, quo tempore matrimonium contrahunt.

30. Proprius parochus erit parochus vxoris, si matrimoniũ in domo vxoris contrahatur, quando scilicet vir accedit ad domum vxoris pro contrahendo & consummando matrimonio.

31. Quando contrahitur matrimonium inter duos alienigenas, & à paruo tempore in aliquo loco habitantes, qui tamen sint cogniti, ita vt non sint de comprehensis inter vagabundos, proprius eorum parochus esse intelligatur, in parochia quam habitant eo tempore, quo matrimonium contrahunt.

32. Quando contrahitur matrimonium inter virum, qui sit de vna Parochia, & mulierem de altera, sufficit, si contrahatur coram proprio Parocho mulieris in parochia mulieris, vel coram Parocho viri in parochia viri; sic Congregatio censuit, quod ipse Gregor. XIII. confirmauit, & contra Nau. *cap. 25. num 144.*

in no-

in noua tamen editione consensit Congregationi.

33. Vbi Parochus viro & muliere interrogatis. Matrimonium contractum coram coadiutore in administrandis Sacramentis Parochi, vel Vicarij perpetui in illa Parochia valet.

34. Item valet, si fuerit contractum coram Parocho notorio fornicatore: non tamen in iudicio condemnato, vel confesso.

35. Ego vos in matrimonium. Et si Parochus nihil dicat, constat tamen matrimonium, modo partes contrahant.

36. Vel alijs vtatur verbis. Non pertinet ad substantiam matrimonij, vt Parochus aliqua verba proferat, idemque valet matrimonium, in quo verba exprimentia consensum, prolata sint tamen à contrahentibus, dummodo Parochus adhibitus à contrahentibus sit præsens, & intelligat id quod agitur, licet dissentiat, & contradicat; adhibitus verò Parochus intelligitur etiamsi ex alia causa esset vocatus, dummodo sit adhibitus ad illum actum.

37. Iuxta receptum vniuscuiusque Ecclesiæ ritum. Quæ verba non pertinent ad substantiam matrimonij Sacramenti, ideoque valet matrimonium, etiam quod verba consensus, prolata sint, tamen à contrahentibus, non à Parocho, dummodo adsit præsentia Parochi, quæ sufficit absque ipsius Parochi verbis.

38. Qui aliter, quam præsente Parocho. Hic versus non habet locum in sponsalibus de futuro, sed tamen in matrimonio per verba de præsenti; & qui contrahit sponsalia de futuro,

& consummauerit, potest puniri, & matrimonium erit nullum; poterit tamen qui sponsalia contraxerit, compelli ad obseruantiam, iuxta *c. ex litteris. 3. de spons.*

39. Martha, quæ contraxit sponsalia de *futuro* cum N. cum quo carnalis copula sequuta est, potuit ingredi monasterium, & habitum Religionis suscipere, in eo permanere, & profiteri, & postquam professionem emiserit, tunc ab Ordinario pronunciandum licere N. matrimonium libere contrahere cum alia muliere.

40. Decretum hoc annulat solum contractus matrimonij per verba de præsenti clandestine factos, sponsalia verò per verba de futuro, reliquit in terminis iuris communis, præterquam quod per copulam præfatam sponsalia in matrimonium non transibunt.

41. An prohibitio facta ab Ordinario, ne Parochus in matrimonium coniungat aliquos ita tollatur, seu suspendatur iurisdictio Parochi, vt ad celebrandum matrimonium non sit legitimus Parochus, matrimoniumq; coram eo contractum nullum sit? R. Congregatio, matrimonium valere. Quod si hæc prohibitio facta sit, non ipsi Rectori principali, sed eius Vicario, qui ad nutum Ordinarij, amoueri potest, an matrimonium, in quo contra Ordinarij prohibitionem Vicarius iste interuenit, validum sit? Resp. Congregatio validum esse matrimonium.

42. Qui aliter, quam præsente Parocho. Matrimonium contractum coram testibus, sed sine Parocho, vel alio Sacerdote de eius licentia, post Concilij Tridentini non solum est nullum, sed

nec

nec vim habet sponsaliorum adeo quod contrahentes ad denuo contrahendum compelli possunt.

43. Contrahens non præsente Parocho grauiter puniendus est, & potest postea nihilominus seruata forma Concilij contrahere.

44. Qui matrimonium clandestine, & sine Parocho contraxerunt, & consummarunt, possunt si nullum aliud impedimentum adest, sine disputatione Apostolica de nouo contrahere matrimonium in facie Ecclesiæ; sic tamen contrahentes, & testes, & Notarius, qui clandestino contractui interfuerunt, grauiter arbitraria pœna puniendi sunt.

45. Qui matrimonium extra præsentiam Parochi proprij, vel eius Vicarij, & testium clandestine contraxerunt, & consummarunt, Ordinarii, vel eius Vicarij arbitrio grauiter puniendi; deinde si nullum alium adsit impedimentũ, ac ipsi in matrimonium consentiant, permittendum est eis, vt illud de nouo contrahant, seruatis tamen seruandis ex decreto huius cap.

46. Matrimonium quod non contrahitur in præsentia Parochi proprij aut alterius Sacerdotis de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia, nullum est, ipsique contrahentes grauiter puniendi sunt; estque solum necessarium ad hoc, vt contractus matrimonij sit validus quod præsente Parocho proprio contrahentium, vel alio Sacerdote de ipsius, vel Ordinarij licentia, & coram testibus verba de præsenti ab vtroque contrahentium proferantur, nec ex omissione denunciationũ matrimonium prædicto modo esse nullum

47. Decretum hoc, quo ſtatuitur, vt matrimonij contractus fiant ſolemniter coram parocho, & teſtibus, habet dumtaxat locum in matrimonio per verba de præſenti; non tamen cum ſponſalia per verba de futuro contrahuntur.

48. Satis eſt, ſi matrimonium coram parocho, & teſtibus contrahatur per verba de præſenti, etiamſi contrahentes valuis tunc adſtent; denuntiationes tamen trinæ, & Sacerdotales benedictiones in Eccleſia faciendæ ſunt.

49. Parochus ita præſens matrimonio debet eſſe, vt appareat à contrahentibus hac de cauſa adhibitum fuiſſe; ſecus ſi caſu præſens fuiſſet.

50. An vero, ſi inuitus, & compulſus per vim, adſit parochus, dum contrahitur matrimonium præcedente, vel non præcedente ſupra dicta prohibitione Ordinarij, tale matrimonium ſubſiſtat. R. Congregatio, ſubſiſtere.

51. Et quid, ſi Parochus adfuerit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, vel audiuit, vtrum tale matrimonium ſit nullum? R. Congregatio matrimonium non valere, ſi non intellexit, niſi ipſe Parochus affectaſſet non intelligere.

52. Matrimonium contractum non ſeruata forma Concilij Tridentini, licet certam inter ſe de contrahendo matrimonio fidem dederint, & poſtea coram teſtibus ſine Parocho de præſenti contraxerint, carnali etiam copula inter eos ſubſecuta, nec in ſponſalia de futuro reſoluitur, ita vt cogi poſſint corrupta Concilij Trid. forma, contrahere; ſic reſponſum eſt Epiſcopo Patauin.

53. Si

53. Si in parochia mulieris contrahatur, præsente parocho eius tenere matrimonium.

54. Clandestina matrimonia hic solum prohibentur, non autem illæ promissiones, quæ matrimonia præcedere solent, quæ factæ seruandæ sunt, sicut ante Concilium.

55. Matrimonium contractum clandestine inter puberem & puberem in sponsalia de futuro resoluitur per capitulum vnic. §. 2. *de sponsal. impub. in 6.*

56. Etiamsi coram Parocho, & testibus contrahantur sponsalia, licet postea sequatur copula, matrimonium nihilominus non censetur; possunt tamen denuo contrahere seruatis seruandis.

57. Matrimonium contractum absque præsentia Parochi, seu alterius sacerdotis, de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus in vim sponsaliorum non resoluitur, ita vt contrahentes ad denuo contrahendum seruata forma Concilij Tridentini compellantur.

58. An matrimonium non præsente parocho contractum in regno hæretica prauitate infecto, qualis est Anglia, vbi non est copia Parochorum, sit irritum, & nullum, & ex præsente decreto, videlicet, quod ad talia matrimonia extendatur; eosque ad sic contrahendum reddat inhabiles? R. Congregatio Concil. censuit non extendi, si in illa Ecclesia, in cuius parochia tunc habitant contrahentes, non dum eo tempore, quo sic contraxerunt, erant, vt palam dicitur, publicatum hoc decretum.

59. An

59 An puella, quæ contraxit ſponſalia copula ſubſecuta, & poſtea habitum religionis ſuſcepit, poſſit in ea profiteri, & vir ſit liber ad contrahendum cum alia; R. S.D.N. audita relatione ad Congregationis Concil. declarauit *puellam* ſic poſſe, & poſtquam ea profeſſionem emiſerit, tunc ab Ordinario pronunciandum licere viro libere matrimonium contrahere cum alia vxore.

An matrimonium inter hæreticos, non ſeruata forma Concil. contracta valida exiſtant? R. Congregatio cenſuit non exiſtere, ſi contracta ſint poſt 30. dies à publicatione Decreti huius facta in Eccleſia eius parochiæ; intra cuius fines habitant hæretici.

60. De ipſius Parochi. Generalis licentia alicui Sacerdoti à Parocho in ſcriptis data exercendi ſcilicet omnia, quæ Parochi officium concernunt, ſufficit ad matrimonij coram illo Sacerdote celebrati validitatem.

61. Vel alio Sacerdote. Si Sacerdos alienus non habuit licentiam, neque ab Ordinario, neque à proprio contrahentium Parocho, Ordinarius non debet irritare matrimonium, ſed tamen declarare irritum: quia cum Concilium iam illud irritum fecerit, non eſt vlterius irritandum: ſed opus eſt ſola declaratione, quod irritum ſit, etiamſi eſſet Parochus, ſed non contrahentium, & ſi ſunt diuerſarum parochiarum, ſufficit, vt ſit Parochus ſiue viri, ſiue mulieris.

62. Parochi, ſeu Ordinarij licentia. Licet proprius Parochus non celebret matrimonium, ſed alius de Epiſcopi conſenſu, matrimonium te-

net.

net, etiamsi Episcopus vocatum crederet proprium Parochum.

63. Seu Ordinarij licentia. Intelligitur etiam de generali Vicario Episcopi, qui hanc licentiam concedere poterit.

64. Nec sufficit tacita, quæ resultat ex tolerantia, requiritur vero vel commissio generalis administrandi omnia Sacramenta, vel si hæc non adsit, expressa, & specialis licentia.

65. Vicarij etiam temporales, ad nutum amouibiles, Ecclesiæ parochialis, qui Sacramenta administrant, & matrimonijs interueniunt sicut ipsi interuenire possunt, ita etiam dare licentiam alijs possunt interueniendi. Ita decidit Rota in vna Barchinonensi.

66. Ad sic contrahendum Congreg. declarauit hoc non procedere in sponsalibus.

67. Omnino inhabiles redditi. Hic vers. nihil pertinet ad sponsalia per verba de futuro contracta, sed tantum intelligitur de matrimonio per verba de præsenti contracto.

68. Ordinarius iudicare debet matrimonia illa nulla esse, quæ præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Episcopi licentia, & duobus vel tribus testibus contracta non sunt, statuere autem non debet, quod illi, qui non seruata forma prædicta contraxerunt, sint inhabiles ad contrahendum, quia est contra dispositionem huius capit. per verba enim illa decreti ad sic contrahendum, non intelligitur, quod ex quo extra formam decreti matrimonium contraxerunt, simpliciter inhabiles fiant ad rursus contrahendum; sed ad contrahendum sic: nempe in

pe, in eum modum, sine parocho, & testibus. Quare qui in contrahendis matrimonijs formulam secuti non sunt, rursus contrahere, si velint, ex decreti præscripto, id est, adhibito parocho, & testibus, hoc Ordinarius illos concedere debet; nisi sanguinis coniunctione, aut propinquitate, aut alijs sacrorum Canonum exceptionibus excludantur. Qui idem Ordinarius tam in eos, qui matrimonium sine Parocho, & testibus contraxerunt, quam in eos etiam, qui istius modi contractibus interfuerunt, pœna arbitraria debet animaduertere.

69. Irritos, & nullos esse decernit. Matrimonium contractum coram Sacerdote, qui nec ab Ordinario, nec à proprio contrahentium Parocho licentiam habuit, non debet per Ordinarium irritari, sed tamen declarari irritum esse, cum enim Concilium Tridentinum illud irritum fecerit, non alias irritandum, sed opus solum declaratione irritum sit.

70. Matrimonia per verba de præsenti contractu clandestine, irrita, & nulla sunt: sponsalia autem per verba de futuro contracta sunt in illis terminis, in quibus erant ante Concilium.

71. An sit matrimonium, si duò contrahant per verba de præsenti, proprio Parocho præsente, & alijs requisitis non omissis, cui contractui Parochus formaliter adhibitus non fuit; sed dum forsan conuiuij vel confabulationis, aut aliud tractandi causa adesset, audit huiusmodi contractum fieri; & postea alter contrahentium velit ab huiusmodi contractu, ratione huius defectus resilire? R. Congregatio posse, nisi alia

inter

interuenerint, quæ Parochum à contrahentibus adhibitum fuisse arguant; quod dicitur adhibitus, vt supra, quamuis ex alia causa esset vocatus, dummodo sit adhibitus ad illum actum.

72. Irritos facit, & annullat. De matrimonij clandestini inualiditate agitur in ijs locis, in quibus illud decretum iam publicatum fuit. Quid de illis locis censendum est in quibus consilium Episcoporum, aut Parochorum malitia, vel crassa, ac supina negligentia non est publicatum hactenus? Deinde quid est faciendum, cum duo clandestine contrahunt, aut contraxerunt, & in vnius parochia publicatum fuit hoc decretum, in alterius non item, in qua contrahunt simul? Tertio, quid faciendum cum ijs, qui post contractum clandestinum matrimonium, idque siue ante Concilium, siue post, decreta tamen hoc non publicato auctoritate imprudentis Episcopi, aut ignorantis Parochi, fuerint, & postea cum alijs publicè contraxerunt, neque iam sine grauissimo scandalo separari possunt? Resp. Ad primum Congregatio decretum Concilij non obligare, si in Parochia vbi contractum fuit matrimonium, nec dum erat publicatum, & triginta dies à die primæ publicationis nec dum fuerant elapsi, quantumuis vel malitia, vel crassa negligentia omissa fuerit huiusmodi publicatio. Ad secundum itidem, non obligare decretum nondum in ea parochia, vbi contrahitur, publicatum, vt dictum est. Ad tertium, primum matrimonium esse validum, ideoque in eos, qui pacto spreto ad secun-

secundum conuolarunt, statuendum prout à iure disponitur.

73. Qui clandestine contraxerunt, & possunt sine dispensatione de nouo contrahere in facie Ecclesiæ, & grauiter puniendi sunt.

74. Matrimonia inter hæreticos, hac forma Concilij non seruata, contracta, sunt irrita; si in Parochia, vbi isti hæretici degunt Concilium fuit publicatum, secus si non fuerit publicatum, quia tunc matrimonium tenet.

75. Benedictionem à proprio Parocho fieri. Proprius Parochus benedicere sponsos debet, non obstante quacunque consuetudine contraria, & immemorabili.

76. Qui sit proprius Parochus, qui sponsos benedicere debet, cum viri accedunt ad contrahendum ad terras, & domos vxorum, vbi diu remaneat antequam cohabitent? R. Congregatio Concilij censuit eum esse, qui proprius Parochus vxorum sit, quando scilicet viri ad earum domos accedunt pro contrahendo, & consummando matrimonio.

77. Non cohabitent. Sponsus qui sponsam stuprauit ante matrimonium per verba de præsenti iuxta formam Concilij contractum, non potest ab Episcopo puniri pœna contra stupratorem à sacris Canonibus inflicta, & maximè si sponsa ante matrimonium id petierit: sed ambo sunt arbitrio Ordinarij grauiter puniendi per statutum in hoc capite.

78. A proprio Parocho fieri. Is erit proprius Parochus, qui Parochus vxorum est, quando scilicet viri ad earum domos accedunt pro contra-

trahendo, & consummando matrimonio.

79. Ex hoc textu quidam Parochi instabant contra Archiepiscopum Ecclesiæ Syracusanæ, negantes ei amplius deberi decimam auri partem, quam percipiebat ex annulorum nubentium benedictionibus; solus enim Parochus ex hoc capitulo benedicit. Contrarium tamẽ censuit Congregatio, quia ille denarius non debebatur ratione ministerij illius dicti, sed loco prębendæ, ad sustentationem suę dignitatis; & cum ab immemorabili tempore ita fieri cõsueuerit, non est tollenda hæc laudabilis consuetudo.

80. Alij Sacerdoti. A proprio contrahentium Parocho, vel alio Sacerdote, cui ipse Parochus, vel Ordinarius dederit licentiam, benedictio Sacerdotalis contrahentibus matrimonium est facienda; iuxta hoc decretum, non obstantibus quibuscunque.

81, Ipso iure tam diu suspensus maneat: Id est, sublata pœna excommunicationis, de qua in *Clem. 1. in fin. de priuil.*

82. Tamdiu suspensus maneat. Præsupposito, quod Rector habeat parochianos in duab. diœcesibus, & quidem in vna ipse parochialis cum maiori parochianorum parte existat: altera sit domus Rectoris, in qua modo ipse, modo eius Capellanus residere consueuit, ac propterea in suspensionem inciderit, an absolutionem obtinere debeat ab Ordinario, in cuius diœcesi ipsa Ecclesia existit; vbi etiã præsupponitur habere domũ conductitiam, vel potius ab alio, in cuius diœcesi Rector habet propriam domum, maxime si parochiani sic coniuncti matrimonio fuissent

sent eiusdem diœcesis? R. Congregatio censuit ab Ordinario, vbi fuerunt parochiani coniuncti matrimonio, quando commissum fuit delictum.

DE COGNATIONE SPIRITVALI, quæ in Baptismo & Confirmatione contrahitur.

Declarationes Sacræ Congregationis.

SECTIO IV.

85. COgnationis spiritualis, Bulla Pij V. declarationis cognationis spiritualis est, de cognatione spirituali contracta ante Concilium, contracta vel contrahenda post Concilium. Qui contraxit igitur ante Concilium matrimonium, indiget dispensatione. Vnde valet matrimonium inter filium suscipientis, & baptizatum absque dispensatione, contractum post publicationem, & S. N. D. Gregorius XIII. dubitantibus, an esset reuocata illa declaratoria Pij V. quia regula, respondit non videri reuocatam, quia est magis declaratoria, quam regula.

86. Congregatio Concilij declarauit hoc decretum retrotrahi ad præterita, adeo quod licet omnibus, qui ante hoc decretum, à iure antiquo, cognationem spiritualem contraxerint, modo non sint expressi in hoc decreto, contrahere matrimonium inter se, absque dispensatione Apostolica, & quia iam contraxerunt post Concilium, nulla indigere dispensatione, & ita declarauit Pius V. in vna ex suis constitutionibus

bus 20. Augusti 1566. inserta inter regulas Cancellariæ eiusdem Pij V.

87. Sanctitas sua ad tollendum omne dubium, non eos tantum qui post Concilium, sed illos etiam qui ante, illam cognationem spiritualem contraxerunt, dummodo non sint ex personis, inter quas tantum Concilium voluit deinceps contrahi hanc cognationem spiritualem, matrimonij vinculo inter se, absque dispensatione aliqua, libere & licite copulari posse, ac matrimonia etiam post confirmationem Concilij absque dispensatione Sedis Apostolicæ inter eos iam contracta valere, plenamque roboris firmitatem obtinere declarauit, per bullam publicatam 20. Aug. 1566.

88. Nulla cognatio spiritualis contrahitur, nisi inter personas, quæ nominantur in hoc decreto.

89. Vnus, & vna. Episcopus non potest concedere licentiam, vt duo viri, loco viri & mulieris aliquem baptizatum de baptismo suscipiant.

90. Baptizatum de baptismo suscipiant. Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti, hinc est, quod vnus & alter, qui sit procurator mulieris baptizatum de sacro fonte suscipere possunt: sed non duo viri, vel duæ mulieres; vnusquisq; tamē proprio nomine, vir loco mulieris, vel mulier loco viri.

91. Inter quos & baptizatum. Inter maritum, vel vxorem suscipientes, & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, & quascunque alias personas, tam ex parte suscipientis, quam baptizantis, & baptizati in Concilio Tridentino nomi-

nominatim non expressas matrimonium libere & licite contrahi potest.

92. Qui leuat, aut tenet procuratorio nomine nullam contrahit spiritualem cognitionem. Ea quoque cognatio inter leuatum, & filium leuantis nullum est impedimentum; idem in filio baptizantis, vel confirmantis.

93. Spiritualis cognatio contrahatur. Spiritualis affinitas ex hoc decreto pertineret ad matrimonia contrahenda, non ad contracta dissoluenda.

94. Qui in Ecclesia fuit præsens ei, qui domi vere baptizatus, & deinde in Ecclesia fuerunt celebratæ solemnitates, nullam cognationem spiritualem contraxit. Itaque committatur Ordinario, vt, si legitimis probationibus competerit dictum N. filium, prius domi fuisse vere baptizatum, declaret nullum inter N, ipsam, & dictum N. filium esse impedimentum cognationis spiritualis.

95. Quem, vel quos elegerint. Congregatio censuit si plures suscipiant, omnes contrahere cognationem; si non constat, quis primo retigerit, si plures sunt electi, vel nullus, si vnus est electus, ille tantum contrahit.

Est Glossa, sed bona; vt hæc declaratio non aduersetur Concilij Tridentini, intelligenda est, quando plures suscipiunt, certis à Parocho non designatis. Vide Nauar. *c. 22. M. Man. n. 36. & ita cap. Quamuis de cognat. spirit. in 6.* etiam nunc habebit ad hoc locum, quando plures sic suscipiunt, nullis certis designatis.

96. Cognationem spiritualem, nullo pacto con-

contrahant. Idem dicendum, si assisterent animo contrahendi compaternitatem, non tamen tetigerint. Idem dicendum de eo, qui leuauit è sacro fonte eum qui domi ob imminens periculum, fuit ante baptizatus. Quod si plures sunt designati, qui omnes baptizatum tenuerunt; qui omnes fuerunt admissi, nec constat, quot ex decreto Concilij fuerint designati ad contrahendum compaternitatem, omnes contraxerunt cognationem spiritualem, qui tetigerunt: iuncto tamen parocho. *cap. vlt. de cognat. spirit. in 6.*

DE IMPEDIMENTO publicæ honestatis.

Declarationes Sacræ Congregationis.

SECTIO V.

97. VStitiæ publicæ honestatis. Hoc impedimentum intelligitur tantum in sponsalibus de futuro; secus si matrimonium fuisset per verba de præsenti, vt declarauit Pius V. per suam Bullam anno 1568.

98. Vbi Sponsalia. Scilicet per verba de futuro; non autem de præsenti, ita esse intelligendum, declarauit Pius V. in quadam Bulla sub dat. Calen. Iulij 1568. dispositio etiam huius decreti retrotrahitur, prout supra in præcedenti decreto de cogn. spirit. dictum fuit, ita declarauit Gregorius XIII. ex voto Congregationis.

99. Quacunque ratione valida non erunt. Si sponsalia soluuntur de consensu, Congregatio censuit esse inualida.

100. Primum gradum. Facultate huius decreti gaudent etiam illi, qui ante Concilium contraxerunt in secundo gradu, nam inter illos nulla affinitas præsupponitur.

101. Cum ait Concilium sponsalia valida non excedere primum gradum, loquitur de sponsalibus de futuro, quæ proprie ac vere sponsali vocantur; non de sponsalibus de præsenti in matrimonio rato, quod in suo priori vigore relinquitur, & impedit in omnibus illis casibus & gradibus, quibus à iure veteri ante Concilium Tridentinum introductum erat Bulla Pij V. publicata 21. Iunij 1568.

102. Præsuppositа declaratione per constitutionem S.D.N. Pij V. super hoc decreto, censet Congregatio oriri impedimentum iustitiæ publicatæ honestatis ex sponsalibus per verba de præsenti, etiam nulliter contractis, omissa forma decreti Concil. Trid. c. 2. huius sess.

103. Qui ante Concilium Tridentinum in secundo gradu, publicæ honestatis erant, post Concilium publicatum, seu confirmatum non & absque alia dispensatione contrahere possunt & contractum inter eos matrimonium est validum, iuxta formam huius cap. 3.

104. Sponsalia de præsenti ante ætatem, etiam vnius, secuta carnali copula, non transeunt in matrimonium.

105. In iustitiæ publicæ honestatis affinitas ex fornicatione attenditur remotior gradus.

106. Item Congregatio censuit, ex matrimonio per verba de præsenti copula non secuta, non oriri affinitatem; remanet tamen impedimen-

tum

tum hoc vlterioris gradus ex declaratione Pij V. sub dat. Calend. Iulij 1568. & ita etiam fuit decretum per Congregationem 17. Aprilis 1568. & de ordine Sanctissimi præter Cardinales interfuerunt omnes priores ordinum, & tres Reuerendissimi.

107. Hoc decretum procedit in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sicut præfertur, contracto; ita declarauit Pius V. per breue expeditum 1. Iul. 1568.

108. An ex sponsalibus contractis per hæc verba: Promitto te ducere vxorem, si factis denuntiationibus non apparebit aliquod impedimentum, oriatur impedimentum publicæ honestatis? Congregatio Concilij censuit, non oriri.

109. An ex matrimonio contracto per verba de præsenti, non consummato oriatur affinitas, vel impedimentum publicæ honestatis? Resp. Congregatio, non esse impedimentum affinitatis, sed impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, & fortius ac maius vinculum, quam impedimentum iustitiæ publicæ honestatis ex sponsalibus de futuro, & hoc Concilij decretum non loquitur de hoc impedimento, sed de illo tantum ex sponsalibus de futuro, ex quibus gradus istius impedimenti colligitur, non intelligi ad secundum gradum redactos, sed tantum illos, qui contrahuntur ex sponsalibus de futuro, vt per Bullam felicis record. Pij V. sub dat. Romæ.

DE AFFINITATE EX Fornicatione.

Declarationes Sacræ Congregationis.

SECTIO VI.

110. DIspositio huius decreti etiam retrahitur, prout supra in præcedentibus Decretis cap. 2. & 3. de Cognatione spirituali, & iustitia publicæ honestatis, dictum fuit: & ita etiam declarauit S. D. N. Gregorius XIII. Ex voto Congregationis Concil. hoc cap. intelligendum esse.

111. Propter affinitatem ex fornicatione. Hoc decretum restringitur, & declaratur, prout supra cap. 2. fuit annotatum. Personæ, quæ matrimonium contraxerunt ante Concilij confirmationem, in gradu olim de iure communi prohibito, & per hæc & alia decreta hac in sessione præmisso, non possunt manere in matrimonio licite sine vlla dispensatione iuxta tradita per Glossam in cap. *non debet, de consanguinitate, & affinitate in verbo de cætero.*

112. Qui in primo, & secundo gradu coniunguntur. Congregatio Concilij censuit impedimentum tertij gradus affinitatis ex fornicatione contractæ, sublatum esse ex hoc capitulo Concilij: ideo eo non obstante, matrimonium posse contrahi absque alia dispensatione Apostolica, etiam quod huiusmodi affinitas contracta fuisset ante confirmationem Concilij, declarauit Pius V. anno 1566. 20. Augusti.

13. Primum & secundum gradum affinitas ex

causa fornicationis proueniens non excedit, quod procedit etiam in illis matrimonijs, quæ ante Concil. fuerunt contracta.

114. Qui fornicatus est etiam leuiter cum muliere, cuius sororem postea duxit in vxorem, indiget dispensatione, & filij, quos ex tali matrimonio procreauit, illegitimi sunt.

115. Inter personas, quæ siue post, siue ante Concilij confirmationem affinitatem infra secundum gradum ex fornicatione proueniente contraxerunt matrimonium, post Concilij Tridentini confirmationem sine Sedis Apostolicæ dispensatione contractum validum est, nec dirimi debet, dicta Pij V. declaratio. (Ad cuius notitiam) Congregatio Concilium censuit idem de impedimento affinitatis superueniente post matrimonium contractum.

116. In primo gradu transuersali dispensatur ex causis ordinarijs, in descendentibus non nisi ex causa magna.

117. In vlterioribus vero impedimentum est illud, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum dirimit, ad eos tantum, qui in primo & secundo gradu coniunguntur, restringitur; in vlterioribus verò gradibus non dirimit. Habet etiam locũ, & comprehendit sponsalia per verba de futuro contracta, vt censuit Congregatio.

118. Non dirimere. Neque impedit contrahentes iuxta supra dictam Bullam Pij V. Calendis Iulij 1568.

119. Fuit sublatum etiam impedimentum per Bullam Pij V. sub dat. 4. Calen. Decembris anni 1. quod impediebat posse contrahi matrimon.

120. Sanctus Dominus Noster Gregor. XIII. ex sententia Congregationis dixit hoc decreto sublatum censeri impedimentum quoque superuenientis affinitatis post contractum matrimonium; quia si impedimentum dirimens sublatum est, quod maius est: ergo & istud, quod solum impedit, ne is per quem contracta est affinitas sine peccato possit exigere debitum, quod minus est; præterea consilium sustulit tertium, & quartum gradum in omnibus.

DE DISPENSATIONIBVS in gradibus prohibitis.

Declarationes Sacræ Congregationis.

SECTIO VII.

121. INtra gradus prohibitos quarto, & quinto gradu coniuncti non prohibentur, quia inuicem contrahere possint. Idem dicendum, si essent coniuncti in tertio & quinto gradu, non enim comprehenduntur sub isto decreto, & sic non indigent dispensatione.

122. Si qui intra gradus prohibitos scienter matrimonium. Qui se cognouerunt carnaliter, sine tractatu & cogitatione matrimonij, postea volentes matrimonium contrahere, & petentes secum dispensari in aliquo impedimento, & tacentes carnaliter se cognouisse, si obtinent ex aliqua causa iam probata dispensationem, potest dici obreptitia, aut subreptitia, & sic nullam obtinuisse ex eo solo, quia non nauerunt cognitionem carnalem.

123. Spe dispensationis. Quando scilicet impedi-

pedimentum prouenit ex consanguinitate, & affinitate, non autem ex impedimento iustitiæ publicæ honestatis, ad quod prohibitio non se extendit.

114. Sic enim indigent noua dispensatione, qui obtinuerunt literas, & eis non præsentatis; vel quia nuncium habuerunt dispensationem fuisse obtentam, vel supplicationem datam, contraxerunt, vel se carnaliter cognouerunt.

115. Quod si ignoranter. De petitione eorum, qui contractis sponsalibus, post publicatam tamen confirmationem Concilij denunciandi necessitatem in matrimonio non seruatam, in postulatione dispensationis expresserunt, vt ipsi dicunt, errore agentium, ante Concilij Trid. confirmationem esse facta sponsalia, non conceditur dispensatio.

116. Si vero solemnitatibus. Illis, qui ignorantes gradum post Calendas Maij 1564. petentes dispensationem in locis, vbi non esset publicatum decretum de clandestinis matrimonijs censuerunt eam dandam esse gratis: hoc locum habet in compositionibus, non in mercede, quæ soluitur ob expeditionem bullarum.

117. Probabilem ignorantiam Non debentur dispensationes matrimoniales sub prætextu ignorantiæ decretorum Concilij, si hæc ignorantia fuerit post Calendas Maij, sed tamen intelligatur ex narratione facti.

118. Cum ijs, qui post Calendas Maij, ignorantes contraxerunt in tertio vel quarto gradu, & allegatur, quod non fuerit publicatum in parochia sua decretum de Reformatione matrimon. dispensari potest.

129. Placuit quod tertium tantum, qui ignorantes gradum non clandestine contraxerunt post Concilij confirmationem; dum tamen eorum ignorantia probabilis fuerit. Item pro ijs, qui ignorantes contraxerunt, aut in tertio aut quarto modo factis probationibus iuxta formam Concilij Tridentini habetur notitia impedimenti.

130. Pro ijs etiam qui in tertio, aut quarto gradu propter angustiam loci, aut quod non inueniuntur paris conditionis: similiter, qui vult ducere in vxorem sibi attinentem pauperem constituendo illi dotem, aut etiam pro sedandis litibus aut discordijs, contrahere volunt, visæ fuerunt legitimæ causæ ad dispensandum de contrahentibus, dummodo gratis prorsus, & in tertio maturius procedatur.

131. Idem seruandum est in casibus supradictis, in matrimonijs per verba de futuro publicatis, præcedentibus, aut subsecutis osculis, aut per fidei, vel munerum dationem, quæ in nonnullis prouincijs vim habent matrimonij contracti per verba de præsenti. Placuit dum huiusmodi sponsalia contracta sint ante confirmationem Concilij, & fuerint proclamata interuenientibus aliquibus supradictis actibus, etiamsi de tertio gradu, qui possunt accipi, componendas fore.

Sed non possunt cogi isti, qui contraxerunt ad petendam dispensationem, etiamsi matrimonium esset consummatum, si nollent petere, & vellent resilire, vel alter eorum.

132. Et gratis dispensari poterit. Decretum Con-

Concilij, quod ait dispensationes gratis concedantur, habet locum in compositionibus, non in mercede, quæ soluitur propter expeditionem bullarum ex congregationis sententia.

Gratis adeo dispensationes matrimoniales concedendæ sunt, quod etiam Ordinarij, quibus istæ dispensationes remittuntur, suum officium gratis præstant, vt nec ipse Vicarius aliquid suscipiat pro mercede; notarius vero examinando testes, & sumendo cæteras informationes, quartam partem auri seu ducati accipere possit, pro literis vero absolutionum, & dispensationum in foro conscientiæ tantum, nihil à quoquam accipi possit, vt Romæ fit.

133. In contrahendis matrimonijs. Contrahentes in gradibus prohibitis, quando dubitatur an sint in quarto vel quinto, Arbitrio Ordinarij hoc relinquitur, vt credat illis testibus, & probationibus, quæ ei magis probare videntur.

134. Congregatio tamen idem censuit in sponsalibus.

Idque ex causa. Causa est legitima, si dos non esset competens, in quarto tamen gradu.

135. Pro dispensatione in quarto gradu consanguinitatis sufficit, quod omni adhibita diligentia, mulier, cum qua dispensatur, non inueniat alium virum parem, cui nubere possit.

136. Iusta causa dispensationis matrimonialis est, causa dotis incompetentis; & satis est si eo in loco in quo mulier habitat, ipsam diligentiam adhibeat in perquirendo virum parem, à quo cum tali dote in matrimonium duceretur, neque tamen inuenerit.

137. S.D.N. ex sententia Congregationis respondet, dispensationem subreptitie obtentam non videri, cum in supplici libello dictum fuit de loci angustia, si modo verum est Oratrices in eo loco, vbi contrahendum sit matrimonium, viros ubi non consanguineos paris conditionis, quibus nubant inuenire non posse.

138. Causæ legitimæ dispensandi in gradibus prohibitis sunt hæ angustia loci, quando non inueniuntur paris conditionis, quando diues vult ducere pauperem, vel indotatam constituendo illi dotem, quando vult ducere ob lites & inimicitias sedandas.

139. Quando dispensatio conceditur ob incompetentiam dotis, sufficit, quod ista incompetentia sit respectu personarum, quæ degunt in loco mulieris; ideo si in loco vicino essent aliqui non coniuncti, qui mulierem cum sua parua dote acciperent, per hoc dispensatio non irritatur.

140. Cardinales Concilij Tridentini habent facultatem à Papa declarandi quæ sunt causæ dispensationis matrimonialis, & quo sensu sunt illæ accipiendæ; causa vero dotis non sufficientis est iusta, vt quis in quarto consanguinitatis gradu dispensari possit, pro cuius verificatione sufficit, si in eo loco, in quo mulier habitat, ipsa diligentiam adhibeat in perquirendo virum parem, à quo cum tali dote in matrimonium ducatur, neque tamen inueniat.

141. Qui contraxerunt in tertio & quarto gradu etiam post confirmationem Concilij, antequam tamẽ illius confirmatio innotesceret, potuerunt simpliciter dispensari. 142.

142. In ciuitatibus etiam, aut locis vbi ob ciuium paucitatem, vel quia pauca pars illorum inter se cognatione coniuncta non est, ita vt difficile cum alijs matrimonium contrahere possint, erit hæc iusta causa cum illis dispensandi in quarto, & quandoque in tertio.

143. Qui contraxerunt sponsalia ante Concilij confirmationem, cum essent in gradu prohibito & tunc volunt contrahere matrimonium, non poterunt absque causa dispensari: causa idonea videtur si conuersatio cum sponsa, aut publicatio sponsalium præcesserit, aut quid simile præter alias causas à iure receptas.

144. Et gratis concedantur. Gratis adeo dispensationes matrimoniales sunt, quod etiam Ordinarij, quibus istæ dispensationes committuntur suum officium gratis præstare debeant, examinando testes & sumendo cæteras informationes.

145. Vicarius Episcopi nihil prorsus potest accipere, siue pro laboribus in studendo processu, siue pro decreto super dispensationibus matrimonialibus habitis à Sancta Sede Apostolica.

146. In secundo gradu nunquam Pius V. declarauit hoc intelligi de gradibus affinitatis & consanguinitatis: Congregatio tamen idem censuit in sponsalibus.

147. Decretum fuit in Congregatione capitulo tertio, supra loqui de sponsalibus de futuro, iuxta bullam Pij V. ad Romanum anni 1568. prima Iulij, textum vero loqui de matrimonio contracto & consummato, quia verba contextus id ita esse ostendunt. De matrimonio vero

raro tantum nihil haberi in hoc Concilio Tridentino, sed illud prout de iure esse maius quoddam impedimentum, quin sint sponsalia, & ideirco remittendum iuris dispositioni, & prudentiæ Sancti Domini Nostri, qui prorerum & causarum varietate prouidebit singulis casibus.

148. Cum ijs, qui contraxerunt in secundo ante ætatem post Concilij confirmationem sub spe dispensationis obtinendæ, & præsertim si venerunt ad curiam, atque agere cœperunt pœnitentiam salutarem, ipsis impositam, videtur dispensandum esse, etiamsi nulla signata sit supplicatio.

149. Congregatio Cardinalium Concilij censuit dispensationem subreptitiam, si inter consanguineos vel affines, vel spirituali cognatione coniunctos carnalis copula præcessisset, cuius mentionem in supplicatione non fecissent, propterea quod tales consanguinei, & affines, aut cognati spirituales per hanc carnalem copulam redditi sunt inhabiles ad contrahendum matrimonium, eo quod dicuntur commisisse incœstum, quod impedit incœstuosos contrahere matrimonium: ideo pro tali validitate dispensationis super gradu, necessariam esse de iure expressionem copulæ carnalis, prout stylus curiæ obseruat.

150. Facta relatione sanctissimo in Consistorio, Sanctitas sua visa est annuere concessionem istarum dispensationum pro ijs, qui se carnaliter cognouerunt prout ante solita erat, cum ista ex-

expressione copulæ, etiamsi non exprimeretur, quod publica facta esset.

151. Si post impetratas litteras dispensationis ante illarum præsentationem & decretum Ordinarij, se cognouerunt carnaliter, nullis factis, aut adhibitis solemnitatibus committantur Ordinario; quod si dictæ literæ dispensationis sibi præsentabuntur, & causa in eis expressa probabitur legitima coram se, ac quod Oratores post impetratas literas se cognouerunt, dispenset cum eis, iniuncta tamen ipsis salutari pœnitentia propter incestum arbitrio suo.

Quod si tales contraxerunt coram Parocho habita notitia obtentæ dispensationis, & se carnaliter cognouerunt, committitur vt supra, & additur, & punito parocho, qui non seruata forma Concilij coniunxerit oratores in matrimonium, & grauius si tunc sciuit illos in gradu prohibito se attinere, nec literas dispensationis vidit.

152. Qui Romam miserunt pro dispensatione & habito nuncio quod literæ fuerunt expeditæ, contraxerunt, vel se cognouerunt, & ita verum est fuisse expeditas, & habere datas ante contractum, vel commissionem, dandas dispensationes esse Congreg. Cardinalium censuit.

153. Idem visum est etiam quod literæ non essent expediræ, sed supplicatio signata, data, & ex toto expedita.

154. Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini censuit dispensationem reddi nullam, ex copula præcedente dispensationem, si de ea

non fuerit facta mentio in supplicatione, copulam vero superuenientem post dispensationem ab Ordinario factam, non impedire matrimonij validitatem.

155. Episcopus auctoritate Ordinaria non habet facultatem in gradibus affinitatis, seu consanguinitatis à iure prohibitis contrahentes matrimonia dispensandi.

156. Qui contraxerunt in terio vel quarto gradu etiam post confirmationem Concilij prius tamen, quam illis innotesceret, confirmatio, possunt simpliciter dispensari etiam in ciuitatibus vel locis, vbi propter paucitatem ciuium, vel tantum magna pars illorum inter se cognatione coniuncta est, solent dispensari; causa vero dispensandi in sponsalibus ante Confirmationem Concilij, cum essent in gradu prohibito, est conuersatio cum sponsa, aut præcedens publicatio sponsalium; sic Congregatio censuit matrimonium contractum per verba de præsenti de anno 1566. circa decimum vel vndecimum annum ætatis mulieris, in reliquis seruata forma Concilij Tridentini subsequuta carnali copula; & ex tunc, ac simul cum viro cohabitatione per multos annos an hodie post legitimam ætatem ipsius mulieris transeat in verum & validum matrimonium eadem forma dicti Concilij Tridentini non adhibita? R. Congregatio Concilij censuit non transire, nisi iterum coram Parocho proprio contrahant, per verba de præsenti iuxta formam Concilij si modo tempore aduenientis pubertatis mulieris ante copulam publicatum fuerat in parochia contrahentium

hentium hoc decretum Concilij & elapsi erant triginta dies à prima publicatione sic etiam sæpius respondet. Congregatio in casu etiam quo mulier habebat circiter duodecim annos, & sic videbatur proxima pubertati, quæ cohabitauit quatuor annos cum viro, sed non se cognouerunt carnaliter. Prætendebatur enim mulierem esse arctam, cuius causa fuit dissolutum matrimonium, deinde inuenit, qui reserauit seras. Vir repetebat mulierem ex capitulo fraternitatis, de frigid. & maleficijs. Illa noluit redire; sed opposuit de nullitate matrimonij.

FINIS.

INDEX IN ADDITIONES D. ANDR. VICTORELLI Bassanensis Doct. Theolog.

Absolutio.

IN articulo mortis absolui potest, qui nullo explicato crimine, signa edit contritionis. 113

De phreneticis absoluendis. ibid.

Qui ob linguæ ignorantiam non omnia crimina fassus est, absolui potest. 227

Si dubites an absolueris, potest absoluere sub conditione. 233

Amor.

Animi ducuntur amore. 356

Approbatio.

Sacerdos pro solo Pœnitentiæ Sacramento Episcopi eget approbatione ex Conc. Trid. 277

Archipresbyter.

Cathedralis suæ solum Parochiæ matrimonijs inconcesse potest. 339

Articulus.

Quid sit articulus mortis, & quo iure in hoc quilibet sacerdos absoluere potest. 207

In articulo mortis, an simplex sacerdos superiori præsente ab excõmunicatione absoluere possit. 233

In hoc articulo qui signa dedit contritionis absolui potest. 113

In eodem datur Eucharistia ijs qui phrenesi laborant, si existimes eos in statu gratiæ, & non sit periculum irreuerentiæ. ibid.

In eodem quomodo agendum cum publico vsurario. 115

In eodem Diaconus, Sacerdote absente, Eucharistiam administrare potest. 273

Pri-

Præsumptus articulus locum non habet, quando Papa concedit aliquid pro vero. 116
In periculo mortis simplex Sacerdos absoluit, vt in articulo. ibid.
Articulos Fidei scire debent, & qui. 71. & 72

Baptismus.

Decreto Clementis octaui, baptizandus sub conditione puer qui in emisso ex matris vtero pede vel manu sit baptizatus. 149
Infans repertus cum scheda suscepti baptismi, non est sub conditione baptizandus. ib.
Adultus surdus & mutus, natus inter infideles an baptizandus, si signis petat baptismum. 153

Benedictio.

Benedictiones matrimonij à quo impendendæ, & an secundæ nuptiæ benedicendæ. 328

Canones.

Nonnulli non bene de absolutione ab excommunicatione explicati. 237
Contractus metu celebrati, an irriti. ib.

Casus reseruati.

Absolutus à casibus reseruatis impœnitens ab eo, qui poterat absoluere, liber est à reseruatione, 228
Mortuo vel amoto Episcopo cessat reseruatio casuum ab eo reseruatorum. 232
Chrismate exhibita vnctio extrema valeret. 291

Cognatio.

Vniuersitas, si patrini fungatur officio, non contrahit cognationem. 150

Congregatio.

Concilij declarauit, Ordinarium non posse prohibere, qui matrimonia domi fiant. 483

Con-

Confessarius.

Non sit nimis in interrogationibus. 228
Quid aget interrogans rudem pœnitentem. ib.
Absoluat negantem scelus, quod ex alterius confessione agnouit. 229
Quid aget, cum pœnitens dubia nititur ratione. 231
Differat interdum absolutionem, donec pœnitens peragat satisfactionem. 232
Debet interdum plura remedia pœnitenti proponere. 233
Quid aget, cùm infirmus, qui nonnulla scelera dixit, corripitur deliquio. 235
Quomodo pœnitens excipere debet. 238
Monita Confessarijs vtilia. 239
Excutiat Confessarius conscientiam, excepta confessione. ib.
Cognitione confessionis ad extremum regimen non vtatur. 327
Pecuniam, neque restitutionis, neque eleemosynæ titulo alijs dandam non accipiat. 238
Quando quis censeatur destitutus Confessarij copia. 276
Quid aget cum moribundo. 411

Denunciationes denunciare.

An matrimonij denunciationes tribus diebus vno statim post alium faciendæ. 321
Vbi faciendæ. 322
Æditui has facere possunt. ibi.
Potest Parochus eas aliquando omittere. ib.
Feriali die, an aliquando fieri possint. ib.
Matrimonium ante has consumere scelus mortale. 321

An denunciandi, qui lapsu linguæ hæresim protulere. 239

Diaconus.

Sanguinem olim ministrabat, nunc in necessitate etiam corpus. 274

Dies.

Intra quem non licet bis Eucharistiam sumere, quomodo computatur. 276

Dissimulatio.

Interdum vtilis.

Doctrina Christiana.

Quæ negligentia mortifera sit in tradendis rudimentis Christianæ pietatis. 71.72

Quænam rudimenta fideles teneantur scire. ib.

Episcopus approbat pro Sacramento Pœnitentiæ, pro reliquis Sacramentis potest Parochus. 276. & 277

Eucharistia.

Ante eam in templis ardens lumen. 266

Homo sanus quouis die & hora potest eam sumere. 267

De danda Eucharistia phrenetico. 113

Amenti. 267

De obligatione puerorum ad eam sumendam. ib.

De eadem infirmis danda. 269

Iudicis iussu occidendo non ieiuno dari potest. ibid.

Cur morituro non ieiuno detur. ib. & seq.

Quoties sumenda iure diuino. ib.

In morte sumendam docent Concilia & Sanctorum exempla. 271

Danda ante vnctionem extremam, sed tamen potest dari post eam. 272

Inter-

Interdum omittatur, cùm suscipi non potest ab infirmo, & præbeatur vnctio. 273
Cùm ægrotus eam sumere nequit, non est deferenda, vt ab eo adoretur. ib.
An danda occulto peccatori, & an ob solam criminis suspicionem. 114
De Sacerdotis iurisdictione pro administranda Eucharistia. 276

Excommunicatio, Excommunicatus.

Qui absoluat ab excommunicatione non reseruata. 230
Absolutio in mortis articulo ab excommunicatione si pareat, & non se præsentet, reincidit. 233
Excommunicatus occultus an ad scandalum vitandum Eucharistiam sumere possit. 229
Exorcistæ pellendis dæmonijs operam dantes, quid agere debeant. 404
Extrema vnctio in lethali morbo danda. 120
Dari potest ante Eucharistiam. 272
De extrema vnctione multa, ad caput nonum. 289
Feriarum tempus pro matrimonio quando incipiat. 326

Formæ Sacramentorum.

Accidentalis error in Sacramentorum formis Sacramenta non vitiat. 119
Francisci Xauerij monita egregia ad Confessarios. 238
Ad alios. 357
Huius mira ars in lucro animarum captando. ib. & seq.
In iniungenda exigua pœnitentia grauissimo peccatori. 239
Hæreticus, qui resipuit, an denunciandus. 240

An

An denunciandi, qui lapsu linguæ errant in fide. ibid.
De sepultura hæretici. 425

Hora.

Parochus non Sacerdos à qua die teneatur Horas recitare. 21
Ante matutinas Horas recitatas, an sit lethale crimen Missam celebrare. 47
Qua diei hora matutinæ sequentis diei Horæ dici possint. ib.

Impedimentum.

Impedimenti matrimonij nullitas ignoranti coniugi aperienda, cùm matrimonium reualidandum est. 325
Impedimentum dirimens si agnoscat Parochus in confessione quid aget. 327
Impedimenta contrahendorum matrimoniorum detegenda. 333
Si tibi constat, impedimentum dispensatione sublatum esse, non debes detegere. ib.

Infirmus.

Infirmis non ieiunis aliquando danda Eucharistia. 268
Quoties danda infirmo Eucharistia in eodem morbo. 269
Sacerdos non ieiunus, vt conficiat Sacramentum pro ægroto, celebrare potest. 279

Inimicus.

Inimico, à quo læsus es, pacem oranti non teneris scriptam concedere. 404
D. Ioan. Chrysostomo morienti SS. Petrus & Paulus Eucharistiam ministrarunt. 271

Iurisdictio.

Quæ necessaria Sacerdoti, vt ministret Eucharistiã. Vide seq. 276.
De iurisdictione Parochi. 216
Ordinarius iurisdictionem suam delegare potest. ibid.
An ratihabitio & consuetudo det iurisdictionem. ibid.
De iurisdictione Parochi pro Pœnitentiæ Sacramento. 403
Laicus non potest administrare Eucharistiam. 275
Librum matrimoniorum nisi habeat Parochus, peccat mortiferè. 404
Libri Parochis vtiles. Ad cap. 15. 427. & seq.

Licentia.

Ad assistendum matrimonio scriptura non indiget 337
Licentia tacita ex ratihabitione de præsenti sufficit ibid.
Sponso, dicenti se adeptum licentiam, vt alienus Sacerdos assistat matrimonio, non est regulariter credendum. 338
Malum. An liceat minus malum proponere ad vitandum maius. 481

Matrimonium.

De matrimonio multa ad Caput decimum.
Extra templum fieri potest. 321
Consensus per interpretem præstari potest. 324
Matrimonium cum vnico teste in articulo mortis non valet. ib.
Possunt etiam & notati infamia in matrimonio esse testes. ib.

Ma-

Matrimonium nullum etiam ex defectu consensus renouandum coram Parocho & testibus, admonito altero coniuge de nullitate matrimonij, sic Clem. VIII. 325

Ad matrimonium non contractum impediendi sufficit vnus testis. ib.

Matrimonium per epistolam contractum valet, & est Sacramentum. 328

Matrimonium infidelium fidem suscipientium, an fiat Sacramentum, sine nouo consensu. 329

An à matrimonio contrahendo rudimenta fidei nescientes arceri possint. 330

Quid aget Parochus ex coniugum confessione matrimonium inalidum agnoscens. 331

Quid agendum cum peregrinis matrimonium celebraturis. 332

Quid aget Parochus occultum sponsorum impedimentum extra confessionem agnoscens. 333

Si duo sint Parochi insolidum alter, altero inuito, potest matrimonio assistere. 334

Matrimonium in Parochia sponsæ coram Parocho sponsi valet, & è conuerso. 329

Contractum coram Parocho irregulari, suspenso, excommunicato valet. 335

Quid si Parochus vero titulo careat, communi tamen errore, Parochus putetur. ib.

Valet matrimonium coram laico putato Sacerdote habente à Parocho assistendi facultatem. 336

Metus, vide Contractus.

Missa.

Missæ stipendium. 47

Tres Missæ aliquando eodem die dici possunt. ib.

An mulieres respondere possint in Missa. ib.
Sacerdos pauper pro una Missa plura stipendia non potest accipere. 47
Multa ad rectum studium casuum conscientiæ. 427. & seq.
Monita ad Parochos utilia. 19
Cum moribundis quid agendum. 273
Mors, vide Articulus.
De mortuis, ad caput decimum quartum. 424
Mulieres ab Altari absentes sacrificanti respondere possunt. 46
Mulier, quæ Sancta videbatur, Confessarium Theologum in hæreses impulit. 235. & seq.
Longiora cum mulieribus colloquia vitanda. 236
De mulieribus visiones referentibus. 405
Obstetrices sciant Baptismi formam. 150. & 152
Quid ex officio facere debeant. ib.

Opinio.

Pœnitens probabilem opinionem sequens absolui potest. 231

Parochus.

An cum periculo vitæ teneatur præbere Eucharistiam peste infecto. 274
Seruiat Ecclesiæ, eius Vicarius laboris socius sit. 18. & 19
Genio indulgens non facit fructus suos. 19
Ad Parochum monita. ib.
Parochus non residens, sine Papæ licentia, non facit fructus suos. 21
Abesse potest ad annum, de licentia Episcopi, si in sua Parochia graues habeat inimicitias. 20
Non Sacerdos à qua die teneatur recitare Horas.

Sacris verbis tenetur pascere gregem. 60
Quando tenetur præbere Sacramenta. 72. & seq.
Assistens matrimonio in mortali non peccat mortaliter. 120
Potest absoluere ab excommunicatione nemini reseruata. 230
Suorum matrimonijs validè assistet extra diœcesim. 329
Non Sacerdos non potest delegare pro matrimonio non Sacerdotem. 313
In articulo mortis absoluit ab excommunicatione, etiamsi adsit aliquis Pontificio priuilegio munitus. 233
Potest concedere Sacerdoti facultatem assistendi matrimonio, & administrandi Baptismum, Eucharistiam, Extremam Vnctionem. 277. & 278
Antequam sit Sacerdos, matrimonio assistere potest. 323
Moralis præsentia Parochi pro matrimonio requiritur. ib.
Parochus vagorum qui. 326
De Parochi iurisdictione pro Sacramento Pœnitentiæ. 233

Parochianus.

Alicuius Parochiæ, quando quis efficiatur. 330

Patrinus.

Potest esse aliquis procuratorio nomine. 150
Potest esse patrinus puer doli capax. ib.
Obligatio patrini. ib.
Cùm multi suscipiunt, & nullus est designatus, nullus contrahit cognationem. 151
Reiecti à Parocho si ingerant ad suscipiendum puerum cognationem contrahunt. ib.

Quæ intentio necessaria in patrino ad cognationem contrahendam. ib.

Periculum.

Mortis nunquam æquiparatur articulo. 115

Pœnitens.

Sequens probabilem opinionem absolui potest. 131
Rationabilem pœnitentiam recusare non potest. ibid.
Absolui potest, si postquam vocauit Confessarium, mentem amisit & sensum, neque hæc confessio per nuntium. 237
Quomodo à Confessario excipiendus. 238
Pœna conuentionalis debetur ante sententiam iudicis. 458

Prædicare, Prædicatio.

Prædicare in mortali, an mortale. 60
Quando concionator mortiferè peccet in concione. ibid.
Vtilia monita Xauerij ad concionatores. 61
Oret concionaturus, & consideret diuina dicta. ibid.
Libri Parocho concionaturo vtiles. 62
De obligatione Parochi ad instruendum populum diuinis verbis. 69

Præsentia.

Præsentia moralis Parochi, etiam per dolum vocati, & testium valet in matrimonio: sola physica non sufficit. 323

Procurator.

Vt validè contrahat matrimonium, quæ necessaria. 228
Quæ ætas in procuratore. 328
Mandanti contrahat cognationem. 150

Prudentia.

De prudentia Parochi. 355

Puer.

Doli capax potest esse patrinus. 151

Qua ætate suscipere debeat Eucharistiam. 267

Regina Scotiæ Eucharistiam illatans ipsa sibi ministrauit. 274

Religiosus.

In necessitate potest, absente Parocho, sub spe ratihabitionis, Extremam Vnctionem exhibere. 118

Excommunicatur, si præsumat sine priuilegio præbere laicis Eucharistiam. 276

Residentia.

De hac. 17

Sacerdos.

Quando eodem die duas Missas celebrare potest. 46

Plures Sacerdotes eodem tempore, vnus post alium, Extremam Vnctionem conferre possunt. 293

Senes.

Extremæ Vnctionis sunt capaces. 291

Sepultura priuandus hæreticus. 424

Non priuandus qui seipsum occidit amens. ib.

Cadaueris hæretici non denunciati sepultura sacer locus non polluitur. ib.

An paucarum horarum sepultura cadaueris excommunicati polluatur locus sacer. ib.

Quis, & cui possit sepulturam eligere. ib.

Trinitas.

Trinitatis inuocatio in Baptismo & Confirmatione necessaria. 116

Vagus.

Vagi qui, & quis eorum Parochus. 326

Vicarius Parochi.

Absenti (Vicecuratus dicitur) Sacerdoti concedere potest, vt matrimonium assistat. 403

Vicarius Episcopi.

Dispensat in denunciationibus. 321

Validè assistit matrimonio, suspensa Episcopi iurisdictione, denunciata excommunicatione. 336

Vnctio Extrema quando suscipienda, quam vim habeat. 414

Vide etiam, Extrema Vnctio.

Vsurarius.

Vsurarius publicus quis, & quando ad Sacramenta admittendus. 415

FINIS.

COL.

COLLECTANEA breuia pro Bulla Cœnæ Domini.

PRIMO.

Excommunicantur Hæretici cuiuscunque secta, eorundem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & Schismatici.

I. HÆRETICVS.

EXcommunicatio hæc perstringit Hæreticum omnem cuiusuis nominis, qui hæresim manifestauit actu externo, etiam occultissimo, etiam solitariè, & nullo præsente. *Omnes.*

2. *Hæreticus quis?* Hæreticus verò est, qui non credit determinatis ab Ecclesia Romana. Sair. *de cens. lib. 3. cap. 4. num. 16.*

3. *Probabilis.* Est sub hoc maledicto, qui res fidei habet probabiles, quia assensus debet esse certus, ne quis sit hæreticus. Azor. *1. par. lib. 8. c. 8. quæst. 6.*

4. *Dubius.* Qui dubitat in fide sciens & volens. Tol. *lib. 1. cap. 20. num. 3.*

5. *Ignorans.* Habens ignorantiam crassam, paratus tamen credere prędicatis per Ecclesiam,

à Soto iudicatur hæreticus, *distinct.22. quæst.2. art.3.post 5.concl.* negat vero Azor *1.par.lib.8.c.9. quæst.8.* Sayr.*c.d.n.15.* qui interpretatur Sotum, si ignorantia sit talis, quæ faciliter vinci possit.

6.*Hæreticus mentalis.* Non ligatur hac censura, Hæreticus mere mentalis, id est, qui nullo actu externo, etiam occultissimo, errorem manifestauit. *Omnes.*

Hic ab omni exposito potest absolui. *Omnes.*

7. *Manifestans signo indifferenti.* Si hæresim manifestauit, sed signo indifferenti, ad manifestandam tam hæresim, quam fidem, videlicet, annuendo capite, aiendo, ita est, subridendo, reum maledicti quidam aiunt, quidam negant. Azor *l.d.c.9.q.12.* iudicat negatiuam probabilem. Sayr.*ibi.num 23.* affirmantes sequitur.

8.*Ioco dicens se hæreticum.* Nec qui per iocum dicit se hæreticum. Azor *c.d.quæst.6.* Sayr.*c.4. num.31.*

9. *Nec legens, disputans.* Nec qui, cùm sit hæreticus mentalis, legendo, narrando, disputando, vel alienos libros transcribendo, hæresim suam ore pronunciat; dummodo hoc non agat animo exprimendi, vel confirmandi narratum errorem, nam tunc esset hæreticus. Azor.*c.d.q.7.*

10. *Ore tantùm.* Nec qui dolore, vel metu etiam leui, ore tantum, non corde, hæresim affirmat. Azor *c.9 q.9.& 10.* Concordat Caiet. *2.2.q.11.art.1.ad 2.& q.94.art.1.* quia vt quis hæreticus euadat, debet intellectu credere, quæ ore fatetur. Sayr.*c.4.n.13.*

11. *Edens vetita.* Nec qui transiens per loca hæretica, tempore ab Ecclesia interdicto carnes edit,

tdit, appositas ad periculum faciendum num sit Catholicus : quia hic actus indifferens, dummodo fidem interiùs retineat. Azor *lib.d. c. 27. quæst.3.*

12. *Apostata.* Excommunicatur præterea apostata à fide, id est, qui à fide Catholica transit ad sectam Turcicam, Iudaicam, vel Paganam. Suar.*ibi.* intellige voluntate & intellectu. Suar. *n.8.*

Qui ore vel corpore solùm, non animo dicit vel agit aliqua pertinentia ad dictas sectas, est à censura immunis. *Omnes.*

13. *Atheista.* Quid de Atheista? Si baptizatus, maledicto credo teneri, quia verè hæreticus; si non baptizatus, est liber; quia Ecclesia non iudicat de his, quæ foris sunt, etiamsi Iudæus, qui Deum vnum admittit; multo minùs, si alio nomine. Sil. infidelis: credo ratio eadem.

14. *Credens hæreticis.* Excommunicatur credens hęreticis, vt hæreticis, id est, quos hęreticos nouit.

Sufficit implicitè credat, etiamsi nihil explicet, vt idiota implicitè dicitur credere, dum credit, quicquid credit Ecclesia.

Talis esset, qui diceret, credo Caluino, vel Caluinus habuit veram fidem; volo mori in fide Caluini: qui ritus hæreticorum coleret, id est, qui faceret vel vellet facere, quod hæretici in morte vel in vita faciunt. Tol. Sayr. *ibi.* Sil. *hæres.1.q.7.* Azor *1.p.lib.8.c.15.q.1.*

Si tamen iste hæresim sola mente contineat, & nullatenus prodat, hæreticus mentalis dicetur.

Qui credit hęreticum esse virum bonum, non

vt est hæreticus, sed vt est quidam vir, non afficitur censura. Suar. *disp. 21. sect. 2. num. 5. 6. 7. de cens.*

15. *Receptans hæreticum.* Excommunicatur receptator hæretici, talis est, qui celat hæreticum, vel in domum recipit, ne in manus iudicum deueniat. Sufficit hoc agat semel, sufficit, etiamsi occultet, nec occisus occultanti vel familiæ dedecori sit. Azor *c. d. q. 2.*

Receptas hæreticum, non vt hæreticum, sed vt amicum, cognatum, non perstringeris censura. Azor *cap. 15. q. 3.* Nau. *c. 27. num. 56.* Caiet. *excomm. 1.*

Receptas, sed nihilominus hæreticus capitur, excommunicaris. Sayr. *c. 5. n. 4.*

16. *Fautor.* Excommunicatur fautor hæretici, vt hæretici. Talis est Dominus vel Magistratus, qui requisitus ab Episcopo vel Inquisitore omittit officium suum exercere contra hæreticum, non curat diligenter deduci, aut custodiri in carcere. *Omnes.*

Item testis, qui iuridicè interrogatus non docet verum, vt faueat ei. *Omnes.*

Item, qui cùm teneatur indicare hæreticum, non indicat. *Omnes.*

Fautor facto. Item, qui cùm sit priuatus, facto vel verbo fauet hæretico. Facto, si primario vel secundario iuuat hæreticum, vt euadat, fugiat è carcere, vel post fugam præbet equum viaticum, rumpit compedes, vel aliter ad fugam cooperatur. Sayr. *c. d. num. 5. 6.* Azor *c. d. q. 7.*

Honorem ei defert absque vlla causa excusante, vt cognationis, timoris, necessitatis, vtilitatis,

tatis, vel alia similis. Nau. *cap.27. num.60. not.1.* Sayr. *ibi.num.8.*

Fautor verbo. Verbo verò faues hæretico, si eum excusas, dicendo iniustè condemnatum, vel aliud simile. *Omnes.*

Faues, non vt hæretico, sed vt amico, excusanis à censura. Azor *d.q.7.* Caiet. *excom.1.*

Fautor non secuto effectu. Quid, fauisti, sed effectus non sequutus? Sayr. *c.d.nu.4.* censet probabiliter te excommunicatum: quia Canon principaliter includat fautores, non accessoriè, nam accessoriè inclusi non excommunicantur nisi effectu secuto.

17. *Hæreticus an manifestandus?* Priuatus es, si nullo iuramento cogeris hæreticum pandere, si non pandas, non incidis. *Omnes.*

Incidis in Canonem, si sacramento adigeris pandere. *Omnes.*

18. *Defensor.* Excommunicatur defensor hæretici, vt hæretici, qui vi, potentia, viribus, vel armis tuetur hæreticum, vt tutò viuat, vel ne capiatur, aut puniatur, aut ne examinetur, aut vt euadat, vel non fiat contra eum iustitiæ executio. Qui patrocinium illius suscipit, qui instrumentum conficit, vt illum adiuuet. Sayr. *ibi.*

Defendis etiam hæreticos in genere, v. g. ne capiantur, ne iudicentur, es sub eodem maledicto.

19. *Patrocinari hæretico vt licitum.* Patrocinaris illi iustè, id est, vt fieri solet in tribunali inquisitionis, non es censuræ reus. Similiter innoxiè illi patrocinaris in alia causa ab hæresi. Sil. *ibi.*

Si

Si defendas eum à violentia. *Omnes.*

Si faues, ne punitus, maius malum, vel malum grande eueniat bonis ; quia tunc bonis faues, non hæretico, credo.

Patrocinaris hæretico parato redire ad Catholicam fidem, vel dum ex processu non appareret illum esse hæreticum , non es censura astrictus, nam licere ait Iul. Clar. *pract. crim. l. 5. §. hæresis.*

20. *Hæretici præsumptio.* Si verò contra eum est præsumptio grauissima , eum per eam posse condemnari affirmat idem Clar. *ibi. q. 20. versu, Scias etiam* , videtur dicendum iuxta Clarum patrocinantem excommunicari , cùm patrocinetur illi , qui habeatur ab Ecclesia hæreticus. De ista præsumptione vide Sil. *Præsumptio & Indicium.*

21. *Legens librum hæreticum.* Excommunicatur legens librum hæreticum , sciens esse hæreticum, & de hæresi tractare.

22. *Legens quis dicatur?* Legis, sufficit siue voce emissa, siue submissa, siue solis oculis percurrendo, de Graf. *lib. 4. c. 18. n. 45.*

23. *Legens hæretica incidenter.* Non teneris hac censura , Si in libro Catholico legis sententiam hæreticam ibi relatam , etiamsi legas, vt scias illius argumenta. Nau. *c. 27. n. 56.*

Si audis alium memoriter recitantem librum hæreticum. Sayr. *c. 5. n. 13.* Nau. *ibi.*

Si tu ipse recitas. Sayr. *ibi.* de Graf. *decis. lib. 4. c. 18. n. 45.*

24. *Legens librum hæreticum, sed nondum prohibitum.* Si liber est hæreticus, sed nondum prohibi-

libitus, credo te excommunicatum, si intelligas lecta; secus si non intelligas: quia hoc idem est ac non legere, dummodo lectionem non audiat aliquis.

25. Num possis tu librum hæreticum corrigere, & correctum tenere, dum tu sis tantæ sufficientiæ, vt hoc bene valeas præstare? dicendum nunquam licere: nam nec licet etiam instructissimo, etiam ad impugnanda praua dogmata, absque Pontificio placet.

26. *Lectio libri hæretici quanta.* Quantum libro legendum pro hac censura? Quidam aiunt sufficere lectionem vnius aut alterius lineæ. Tol. *inst. c. 20. n. 16.* Azor *1. p. c. 16. q. 3.* parum discordat: alij aiunt sufficere etiam lineam, dummodo contineat integram & perfectam hæresim. Quo ad libros Catholicorum verò habentes annotationes, seu scholia hæretici, standum Indici Romano librorum: si tamen scholia sint adeo copiosa, vt potius censeantur liber? Suar. *l. d. num. 11.* legentes includit hoc canon,

27. *Tenens librum hæreticum.* Excommunicatur tenens librum hæreticum, creditum, vel scitum hæreticum, ni det Inquisitori, quamprimum commodè potest. Sayr. *ibi, num. 16.*

28. Tenens apud se, vel apud alium. Sayr. *ibi,* etiam sigillo obsignatum, etiam in arca clausum, etiam humi sepultum, etiam in pariete, vel alibi absconditum, etiam si humus, paries, vel locus sit alienus, quia omnibus his modis teneri dicitur,

29. *Librum hæreticum quis comburet?* An tenens possit ipse comburere? Azor *1.p.l.8.cap.16. q.11.* affert duas sententias, vnam negantem, alteram affirmantem: ipse tenet primam.

30. Habes precario librum hæreticum, cui trades, Domino ne, an Inquisitori? Inquisitori.

31. *Imprimens librum hæreticum.* Excommunicatur imprimens librum hæreticum, vt hæreticum. Afficitur censura Dominus libri, qui facit expensas impressionis, qui componit characteres, qui premit torcular, qui corrigit, qui chartam madefacit, & omnes propinquè ad impressionem agentes. Sayr. *c.d.n.17.*

32. *Defendens librum hæreticum.* Excommunicatur defendens librum hæreticum, ex quauis causa, publicè vel occultè, quouis ingenio vel colore & modo, quo est dictum supra de defensore hæretici.

33. *Schismatici.* Excommunicantur Schismatici, id est, qui nolunt subesse Papæ, vt capiti Ecclesiæ. *Omnes.*

34. Permittens se eligi in Papam non canonicè, & qui ei adhæret, est sub hoc maledicto. *Omnes.*

35. *Inobediens pertinaciter Papæ.* Excommunicatur, qui pertinaciter se subtrahit, aut recedit ab obedientia Papæ, nolens pertinaciter eius mandatis obedire.

Tol.*c.d.n.vlt.* Sayr.*c.5.n.25.*
& vt infrà.

* * *

SE-

SECVNDO.

Excommunicatur appellans à summo Pontifice ad futurum Concilium, eiusq; fautores.

36. *Appellans ad Concilium.* Secunda excommunicatio Bullæ est contra appellantes à Papa ad futurum Concilium. *Omnes.*

Appellantes ad præsens, vel ad prouinciale, vel ad particulare Concilium. Candelab. *casu 2. num. 9.* includit maledicto.

37. *Ad prouinciale vel ad particulare.* Si appellans sit Vniuersitas; Collegium vel Capitulum interdicitur. *Omnes.*

Censura hæc inuoluit accessoriè dantem auxilium, vel fauorem ad hoc. *Omnes.*

38. *Dans fauorem ante appellationem.* Dantem consilium Nau. *c. 27. num. 58.* includit.

Das auxilium, vel fauorem non incidis nisi appellatione sequuta. Nau, Suar. Sayr. *ibi.*

39. *Dans auxilium post appellationem.* Das auxilium, vel fauorem post appellationem nõ excommunicaris. etiamsi appellatum sit fiducia tali auxilij; excommunicaris verò, si talem fiduciam præstitisti promissione, aut quibusuis verbis ad hoc compositis. Suarez *ibi num. 16.* ante appellationem.

TERTIO.

Excommunicantur piratæ, atque eorum receptatores & fautores.

40. *Pirata, latrunculus marinus quis.* Tertia excommunicatio est contra piratam, & latrunculum maritimum excurrentem mare, præcipuè monte Argentario ad Terracinam vsque.

Pirata latrunculus maritimus, & cursarius idem. Talis autem est, qui principaliter versatur in agenda pręda maritima aut in interficiendis hominibus. Nauar. *cap.27.n.59.* Suar. *de censuris.disp21.sect.2.num.24.*

Latrunculus maritimus est, qui exiguo nauigio prædam agit, de Graf. *ibi.num. 64*

41. *Actus vnicus sufficit.* Vnicus actus piratam, & latrunculum constituit. Suar. *ibi*

42. *Discursio quæ.* Discursio hæc debet fieri in mari Papæ, id est, in mari Adriatico in locis temporaliter Pontifici subiectis, & in mari Mediterraneo in Terracino ad montem Argentarium.

43. *Discursus sine prædatione sufficit.* Discursio sufficit, etiamsi inefficax, id est, sine rapina. Suar. *l.d. num.19.fine.* Bulla Pauli V. anni 1616. habet discurrentes.

44. *E terra ininfestas.* E terra bombardis, vel alio instrumento nauigantes offendis, vt rapias, vel occidas, excommunicaris.

45. *Prædaris in littore.* E terra diripis nauem positam in statione in littore, credo te censuræ reum: quia verè in mari delinquis.

46. *Deprædaris in littore.* Dum piraticam exerces descendis in terram, vt aquandi causa, vel alia, & ibi furaris, vel occidis, excommunicaris. Sayr. *ibi. num.6.* Suarez verò *ibi num.19.* negat. Dicerem te teneri censura, quia mare discurristi ad prædam.

47. *Fautores, receptatores.* Includit hic canon fautores, receptatores, & defensores piratæ, & dictorum latrunculorum. Qui verò sint tales, vide sup. *num.40.*

Con-

Consilium dantes includuntur. Nauar. *ibi.* & ol. *ibi.num.vlt.*

48. *Remiges.* Remigantes verò, & gubernan- nauem piraticam an huius censuræ rei? De migantibus, & gubernantibus voluntariè o- nes rectè affirmant. De præstantibus verò hoc ctè Suar. *disp.21.sect.2.num.60.* Tol. *ibi cap. num. 8.* volunt peccare mortaliter, Suarez m.62. addit censura ligari, saltem si detur ca- in quo graue damnum remigando immine- reipub. Christianæ, videlicet, si omnes ces- do à remigando possent auertere tale dam- m. Ratio, quia bulla includat dantes auxi- m, consilium, vel fauorem, quale dant dicti miges: hunc tamen casum vix possibilem ad- mittit Suarez *ibi.* cum vno non remigante non desint alij, & nõ desint Turcę si desint Christiani.

QVARTO.

Excommunicantur naufragorum Christianorum cuiuscunque generis bona etiam in littoribus inuenta surripientes.

49. *Bona naufragantium.* Quarta excom- municatio est contra surripientes bona naufra- antium Christianorum.

50 *Bona Christianorum & infidelium.* Bona, est cuiuscunque generis. Bona debent esse Christianorum, etiamsi è naui infidelium per naufragium iacta. Say. *cap.8.num.7.* si verò sint fidelium, etiam è naui Christiani deiecta, non ducunt excommunicationem. Idem *ibi.*

51. *Dubitas.* Sicut non inducunt si sint apostatæ à fide, *dicimus de Turchi rinegati* Idem *ibi*

Ignorans sint ne fidelis vel infidelis, & surripis? si sit fidelis, excommunicaris; si infidelis, non, sed mortalis es reus, quia periculo mortali te exposuisti.

52. *Naufragij.* Debent esse è naufragio vel secuto per nauis submersionem, vel imminente ea iacta ad exonerandam nauim, & effugiendum naufragium.

Naufragium intellige in mari. *bulla.*

Si nauis in portu vetustate dissoluta submergatur? non credo, quia bulla habet, surripuerint ex naufragio, non ex submersione, vt olim habebat bulla Greg.XIII.

53. *Maria orbis.* Mari. Intellige maria totius orbis. *Omnes.*

54. *Surreptio quæ.* Surripuerint animo retinendi, statim ab acceptione excommunicatio. Suarez *ibi.num.29.* quæ non aufertur sola restitutione, sed addenda absolutio.

55. *Surripuerint inde.* Surripuerint siue in ipso mari, siue in littore. *bulla.*

56. *Excusatus ab hac censura surripiens. Compensatio, ignorantia, credulitas.* Excusatur ab hac censura surripiens.

Primò: Via compensationis iustæ.

Secundò: Inculpatè censuram ignorans.

Tertiò: Credens licitè ea posse accipi, vt potest euenire cum idiota, vel sciens quidem alterius esse, sed ignorans an sint ex naufragio.

57. *Derelicta.* Quartò: Credens bona illa derelicta.

Dere-

Derelicta quæ. Derelicta quæ sint talia, difficile dictu. Coniecturæ tamen quatuor possunt assignari.

Prima: Si res proiecta, vel periens est talis conditionis, vt statim in aqua sit peritura, vt saccum, metallum, & similia.

Secunda ex modo proijciendi; qui enim librum apertum proijcit in mare, videtur eum derelinquere.

Tertia, si re proiecta Dominus tacet, nec per se, nec per alium quærit.

Quarta, si proijciatur extra casum grauis necessitas, tunc enim videtur sponte derelinqui. Say. *ibi. num. 9.*

Potest addi quinta. Si Dominus nullo modo rem recuperaturus, & aliquis vitæ discrimini se obiecit, vt ea recipiat. *Less. de iust. lib. 2. cap. 5. dub. 18.* admittit tertiam, & quintam facere derelictam. Sed certè prima, secunda, & quarta non sunt minoris probabilitatis. Certum est, si re recuperata Dominus superueniat, & rem suam repetat, non ei denegandam, expensæ tamen recuperationis soluendæ. Sil. *naufragium, 9. omnes.*

58. *Dubium an derelicta.* Si dubium, an sint derelicta? habenda pro non derelictis. Azor. *p. 3. lib. 4. cap. 28. quæst. 3.*

59. *Accepta animo recto.* Accepisti ex naufragio animo restituendi, quomodo ages? Adhibebis diligentiam necessariam, iuxta regulas communes restitutionis, & durante bono animo es à censura immunis; superueniente verò malo animo, statim illius es reus. Say. *ibi.*

60. *An restituenda iuxta legem principis.* Si vero dum restitutionem cogitabas fuisti in mora. Te teneri maledicto.

Pontificis, seu alterius Principis, vel Camerarij, Thesaurarij, vel alterius Papæ officialis lege cauetur, vt statim talia bona dentur Armiraglio, vel alij determinatæ personæ, num teneatis ita agere? Quis dubitat, cum lex sit rationabilis, & ad euertendas fraudes solitas in similibus?

Si tamen iuxta regulas generales restitutionis restituas, rectè restitues.

61. *Non præscribuntur.* Bona ista nullo tempore, nullovè priuilegio, vel nulla consuetudine præscribuntur. *Bulla.*

QVINTO.

Excommunicantur noua pedagia, & gabellæ imponentes, vel augentes.

62. *Imponens nouas gabellas.* Quinta excommunicatio est contra imponentes pedagia, vel eas augentes.

63. *Pedagium quid.* Pedagium & gabella pro hac censura idem important, vulgariter dicuntur Datio, Doüana, Gabella, communiter imponuntur pro inuectione mercium, pro emptione, vel venditione rerum, pro transitu, vel ducatu earundem. Tolet. *lib. 1. c. 22. num. 7.*

64. *Veterem renouas.* Si imponis veterem gabellam paulò ante sublatam, credo te censuræ reum, quia verè imponis, quod à bulla vetitum.

65. Ex-

65. *Excedis in impositione.* Imponis gabellam ſtam quidem, ſed excedis, ligaris maledicto, ia iniuſtam exigis.

66. *Si exceſſus modicus.* Si exceſſus eſt modi-s, videlicet oboli; credo te excommunicari, ia ſumma non reſpicit obolum, ſed multos igendos, & ſumma euadit notabilis.

67. *Imponis, ſed facti pœnites.* Imponis obo-m, ſed ante exactionem pœnitentia ductus uocas? afficeris cenſura, quia impoſita, & de notabili, vt eſt dictum.

68. *Si prodigè.* Imponis gabellam exhauſto ario etiam prodigè, non ligaris cenſura, quia ſtam (vt ſupponitur) imponis. Leſ. *lib. 2. c. 33. ub. 6. num. 48.* ligaris, ſi imponas ad luxum vel odigalitatem. Leſ. *c. 33. n. 1.*

69. *Talia collecta.* Imponis taliam, præſtan-m, collectam vel tributum, non teneris ex-ommunicatione. Caiet. *excom. 71.* Suarez *l. d. ſ. 21. ſect. 2. n. 41.* Say. *cap. 9. num. 10.*

70. *Imponit quis gabellam.* Imponunt: Iu-e gabellam imponit omnis, qui in temporali-us ſuperiorem non recognoſcit, & à quo non ppellatur, vt Imperator, Rex, Respublica libe-a, Concilium generale, & ille cui competit ex conſuetudine antiqua, de qua non extat memo-ia in contrarium. Nau. *c. 27. nu. 61.* Suar. *ib nu. 6.* Tol. *l. 1. c. 22. num. 10.* Say. *c. d. num. 14 15. 16. 17.*

71. *Gabella quando iuſtè imponitur.* In caſi-bus ſibi à iure permiſſis. Tales ſunt, qui ſunt um cauſa rationabili, vel reſpiciunt publicam tilitatem, vel ſunt de rebus delatis cauſa mer-

cimonij, vel negotij: Ideo iniustè imponitur gabella rebus ad vitam, rebus ad agrum colendum, ad proprium vsum, ad propriam defensionem necessarijs. Sayr. *ibi num. 6.*

72 *Gabella natura iniusta, quando euadit iusta.* At & de his iusta. Primò si publica necessitas ita cogat, & vectigalia aliunde collecta non sufficiant. Reduc huc, si imposita sit pro sustentatione Principis, & decentiæ eius. Tol. *lib. 5. c. 72. num. 4.* Less. *ibi. dub. 6. à capite.* Secundò, si quidem sine necessitate, sed tamen sint imposita pro causa publica, ex consensu totius populi. Tertiò, si pro securitate publicarum rerum deuectarum, quando alia ratione earum securitati consuli nequit. Sed hæc benè reducitur ad primam causam. Quartò, si ita sit consuetudo immemorabilis, id est, supra centum annos, dummodo causa duret; pro qua imposita: Imò etiam si non duret, quia tunc præsumendum causam legitimam in locum prioris successisse. Less. *ibi. dub. 7.*

73. *Gabella moderata.* Secundus casus iustæ gabellæ, seu gabella secundo modo iusta est, si modus seruetur. Non debet excedere quartam partem valoris mercis. Tol. *lib. 5. cap. 73. num. 8.* quod est quatuor pro centenario singulo.

74. *Si cum authoritate.* Tertiò, gabella iusta est, si indicta ab habente authoritatem, vt est dictum.

75. *Si continuat cum causa.* Quartò si non continuatur diutius quam causa expostulat. Less. *l. d. cap. 33. dub. 6. Omnes.* excipe, vt est dictum. *num. 81.*

Et pro-

Et prohibita imponi exigunt.

Ligantur canone exigentes, ministri, famuli, conductor, & herus qui mandat ea exigi; etiam qui tanquam debita postulat. Suar. & Nau. *ibi.* & Graf. *lib. 4. cap. 18. num. 83.*

76. *Licentiam imponendi gabellas, quis det.* Ex speciali Sedis Apostolicæ licentia.

Princeps supremus, seu liber, sine ea licitè gabellas imponit, vt est dictum.

SEXTO.

Excommunicantur falsarij litterarum Apostolicarum, aut supplicationum, à quocunque authoritatem habente signatarum, & falso fabricantes literas Apostolicas.

77. *Falsarij.* Sexta excommunicatio est contra falsarios litterarum Apostolicarum, siue literæ sint viui siue mortui.

78. *Falsificatio fit per se.* Falsificatio, ad inducendam hanc censuram, debet fieri per se. Suar. *disp. 21. sect. 2. nu. 48.* Falsificans verò per alium reus est censuræ, *c. ad falsariorum, de crim. falsi.* sicut sunt fautor, & defensor, nemini reseruata.

79. *Falsarius quis.* Falsarius est, qui litteras mutat, ita vt non valentes faciat valere; vel valeates faciat magis valere, omnes. Siue hoc agat modis recensitis *à cap. licet. de crim. falsi.* siue quibusuis alijs, vide ibi Ostien. Ita vt falsificatio fiat siue in scriptura, siue in plumbo, vel in sigillo. *Omnes.*

80. *Falsificatio modica.* Falsificas litteram, vel punctum, quidam volunt te censura ligari. Cajet. *excom. 26. fine*, & citati à Say. vt infra.

81. *Falsarius literarum Apostolicarum.* Litterarum Apostolicarum, id est, quæ expediuntur sub plumbo. *Omnes.*

Breuis, id est, quæ expediuntur sub annulo piscatoris. *Omnes*

82. *Supplicationes.* Supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium signatarũ per Romanum Pontificem, vel Vicecancellarium eius, seu per gerentes vices eorũ, aut de mãdato Papę.

Falso signantes, &c. literas vt supra tam Papæ, quam Vicecancellarij, aut gerentium vices eorum. *Omnes.*

Alia pertinentia ad falsarios habentur *c. ad falsariorum de crim. falsi.*

SEPTIMO.

Excommunicatur deferens arma, & alia vsui bellico idonea ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos, & ad Reipublicæ Christianæ statum pertinentia ijsdem in damnum Christianorum nuncians.

Sarracenos, Turcas, & Christiani nominis hostes.

83. *Hostes Christiani qui.* Hostes sunt.

84. *Schismatici.* Schismatici, si arma ferunt contra Papam.

Pagani. Pagan. Say. *lib. 3. cap. 11. num. 14.*

Iudæi Iudæi. Say. *num. 15.*

Hæretici. Hæretici declarati nominatim per sectas, & etiam non declarati per sectas, sed solũ nominatim, Tol. *c. 24 nu. 4.* idem habet *nu. 8.*

Atheistæ Atheistæ, id est, qui fidem Chathol. deserentes nulli sectæ adhærent. Say. *ibi. nu. 16.*

85. De

85. *Dono, pretio, permutatione.* Deferunt siue dono, siue pretio. *Omnes.* etiam permutatione, modo cum vtilitate infidelis: secus si cum eius damno, vt dando infideli equum debilem pro generoso. Sayr. *ibi. num.* 27.

Nomine alieno. Etiam nomine alieno, vt nautæ, etiam si nautæ illi naulum aliter non lucrarentur. Sayr. *ibi.* Silu. *excom. 7. quæst, 21. num. 9.*

86. *Etiam arma pro defensione.* Etiam arma delata pro defensione, si permutentur cum deterioribus, secus si meliora recipiantur. Sayr. *ib.*

Etiam à transfuga. Etiam delata à transfuga ad exercitum Saracenorum. Say. *ibi.*

Si non prætendatur titulus religionis. Etiam in bello, alio titulo quàm religionis suscepto, ad dilatandum imperium, ad iura etiam iusta recuperanda. credo, quia sufficit infidelis adiuuetur contra Catholicum.

Etiam tempore pacis treugæ. Etiam tempore pacis. Sil. *excom. 7. q. 21. nu. 7.* contra ibi citatos. Multò magis si tempore treugæ. Idem *ibi.*

Etiam è loco infideli. Etiam delata è loco infideli ad infideles, sed contra Christianos. Tol. *c. 14. num. 16.*

87. *Tradens arcem infideli.* Tradens infideli speculam, arcem, vel traditionem consulens, promouens, vel iuuans. Say. *ibi. num. 17.* ex Nau.

88. *Ferens & transmittens.* Transmittit. & ferens, & transmittens censura ligatur.

89. *Extrahi permittens.* Extrahi qui permittit è suis portubus dicta, & dicenda. Sil. *excom. 7. q. 21.* ante notanda affirmat excommunicari.

90. *Vestes & earum materia.* Defers vestes,

& earum materiam, si tempore belli, reus es cēsuræ. Suarez *ibi. num. 56.* idem intelligesi deferas pannos ad cooperiendas naues, vel ad vela.

Sudariola. Immunis es à censura si delata sint bello inutilia, vt sudariola. Idem de pannis sericis propter eandem rationem.

Equos. Equos, etiam morbosos, etiam ad bellum non aptos. Nau. *c. 27. nu. 36.* Say. *ibi.* etiam prius ab infidelibus emptos.

Camelos, Asinos, Mulos. Includit Camelos, Asinos, Mulos, & alia bruta, quibus bellantes vti solent. de Graf. *ibi. num. 101.* Say. *ibi. num. 27.* Adde, vel possint vti, quia si das boues, vel bubalos, ad impedimenta, vel tormenta bellica vehenda canone perstringeris.

Arma offensiua & defensiua. Arma, tam offensiua, quam defensiua, cuiuscunque nominis. Nau. *ibi.* licet bulla habeat, impugnant connotans sola offensiua, tamen quia vix dantur arma offensiua, quin etiam non sint defensiua, recte tenet cum Nau.

91. *Armorum nomine quid.* Armorum nomine intellige, quæ ex communi vsu omnium, vel aliquarum nationum ad conflictum assumi solent. Nau. *ibi.* Say *ibi num. 28.*

Gladioli. Non quæ casu, vel necessitate aliquando assumuntur ad prælium vt gladioli ad scindendum panem, vel ad calamos aptandos. Say. *ibi.*

Baculi, Lapides, Fustes. Item baculi, fustes, lapides. ijdem *ibi.* Sil. *vt infra.* includuntur lapides apti ad bellum pro bombardis. Sil. *excom. 7. q. 21. not. 1,* Say. *ibi.* Non lapides ad ædificia. Sil. *ibi.*

Ligo-

Ligones, Rastra, Secures, Martelli. Ligones, rastra, secures, martelli, & huiusmodi ad faciendas fossas, muros, Say. *ibi. nu. 28.* Sil. *excom. 7. q. 21. in fin. ante 1. not.* admittit omnia, quæ directè & immediatè faciunt ad bellum.

Currus. Currus, Suar. *disp. 21. sect. 2. num. 53.* vel ad pugnam, vel ad vehiculum includit.

Lecticæ, Naviculæ. Lectica vel nauicula ad piscandum, vel recreationem.

Milites nudi. Milites nudos mittens. Hi veniunt sub nomine dantis auxilium.

Puluis tormentarius. Puluerē tormentarium, sal nitrum, sulphur, è quibus puluis conficitur, deferens, afficitur censura, quia ista habent specialem rationem armorum. Eodem modo afficitur docens ista, vel alia bellica efficacius operari, vel melius conseruari; quia dat consilium & auxilium.

92. *Ferrum, vena ferri.* Ferrum, tam factum quam infectum. *Omnes.* Sil. *excom. 7. q. 21. nu. 2,*

Clauiculi, Cultelli. Clauiculi, cultelli, fibia. & similia parua non includuntur, nisi tantam, multitudinem quis ferat, vt prudenter dubitari posset, ne eis, in vera arma conflatis, vterentur. Sil. *ibi. q. d. n. 2.* Say. *ibi.*

93. *Metallorum.* Omnia genera metallorum vel simplicium, vt plumbum; vel compositorum, vt orichalcum vel in rudi massa, vel in forma proximè apta ad bellum. *Omnes.*

Argentum, Aurū. Aurum, & argentū. *Omnes.*

Secretum alchimicum. Secretum pro conficiendo auro vel argento, aut alio genere metalli.

Tormenta bellica. A fortiori tormenta bellica magna & parua, ex quouis metallo.

94. *Tibiæ, litui, cornua.* Bellica instrumenta, vt tibiæ, litui, cornua & huiusmodi. Nau. *ibi. Omnes.*

Ornamenta quæ includuntur. An eorum ornamenta serica ex illis pendentia, vel ornamentum militum, vt pennæ pro galeris includantur, non credo: quia istis non impugnatur, & bulla habet, impugnant.

Omnia quæ dictis instrumentis sunt vsui, & ad oneranda tormenta, vt conspicilia ad collimandum.

95. *Machinæ.* Machinæ bellicæ omnis generis, etiam tunc de nouo inuentæ, item docere modum earum construendarum; quia hoc est auxilium dare.

96. *Lignamina.* Lignamina siue pretio, siue dono, omnis generis apta ad construenda triremes aut naues, aut instrumenta bellica, aut apta ad conficiendos aggeres. Nau. *ibi. nu. 31. Omnes.*

Triremes, & etiam naues. Nau. & Say. *ibi.*

97. *Canapem, funes.* Canapem, funes etiam ex quacunq; materia, vel ipsam materiã. *Omnes.*

Secretum ad funes. An secretum docens infideles pro conficienda materia noua, sed apta ad vsum canapis, vt de iuncis, ginestra, malua, reve alia incidat? Affirma, quia dat auxilium.

98. *Impugnant actu vel potentia.* Impugnant, licet non actu, sufficit possint impugnare. Sil. *ex-com. 7. quæst. 21. num. 7. in fin.* Tol. Suar. *ibi. nu. 56. in fin.*

99. *Excusatus à censura.* Excusaris ab hac censura. Si in-

Si inculpabiliter eam ignoras.

Si prohibita quidem defers, sed in vtilitatem Christianorum, vt debilia pro validis reportes.

Si defers praua, vt cultellos.

Si defers pro necessaria defensione propria, aut propinquorum, vel amicorum, vel pro rerum conseruatione, vrgente magno damno. Say. *ibi.*

Si tibi, vel rebus tuis immineat graue damnum, sed reipublicæ maius, Say. probabiliter vult te excommunicatione teneri si deferas: teneris tunc enim tu potius damnum tuum subire. Say. *ibi. num. 34.*

Certiores faciens Turcas & Christianæ religionis inimicos, & hæreticos, &c.

In damnum temporale, ait Say. *ibi. num. 35.* bulla ita. Qui per se, vel per alios de rebus statum Christianæ reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ religionis inimicos. Vbi videtur notandum loqui de statu temporali, quo ad Turcas, & quo ad inimicos Christianorum. Et quia bulla subdit, Nec non hæreticos in damnum Catholicæ religionis certiores faciunt, quo ad hæreticos includere statum temporale, & spirituale, quia vtriusque est Catholicæ religionis damnum.

Per se vel per alium. Sufficit per se vel per alios certiores faciant, dummodo certior faciens sciat quid agat. Suar. *ibi. num. 58.*

Per litteras. Sufficit per litteras censura ligatur, qui eas defert, dummodo saltem confusè sciat quid illis contineatur. Suarez *ibi.*

100. *Dans consilium, auxilium.* Auxilium vel fauorem præstans deferenti vel transmittenti prædicta prohibita. Suar. *ibi. nu. 59.* Tol. *ibi. n. 13.* Sed & certiorem facienti credo, quia bulla, postquam dixit de certiorem faciente, subdit, illis q; ad id consilium, auxilium, vel fauorem prestant.

Priuilegia omnia contra hanc bullam cuiuis concessa, per eam reuocantur. *Omnes.*

101. *Priuilegia contraria reuocata.* De remigibus in triremi Turcica vide *num. 15.*

OCTAVO.

Excommunicatur impediens eos, qui victualia, & alia necessaria Romam conuehunt.

102. *Victualia ne ferantur ad Rom. Curiam.* Victualia cuiuscunque generis, & animalia siue viua, siue mortua pro victu seu alia necessaria.

103. *Necessaria, commoda, vtilia.* Necessaria, vel absolutè vt alimenta pro hominibus, vel necessaria, id est, sine quibus vita commodè sustentari nequit, quod est idem ac commoda pro hominibus & animalibus vel necessaria, id est, vt libri.

104. *Curia Romana quid.* Ad vsum Romanę Curiæ, id est, familiæ Papæ, & omnium tribunalium Curiæ Papalis. Say. *ibi. nu. 3. cap. 12.* saltem immediatorum, vt dicetur melius infra. omnium Prælatorum Curiam dictam sequentium, quia Curiam constituunt.

105. *Sufficit ad vsum vnius.* Non est necesse sint in vsum totius Curię; sufficit in vsum aliquorum curialium, etiam vnius, quia priuilegium est personale.

106. *Vbi*

106. *Vbi Papa, ibi Roma.* Papa non est Romæ? vbicunque habitat adest Romana Curia. *Omnes.*

Si transeat ex itinere? Idem credo pro censura, si illata sint ad vsum Curiæ, quia eadem ratio.

107. *Impediens iniusti.* Impedientes, id est, iniustè, cuiuscunque præeminentiæ, conditionis, ordinis, aut status fuerint, siue sæcularis, siue Ecclesiastici. *Omnes.*

108. *Vt corrumpantur, perdantur, submergantur.* Efficis vt merces Romam delatæ ante accessum ad vrbem omnino corrumpantur, vel perdantur, vel submergantur.

109. *Emis ne Romam ferantur.* Absque vi emis prius res ne Romam afferantur, si hac intentione, vt impedias, teneris excommunicatione. Suarez *ibi. num. 64.*

110. *Spolians pecunia.* Spolias pecunia tantũ deferentem merces Romam. Say. *ibi. num. 4.* distinguit; si defers prædicta ciui particulari, qui non veniat nomine Curiæ, & pecunia spolieris, expoliantem non excommunicari, si verò defers in determinaræ personæ, excõmunicari.

Non perstringitur hoc Canone.

111. *Publicanus.* Exactor gabellæ, qui detinet merces fustam gabellam eludentes.

Paterfamilias. Paterfamilias, qui suos impedit ne deferant, ob periculum latronum, vel meretricum. de Graf. *num. 110.*

Vt prouideat. Qui vt suæ ciuitati, vel loco prouideat, impedit extrahere victualia, etiam deferenda Romam. Caiet. *excomm. 19. Omnes.*

Ob creditum. Qui suum debitorem ferentem Ro-

Romam fructus detinet, & via iuris curat sibi adiudicari.

Vt recuperet. Qui in itinere agnitum iumentum sibi furto sublatum detinet, vt recipiat, vel vi aut armis sibi vendicat.

Assassinus. Qui assassinus, vel ob inimicitiam impedit Romam deferentem aliqua certæ personæ priuatæ ratione emptionis, vel donationis; quia non sunt ad vsum Romanæ Curiæ, sed priuatæ personæ. Idem dicendum si huiusmodi agat solum ob inimicitiam quam habet cum deferente talia non ad vsum Curiæ, iuxta dicta *nu. 35. Saluo, &c.*

Pro necessitate. Qui positus in necessitate victus sui, vel suorum, delata Romam, pro se, & suis detinet.

Paruitas rei. Qui in re modica contra bullam agit.

139. *Quantitas sufficiens pro excommunicatione Papali.* Si quæras quæ sit in hoc sensu res modica? R. Papam olim non concessisse excommunicationem pro rebus perditis, nisi ascendissent ad summam quinquaginta aureorum. At minor summa pro hac excommunicatione erit sufficiens.

140. Quanta verò sit talis, difficile dictu; quidam periti consulti restrinxerunt ad tres iulios; alij ad quindecim, certa regula caret; Apostolicæ pœnitentiariæ iudicium quærendum.

141. *Defendens impediens.* Defendunt per se, vel per alios impedientes, vt est dictum, maledicto supposito.

NONO

NONO.

Excommunicantur ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, sua, aut aliorum opera ladentes, & sine iurisdictione vexantes in Curia commorantes.

Sedem Apostolicam vbicumq; fuerit, etiamsi extra Romam. *Omnes.*

142. *Tribunalia Papæ.* Etiam ad omnia tribunalia Papæ, adde immediata, seu Curiæ Romanæ. Suarez *disp. 21 sect. 2. n. 65.* Candel, *casu 9.*

143. *Pro negotijs.* Venientes, & recedentes, id est, pro negotijs, causis, vel pro rebus ad dictam sedem spectantibus, vel quoquo modo gratia illius. Suar. *ibi.*

Si accinctus itineri non sufficit. Non sufficit sit accinctus itineri, quia hic moraliter non dicitur ire, ergo necesse actu proficiscatur. Pœnalia enim expresse accipienda.

Venis ad dictam sedem gratia alterius, vel ex condicto? non gaudes hoc priuilegio, quia ad eam propriè non venis, sed ad amicum.

Recursum ad consultam. Petit recursum ad Consultam? Si denegas iustè, quia ei non competat, non ligaris censura, siue sis sæcularis, siue Vicarius Episcopi, siue regularis, profectionem molitur absque sui superioris placito. Candel. *ibi. num. 7. & 8.*

Interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent.

145. *Si vim repellendo.* Si vim vi repellendo, quædam ex dictis agas non teneris excommunicatione Candel. *ibi. n. 14.*

Singula tamen sufficiunt, si iniustè fiant.

146. Per-

146. *Percussio.* Percussio pugni, fustis, flagelli & similium non inducit censuram. Candel. *ib. num.14.* quia bulla explicat de mutilatione, vel occisione.

147. *Spoliant.* Spoliant, id est, tam rebus suis, quam alienis datis ad portandum, vel custodiendum. Candelab. *ibi. num.15.*

148. Qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam à nobis, vel nostris iudicibus non habentes temere talia agunt contra morantes in Curia.

Temere agens. Temere agis, si colore fraudulento agis. Candel. *ibi.* & auctoritatiuè, id est, vt iudex. Sayr. *ibi. num. 4.* Secus si authoritate propria, ira, vel odio. *Omnes.* Tolet. *c.26. num.4.*

149. *Curiales qui* Morantes in Curia, id est Curiales, qui mediatè, vel immediatè Papæ seruiunt, siue sint cum Cardinalibus, siue cum Episcopis, qui adsunt Curiæ. Tol. *c.26. num* 4. ergo non inclusi ciues vbi Papa commoratur. idem *ibi.* Credo hoc maledicto ligati, prædicta agentem contra quemcunque morantem in Romana Curia ratione Curiæ, id est, negotiorum habitatorum cum ea, etiamsi non sit curialis, quia verba Canonis ita videtur importare. *Salno, &c.*

150. *Mandans, Executor.* Mandans ista fieri impingit in canonem, si mandatum contineat cooperationem. Suar. *ibi. nu. 66.* cum qui facit similia authoritatiuè iuxta mentem bullæ communiter faciat ea mandando, & licet exequutor vt talis, non faciat authoritatiuè, sed vt merus exequutor, tamen includitur canone. Suar. *ibi.*

DECI-

DECIMO.

Excommunicantur ladentes Romipetas, seu peregrinos & in Vrbe morantes, vel inde abeuntes.

151. *Iniurius peregrino Romano.* Afficitur censura qui interficit, mutilat, vulnerat, capit, detinet, deprædatur Romipetas. *Omnes.* Suar. *disp. 21 sect. 2. n. 67.* Intellige singula dicta, si fiant iniustè, secus si iustè, vt pro defensione, pro ratione officij. *Omnes.*

Adde si singula sufficiant pro constituendo mortali, aliàs secus. Candel. *casu 10. nu. 3.*

152. *Romipeta quis.* Romipeta, siue equester, siue pedester. Talis est ciuis Romanus, etiam qui degens ruri, Romam causa deuotionis petit. *Omnes.*

Multò magis, qui aliunde Romam ob deuotionem proficiscitur: Sicut priuilegio gaudet, qui Romam vadit ex voto. Candel. *ibi. num. 9.*

153. *Accinctus peregrinatui.* Non gaudet hoc priuilegio, qui actu non peregrinatur, etiam si itineri se accinxerit; sicut nec qui è peregrinatione redijt, quia vere neuter est peregrinus. Sicut qui peregrinatur, sed nõ Romam. *Omnes.*

Vagus. Sic qui Romam quidem vadens huc, illucve vagatur. ita Candelab. *ibi. num. 11.*

Sic qui vadit Romam, & ibi moratur, etiam pro causis spiritualibus, vt dispensationibus, vel similibus. Candelab. *num. 9.*

154. *Percussio.* Romipeta alium percutit? Candelab. *num. 13.* negat censuræ reum, si rixa, & ira-

& iracundia percutiat; non affert rationem. Potest videri esse, quia Bulla loquatur de occisione, vulneratione, & mutilatione, non de percussione. Si verò ex percussione eueniat vulnus, reum censuræ facit. Candel. *ibi.* Potest tamen talis percussor excommunicari, intellige si percussio sit grauis. *c. Paternarum. 24. q. 3.*

155. *Peregrinus quamdiu duret.* Quanta debeat esse mora Romipetæ, vt desinat esse peregrinus, vt non gaudeat hoc priuilegio? credo quandiu habet animum recedendi. ex Silu. domicilium ex Innocen. expletis suis deuotionibus pro quibus venit, & moratur, nam pro eisdem rectè peregrinus dicitur.

156. *Morantes.* Morantes, id est, pro suis deuotionibus, non negotijs. *Omnes.*

Romæ causa deuotionis. Degis Romæ causa deuotionis, si offendaris aliquo ex dictis modis, censura non inducitur. Say. *c. 24. num. 6.* Caiet. Intellige si degis non recessurus. Sil. *domicilium.* Candel. *num. 10.*

Dantes consilium, auxilium, vel fauorem, maledicto tenentur, sequuto effectu. de Graf. *ibid. num. 114.*

VNDECIMO.

Excommunicantur offendentes in persona S. R. E. Cardinales, & Prælatos.

157. *Offendentes.* Tutati hoc canone.

Cardinales vel Prælatos. Cardinales S. R. E. Patriarchæ.

Archiepiscopi, Episcopi, Legati sedis Apostolicæ, vel Nuncij Bulla.

Car-

Cardinales. Pro excommunicatione contrahenda sufficit Cardinalis sit nominatus, etiamsi nondum consequutus sit galerum. Say. *c. 15. n. 3.*

Episcopus. Sufficit si Episcopus sit consecratus, etiamsi possessionem nondum fuerit adeptus: sufficit, etiamsi renunciauerit Episcopatui. Non sufficit si solum sit electus. Say. *ib. n. 4.*

158. *Familia eorum an gaudeat priuilegio.* An illorum familiares hoc priuilegio gaudeant? Quidam affirmant, citantur à Say. ipse distinguit, gaudere, si fuerint clerici vel religiosi, & ostendantur intuitu Cardinalium, vel dominorũ suorum. Say. *ibi. num. 3.* Armil. *excom. 2. num 3.*

Non credo, quia hic canon dat priuilegium personale in eo nominatis, & quare trahendum ad innominatos? & quare potius respiciet clericos, & religiosos quàm sæculares? Nunquid non fit iniuria Episcopo, si famulus sæcularis contuitu eius lædatur? Verum est tamen excommunicari per *c. Felicis in 6. de pœnis.* offendentem familiares Papæ, vel Cardinalium, si fuerint clerici, vel religiosi, & est Papalis. at ibi non loquitur de familiaribus Archiepiscoporum vel aliorum supra nominatorum.

159. *Interficiunt, mutilant iniustè.* Interficiunt, mutilant, &c. adde iniustè, secus si in necessariam defensionem; Vel si de nocte ignota persona. Candel. *casu 11. num. 4.* Say. *ibi num. 5.*

160. *Capiunt.* Capiunt, id est, cum effectu. Say. *ibi. num. 6.* non afficit censura, si in domo, vel castro obsidetur, non vt detineatur sed ad verecundiam. idem si sis iniurius facto. dicimus vulgariter, *far insulto,* dum est domi eadem de causa.

causa. Idem *ibi.* quia ista non sunt ex actionibus sub censura prohibitis, verius tamen credo affici censura, quia ista sunt iniuriosa, quod videtur sufficere, vt dicitur *num.167.*

161. *Detinent.* Detinent, id est, malitiosè.

Istos falsum docet. Malitiosè aliquem à recto itinere in obliqua dirigis, non credo te ligari censura, quia non detines.

162. *Eijcientes è locis suis.* Eijcientes è suis terris, id est, locis eiectorum, videlicet diœcesi, loco legationis, loco natiuitatis, & etiam domicilij Nauar. *cap.27. num.67.* Suar. *ibi. num.70.* de Graf. *cap.10. num.115.* Say. *ibi. num.8.* quia omnia ista loca secundùm Suarez dicuntur loca eiectorum.

163. *Eijcis è concilio.* Eijcis è Concilio, quod non sit diœcesis eiecti, non ligaris censura. Nau. Suarez, Say. *ibi.*

Distingue ligari, si ibi ratione officij legationis degunt. Suar. *ibi. num.70.* de Graf. *19. n.115.* aliàs non.

164. *Comminaris eiectionem.* Comminaris eiectionem, non teneris censura. *Omnes.*

165. *Eijcis in exilium.* Eijcis in exilium, reus es censuræ. de Graf. *ibi. num.116.* sufficit si è regno exire iubeas. Nauar. *ibi.* Contrahunt censuram lictores, & alij officiales, & quiuis alius istam iussionem exequens. de Graf. *ib. num.115.* Nauar. *ibi.*

166. *Eijcis dum non est in transitu.* Eijcis è terra tua, dum inde transit ad suum munus exequẽdum, credo re maledicto teneri, quia ratione sui officij inde trãsit, & tu eium prohibes officio suo fungi, quæ videtur mens canonis. 167.

167. *Hostiliter insequi.* Hostiliter insequens prædictos Prælatos animo grauiter offendendi, etiamsi absque animo tam hostili, modo publicè & manifestè insequaris, censura afficeris, est enim insecutio hæc iniuriosa. Say. *ib. n. 7.*

168. *Ratum habens quando.* Ratum habens, id est, quando eius nomine est factum, secus si alieno nomine factum ratum habeatur. Suarez *ibi. num. 71.* de Graf. *ibi. num. 117.* Say. *ibi n. 11.* vt citati *ibi.* Potest tamen etiam incurri censura per ratihabitione, in facto alieno nomine perpetrato; videlicet, cum factum habet declarationem successiuam, vt est detentio, vel incarceratio, tunc si ratum habes, dum tamē possis actionem impedire, censura te ligari ait Suar. *ibi. n. 4.*

169. *Consilium, auxilium, fauorem præstans.* Præstantes consilium, auxilium vel fauorem. Intellige efficacem, Suarex *ibi.* Nec isti prius excommunicationis sunt rei, quam delictum sit commissum, de Graf. *ibi. Omnes.*

DVODECIMO.

Excommunicantur ad Romanam Curiam pro negotiis suis recurrentes per se vel per alios ladentes.

170. *Ladentes qui ad Curiam recurrunt.* Omnes talia agentes, nullo exempto, ligantur censura. Suar. *ibi num. 73.*

171. Romanam curiam, id est, ad omnia, & singula tribunalia Papæ. Candel. *casu 12. nu. 1.*

172. *Tribunalia tam spiritualia, quam temporalia.* Alia tribunalia Romana, vt Capitolij, &

omnium Principum Romę commorantium exclusa. Quoad Principum, Candel. *ibi.* quoad Capitolium, idem iudicium; quia eadem ratio, cum audis tribunalia Papæ, intellige tam quæ sunt pro spirituali, quam quæ sunt pro temporali dominio Papæ, quia omnia sunt Papæ.

Papa cuidam Vniuersitati dat specialiter Gubernatorem seu protectorem, tribunale istius gubernatoris cuius dicetur? credo Papæ, quia eodem loco est, ac alia tribunalia Papæ. Huc reuoco protectores religionum, & alios quos uis à Papa deputatos.

173. *Percussio.* Percutit, multò magis si vulneret. Candel. *ibi. nu. 4.* non vult affici hac censura, qui alapa percutiat. non credo, quia bulla habet, quomodocunque percutiat, saltem si alapa sit mortalis, vel ratione grauitatis percutientis, vel ratione personæ percussæ.

174. *Iniuria quæ non censeatur percussio.* Non censetur percussio, si inficias sputo, si pallium rumpas, Candel. *ibi.* dummodo iniuria affectus non sit Clericus, quia tunc incideres in cap. *si quis suadente. &c.*

175. *Transmittere sufficit.* Recurrunt, sufficit negotium transmittere ad Curiam absque personali accessu ad illam. Say. *ibi. num. 5.*

Sufficit ista agere contra morantem Romæ dum recurrit pro causis, vt supra Tol. *lib. 1. c. 27. num. 2.* Imo qui in hunc canonem incidit, duabus excommunicationibus irretitur, videlicet noua, & præsenti. Idem *ibi.*

176. *Offensio sit occasione causarum.* Occasione dictarum causarum. ergo non afficitur censura, qui alia occasione offendat. *Omnes.* Si

Si secundario offendis. Si non principaliter, sed
cundario offendis occasione dictarum causa-
m? Credo te reum censuræ, quia bulla ait,
oquo modo directè, vel indirectè.

Auxilium, consilium, fauorem præstans. Inclu-
antur præstantes auxilium, consilium, vel fa-
orem, Bulla. *Omnes.* sed sequuto effectu.

DECIMOTERTIO.

Excommunicantur appellantes à grauamine vel futura executione litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem, & dictam appellationem admittentes.

177. *Appellans ad grauamina litterę Apostolicę.* Ab ista censura ieiunè se expediunt aliqui.

Hæc censura tres habet partes.

Prima includit:

178. *Curia laica quæ.* Qui prætendens frivolam appellationem à grauamine, & futura
xecutione litterarum Apostolicarum recurrit
d Curiam laicam. Curia laica est, etiamsi ei
præsidens sit ecclesiasticus, in suo patrimonio,
dummodo tribunal sit laicum, id est, exerceatur auctoritate non spirituali, sed laica.

Qui facit admitti dictas appellationes à potestate laica, etiam instante fisco.

Qui capere facit litteras Apostolicas per laicam potestatem.

Qui litteras prædictas à laica potestate detineri facit. Nomine verò litterarum intellige, in forma breuis, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, processus executoriales, quæcunque

decreta Papæ, Legatorum, Nunciorum, Præsidentium, Cameræ Apostolicæ, Auditorum, Commissariorum, Iudicum, & Legatorum Apostolicorum.

Secunda pars Canonis includit.

Magistratus ipsos impedientes executionem literarum Apostolicarum, prohibentes earumdem executionem impedientes, seu prohibentes instrumenta vel acta confici super earum literarum executione; impedientes seu prohibentes acta confecta tradi partis: partes actrices, agentes ipsarum, consanguineos, affines, familiares, Notarios, Executores, Subexecutores litterarum Apostolicarum, capientes, percutientes, vulnerantes, carcerantes, detinentes, eijcientes è ciuitatibus, locis, regnis, spoliantes bonis, perterrefacientes, concutientes.

Quid sit concussio, vide Armil. *concussio.* comminantes siue per se, siue per alios publicè, vel occultè.

Tertia pars Canonis includit:

Præsumentes impedire accedentes ad Curiam Romanam pro negotijs, litteris, seu gratijs impetrandis: statuentes dicta, mandantes ne quis accedat ad curiam, Romanam pro dictis causis: vel ne litteras, aut gratias impetrent, aut ne impetratis vtantur, præsumentes apud se retinere litteras impetratas.

Præsumentes eadem retinere apud notarium, aut alios quomodolibet.

Omnia ista intelliguntur de re graui, sufficienti ad mortale constituendum.

DECI-

DECIMO QVARTO.

Excommunicantur impedientes executionem litterarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum, & prohibentes ad gratias impetrandas accedere.

179. *Impedientes executionem litterarum Apostolicarum.* Quæ dicta sunt de priori censuræ per omnia intelliguntur de præsenti. Suar. pro intelligentia huius Canonis remittit se definitioni sanctissimi, sicut Nauar. *c. 27. nu. 70.* prius se remiserat, pro canone decimonono.

Qui à quibusuis iudicibus Ecclesiasticis auocat causas spirituales, vel spiritualibus adnexas.

180. *An Ecclesiastici inclusi.* Quæcunq; persona cuiusuis dignitatis laicæ; siue spiritualis, vt Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Commendatarius, seu Vicarius, siue per se, siue per alium, qui hæc agat. Say. *c. 18. n. 5.* probabiliter censet includi Ecclesiasticos ista agentes, etiam authoritate Ecclesiastica, tandem in affirmatiuam inclinat, hoc credo tenendum. Bulla enim clarè nominat Archiepiscopos & alios inferiores Prælatos.

Qui tanquam iudex se intromittit in cognitionem dictarum causarum.

Qui compellit partes actrices, qui committi fecerunt huiusmodi causas ad reuocandum, vel reuocari faciendum citationes, inhibitiones, aut alias litteras pro eisdem causis decretas.

Qui compellit dictas partes ad faciendum absoluere à censuris, & pœnis in illis contentis, aut

ad consentiendum absolui eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt.

Qui impedit executionem litterarum Apostolicarum executorialium processuum, & decretorum quomodolibet.

Qui dat fauorem, consilium, aut assensum, id est, ad practica perpetranda, & dat efficacem.

181. *Causæ spiritualibus adnexæ.* Causæ spiritualibus adnexæ. Sil. *causa q. 5.* tres numerat: de Decimis, de Matrimonio, de Iurepatronatus. Azor. *1. p. l. 5. cap. 14. q. 1.* aliquid simile docet.

182. *Remedium in litteris subreptitijs.* Quid remedij erit, si litteræ Pontificiæ fuerint subreptitiæ. Docet Azor. *c. d. q. 3.* excipiendum, vel opponendum apud iudicem legitimum Ecclesiasticum. Si verò litteræ non sint subrepritiæ, sed derogatoriæ iuris patronatus nominatim, tunc appellandum, & prosequendum, vt est dictum supra.

DECIMOQVINTO.

Excommunicantur Iudices seculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua tribunalia, quiq; Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

183. *Agentes contra libertatem Ecclesiasticam.* Libertas Ecclesiastica in quo consistat, vide Sil. *immunitas 1. & 2. per tot.*

Porro contra libertatem Ecclesiasticam agit, qui agit contra priuilegia concessa rebus, & personis Ecclesiasticis à iure diuino, & quouis humano. *Omnes.*

An hanc censuram contrahat lædens immunita-

litatem Ecclesiasticam, Marcus Anton. Ienuen-is *in praxi Archiep. Neap. correcta cap. 17.* negat, quia hic solum agitur de statuente.

184. *Etiam contra priuatam libertatem.* Ligatur Canone.

Qui trahit ad suum tribunal Ecclesiasticas personas disiunctiuè, vel collectiuè, vt collegia, vel instante parte, vel ex officio.

Qui procurat, vel facit trahi excõmunicatos.

Qui facit, qui decernit, qui publicat statutum, ordinationes, pragmaticas, vel quæuis decreta contra libertatem Ecclesiasticam, directè vel indirectè. Tol. *vt infra cap. 38.*

Qui decretis vtitur, afficitur Censura. *Bulla.*

185. *Statuere incipiens, sed non perficiens.* Incipit quis statuere, sed non perficit, etiamsi statutum non reuocet, non est censuræ reus. Tol. *lib. 1. cap. 38. num. 13.*

186. *Scriptor an ligetur.* Scriptor talium an excommunicatus? Suar. *num. 79.* disputat in vtramque partem, eandem affirmat.

187. *Statutum per accidens contra libertatem.* Si statutum per se non respiciat res Ecclesiasticas, neque earum exemptionem minuat, licet legislator directè intendat detrimentum aliquod, quod inde per accidens potest resultare in personas Ecclesiasticas, non tenetur hoc maledicto. Suar. *num. 91.* dummodo statutum non peradnexa, & quod sequitur per accidens, non sit ita coniunctum, vt moraliter æstimari possit esse per se. Suarez *ibi.*

Si vniuersitas aliquid cõtra libertatem Ecclesiasticam statuat, num singuli excõmunicentur,

cum vniuersitas nõ possit excommunicari, Suar. *num.88.* affirmat. Intelligit singulos de vniuersitate statuentes.

188. *Consuetudo contra libertatem Ecclesiasticam.* Includitur qui vtitur consuetudine contra libertatem Ecclesiasticam. Say. *ibi.num.vlt.*

Præter Iuris Canonici dispositionem.

Adest alia excommunicatio pro hac eadem materia *in cap.Noueritis.de sent.excom.* vide Nauar. *cap.27.num.110.* explicantem.

DECIMO SEXTO.

Excommunicantur impedientes Prælatos ne sua iurisdictione vtantur, quique illorum, & delegatorum iudicia eludentes ad Curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt. Præstantesq; auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem.

189. *Prælatus qui.* Prælatus est, qui habet iurisdictionem ordinariam, non delegatam, fori contentiosi etiam ex iure speciali, vt præscriptione, vel priuilegio. *c. Decernimus. de iudic.* Sil. *Prælatus.*

190. *Delegatus an Ordinarius.* Sed & Say. *c. 20. num. 4.* censet hac censura teneri, qui in ea vetita agit contra Ordinarium, cum procedit non vt Ordinarius, sed tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus. Imò includit delegatum ab Ordinario. *Bulla clarè.*

191. *Impediens Prælatos sua iurisdictione vti.* Tenetur hac censura:

Qui quosuis Prælatos, vel Iudices Ecclesiasticos

sticos ordinarios impedit directè, vel indirectè, ne sua iurisdictione vtantur, carcerando vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos & affines.

Qui recurrunt ad Curias seculares, vel alias eludunt sententias iudicium Ecclesiasticorum ordinariorum, vel delegatorum

Qui procurat à Curijs secularibus prohibitiones, aut mandata etiam personalia contra sententias Ordinariorum, aut delegatorum.

Qui decernit huiusmodi prohibitiones aut mandata.

192. *Auxilium, fauorem, patrocinium præstãs.* Exequentes eadem.

Dantes consilium, auxilium, patrocinium, & fauorem: id: secuto effectu.

Patrocinium intellige, vt supra *num. 21.*

An omnia hæc debeant concurrere, cum copulatiua declarentur, vel an sufficiat quoduis illorum? Verè copulatiua requirit concursum copulatorum extr. ad conditorem de sent. excom. verum attenta mente Bullæ credo singula sufficere.

DECIMOSEPTIMO.

Excommunicantur vsurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcunq; Ecclesiarum iurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes.

193. *Vsurpans iurisdictionem Ecclesiasticam, & sequestrans fructus.* Ista vsurpatio debet esse iurisdictionis Ecclesiastici fructus, redditus, vel prouentus; ergo non patrimonialis, etiamsi per Ecclesiasticum possessi.

194. *Vsurpare quid.* Vsurpare, id est, quasi sua sibi appropriare. Tol. *cap. 29.* Caiet. vult sufficere vsurpare, vt res Ecclesiasticas. Say. verò *c. 21. num. 4.* sufficere si vsurpentur absque alio respectu, dummodo vsurpans sciat esse Ecclesiæ.

195. *Latro non dicitur vsurpare.* Ideo latro furto auferens, non fit censuræ reus, quia non vsurpat. Nauar. & Say.

196. *Ecclesiæ Cardinales, & Legati* Sufficit dicta bona sint Ecclesiæ vacantis. Nau. *cap. 27. nu. 69. fine.* Say. *c. 21.* Suar. *ibi. num. 97.* Tolet. verò *c. 29. num. 6* negat.

293. *Dans consilium, auxilium, &c. an inclusi.* An includantur dantes ad hoc consilium, auxilium, vel fauorem. Tol. *cap. 30 num. 6.* affirmat, & hoc esse commune istis censuris, à decimaquarta, vsque ad hanc inclusiuè.

DECIMOOCTAVO.

Excommunicatur imponens decimas & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasterijs, aut eorum fructibus.

294. *Imponens onera Ecclesiasticis.* Non solum beneficij? *Omnes.*

295. *Etiam patrimonialibus.* Sed etiam patrimonialibus. Say. *c. 22. num. 9.* Tol *c. 30. nu. 4.* Nauar. verò *c. 27. num. 115.* & Suar. *num. 99.* contrarium docent.

296. *Exigentes etiam à sponte dantibus.* Etiam exigentes. *Omnes.* Dummodo de re sufficienti pro mortali. *Omnes.* Exigentes etiam à sponte dantibus, dū tamen impositio includat etiam cleri-

clericos; videlicet soluant tot tam laici, quàm clerici, quia si clerici excluſi, recipies à ſponte dante, non afficitur cenſura. Say. *c.d.num.10. Omnes.* Sed & pœna, quę olim erat pro ſponte dante ſublata eſt per *cap. Quod olim extr.*

297. *Gabella de minutis proprijs an licita.* An gabella de minutis proprijs, ſeu pedagijs licita; Nau. *cap.27. num.69. not.7.* videtur excuſare à cenſura; non video rationem, quia bulla clarè obſtat, certè quantumuis minima conſtituit ſummam notabilem, & per conſequens ſufficiens ad mortale. vide *num.77.*

197, *Conſul non reſiſtens, impoſit. gabellæ.* Conſul, Gubernator, Conſiliarius dum onera decernuntur, ſi pro viribus contradicit, immunis eſt à cenſura, etiamſi non cedat officio. Nauar. *c.27. num.115.* Suarez *num.101.*

198. *Dans conſilium, auxilium, fauorem.* Includitur cenſura qui directè, vel indirectè per ſe, vel per alios iſta prohibita exequi procurat, aut dat conſilium, auxilium, vel fauorem. *Bulla.*

199. *Innouati Canones qui.* Innouantur hac cenſura ſecundùm Tolet. *cap.30. num.5.* omnia decreta, & Concilia generalia, & canones ſuper hanc materiam lati. Inueniuntur autem de hac re hi canones; *cap. Non minus.* & *c. aduerſus de immunit. eccleſ. cap. Quoniam in 6. eodem titul. &c.* Quod olim extr. fortè Bulla quæ erat tempore Tolet. ita intelligenda erat. At Bulla iſta ait. Innouantes decreta ſuper his per ſacros Canones, tam in Lateranenſi nouiſſimo celebrato, quàm alijs Concilijs generalib. edita. ſed cũ *c. Quoniam*, &c. clericis ſint. Bonifacij, &c.

quod olim sit Benedicti, renouans tamen Concil. Lateranen. restat. *cap, Aduersus.* & *cap. Non minus esse Concilij*, & hos Bulla innouari. Decernunt autem dicta capita, vt est dictum supra.

200. *Successor eius qui onus imposuit ad quod tenetur.* Porrò per cap. *Aduersus.* successor in regimine ei, qui onus imposuit, si hic non satisfaciat, ille tenetur satisfacere: quod si intra mẽsem, si per eum non stetit, non satisfecerit, incidit in excommunicationem, non tamen hanc Bullæ, sed Canonis nemini reseruatam. Suar. *ib. num. 100.* Satisfaciat verò excommunicationibus bonis, seu curabit, vt qui bona accepit, restituat. Quod si per eum non stetit, non incidit. Suar. *ibi.* Tol. *lib. 1. cap. 38. nu. 5.* satisfactionem vult ita intelligendã, vt satisfactio fiat per eum in cuius commodum conuersa est collecta, vel contributio, deinde de delicto puniatur arbitrio iudicis: si tamen satisfactionem non potest obtinere, retinente vniuersitate, sicut non tenebatur officium non acceptare, sic non tenetur ipsũ dimittere; tutius esset si dimitteret, tamen si non dimiserit, nõ est excommunicatus. Tol. *ibi.*

DECIMO NONO.

Excommunicantur Iudices seculares, qui se interponunt in causis capitalibus seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas.

201. *Contra immunitatem personalem Clerici.* Iudex secularis quo ad hoc est, qui iudicat, vt laicus, etiamsi sit persona Ecclesiastica; vide nu. 191. etiamsi agat sub spe licentiæ obtinendæ à San-

sanctissimo etiam petitæ, & solitæ dari in similibus; quia agit dum nondum potest.

202. *Persona Ecclesiastica quæ.* Persona Ecclesiastica quoad hoc priuilegium est, si iuxta Trid. *sess. 23. c. 6. de ref.* habitum deferat clericalem, & tonsuram, & alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi adscripta sit.

203. *Quomodocunque concurrentes.* Perstringitur hoc maledicto quicunque quomodocunque concurrit ad præfata, vt Notarius, Scriba, Executor, Subexecutor. *Bulla.* etiamsi pœna sanguinis non condemnetur, vel non exequatur. *Omnes.*

Imò minister iustitiæ capiens, vel etiam leuiter percutiens Clericum pro causa criminali, est pro absolutione ad Sanctissimum mittendus.

204. *Excusati ab hac censura.* Excipitur ab hac censura, qui hic vetita agit, ex licentia specifica à Summo Pontifice sibi data, id est, ad cognoscendum pro tali delicto. Suar. *num. 103.*

Item si Clericus priuilegium fori perdidit.

An excusetur, qui putat hic vetita sibi licere, prætenso priuilegio.

205. *An percutiens Clericum non ferentem habitum excommunicetur.* Quæres fortè, an percutiens Clericum non deferentem habitum, & tonsuram iuxta Trid. vbi supra excommunicetur? Say. *de cens. 3. cap. 23. num. 10.* Suar. vbi sup. *d. 22. sect. 1. nu. 6.* volunt à censura excusari. Comit. verò *resp. mor. lib 6 quæst. 10.* ait, ex decreto Cong. non excusari. quia Ecclesiastici habent duplex priuilegium, vnum fori, de quo in hac Bulla, alterum Canonis, de quo cap. *si quis suadente,*

dente. & priuilegium Canonis non perditur, si non deferatur habitus, & tonsura.

VIGESIMO.

Excommunicantur occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ & illius iurisdictionem vsurpantes.

206. *Occupantes loca Ecclesiæ Romanæ.* Sufficit pro maledicto contrahendo inuasio quorumlibet locorum dictæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè ei subiectorum, etiam ratione inimicitiæ, vt dum ciuitas in partes est distracta. Say. *cap. 24.*

207. *Inuasio sufficit.* Sufficit etiam vexatio eorundem locorum. *Omnes.*

208. *Num pro defensione inuasio licita.* Num regulus bellum gerens cum alio regulo Pontificei subdito, possit illius ditionem inuadere? Non vi huius Canonis.

209. *Episcopus non absoluit.* Episcopus in his casibus non absoluit, etiamsi occultis, non faciente Trid. *sess. 24. cap. 6. de refor. liceat*, &c.

210. *Absolutio in morte.* Absolutio in morte datur, vt dicitur *cap. 5. à num. 24.* Si absoluendus deliquit contra libertatem Ecclesiasticam, non prius absoluendus, quam decreta pragmaticas, & similia contra præfatam libertatem sanciras, exaserit è libris & sustulerit è locis vbi posuerit. *Bulla.*

HVIC OPVSCVLO HAVD INCONGRVE ADIECTI SVNT Tres Aurei Tractatus à tribus Celeberrimis ac magni nominis Scriptoribus ante aliquot annos in suis Diœcesibus propositi.

I. Instructiones administrandi Sacramentum Confessionis.
II. Modus Concionandi, Et
III. Studendi Theologiæ.

BREVIS INSTRVCTIO PRO CONFESSIONIBVS EXCIPIENDIS.

QVæ Confessario præcipuè cognoscenda sunt, ea videntur commodè reuocari posse in 5. Capita: *Primò*, ad Potestatem requisitam. *Secundò*, ad Scientiam. *Tertiò*: ad Prudentiam. *Quartò*, ad Bonitatem. *Quintò*, ad Curam in seruando Sigillo Confessionis.

CAPVT I.

De Potestate necessaria ad Confessiones.

PRIMO ergo quoad potestatem, tria sunt necessaria, ordo sacerdotalis, iurisdictio, & vsus eius non impeditus. *Primùm* igitur ordo sacerdotalis necessarius est, qui quidem in re est character, quatenus ex Diuina ordinatione per illum quispiam deputatur, vt possit esse Iudex in foro pœnitentiæ.

Du-

Duplicem enim potestatem recipit Sacerdos in sua ordinatione, *vnam* in ordine ad consecrandum corpus Christi verum, *aliam* in ordine ad consecrandum corpus Christi mysticum, id est, ad absoluendum fideles.

Hæc autem dicitur potestas clauium; quæ duæ sunt. *Vna* est clauis scientiæ, per quam habet Sacerdos facultatem interrogandi pœnitentem, & cognoscendi causam eius. *Altera* est clauis potestatis, iudicandi scilicet causa cognita, absoluendo, vel ligando. Per hunc ordinem Sacerdos fit proximè capax ad recipiendam iurisdictionem, sine qua est de fide absolutionem nullam esse. Vnde nulla in ordinatione ex vi ordinationis confertur iurisdictio, & omni hac priuari potest Sacerdos.

Habet tamen de facto quiuis sacerdos etiam ante approbationem ab Episcopo & iurisdictionem ab eo receptam, potestatem plenam, id est, cum iurisdictione illi delegata ab Ecclesia (quæ etiam nunc ex tacito consensu summorum Pontificum perdurat, idque ostendit consuetudo & traditio absoluendi quoscunque in tribus casibus. *Primò* in articulo mortis, vel mortali periculo quæ nonnunquam aufertur, nec etiam excommunicato, aut degradato. *Secundò* à venialibus, quæ aufertur ab denuntiato, vel notorio percussore Clerici. *Tertiò* à mortalibus alias confessis, quæ eodē modo aufertur à prædictis.

Secundum, quod est necessarium; est Iurisdictio; id est, auctoritas, qua vous est alteri superior in foro pœnitentiali, quæ habetur per concessionem extrinsecam Ecclesiæ. Hæc autē

duplex

duplex est. *Prima* ordinaria, & residet in ijs, qui ex vi alicuius muneris, & officij ad quod assumuntur, sunt superiores alijs. *Secunda* delegata, quæ habetur per concessionem ab ordinarijs. Ordinaria autem est *primò* in Papa à Christo immediatè, independens ab humana, vniuersalis quoad loca omnia, personas, culpas & modum ea vtendi per se, vel per alium: ad quam reducitur potestas, quam habet summus Pœnitentiarius & Legatus à latere. *Secundò* in Episcopo, Archiepiscopo, Primate, & Patriarcha, quæ dependet à Papa, & est cum restrictione ad suam diœcesim ad quam reducitur potestas, quam habent Generales, & Prouinciales in Religionibus. *Tertiò* in Parocho, qui dicitur proprius Sacerdos, ad quem reducitur Vicarius eius perpetuus, Archipresbyter, & Superior immediatus in Religione, vt Rector, Prior, Guardianus, &c.

Delegata vero Potestas tribus modis esse potest. *Primò* à iure, respectu pœnitentium; qui possunt sibi eligere confessarium. & hæc, si sermo sit de iure diuino, est in solo Papa, si de humano, est in Episcopis, & eorum Superioribus, nec nõ etiam in inferioribus Prælatis exemptis, qui scilicet non subduntur Episcopis, vt sunt Prouinciales Religionum, & Abbates. & similes iuxta diuersum vsum Religionum. Eadem videtur esse in Parochis, & simplicibus Sacerdotibus; saltem consuetudo in multis locis arguit facultatem esse concessam, vt pluribus deducit Suar. *sect. 3. disp. 27. tom. 4. in 3. part.* *Secundò* à consuetudine, qualem habent omnes Sacerdotes in tribus casibus supradictis. *Tertiò* ab homine

mine per concessionem vel priuatę personæ, vel communitati, qualem habent mendicantes & regulares.

Porrò ante iurisdictionem, iure nouo, Trid. *sess. 23. c. 15.* requiritur approbatio ordinarij, quæ est vniuersalis respectu etiam Graduati & Doctoris: non comprehendit regulares in ordine ad confessiones audiendas aliorum regularium: hi enim possunt, sine vlla approbatione Episcopi, exponi ad confessiones aliorum regularium sola concessione suorum Superiorum regularium.

Debet autem hęc approbatio fieri ab Episcopo ipsius confessoris, nec est necessaria approbatio Episcopi ipsius pœnitentis. Et quidem inter seculares approbatus simpliciter à suo ordinario, nõ eget alia approbatione ad hoc, vt possit eligi ab habente bullam per quam illi conceditur facultas eligendi aliquem ex approbatis, etiamsi talis Sacerdos approbatus sit extra suam diœcesim, modò tamen non mutarit domicilium, tunc enim exigitur etiam approbatio Ordinarij loci, in quo domicilium de nouo habent. At inter regulares, quia hi mutant Ordinarium mutatione loci, ideo requiritur semper noua approbatio Ordinarij illius loci ad quem accedunt. Nostri porrò Patres habent priuilegium in itinere absoluendi quoscunque, modò non sint in loco, vbi est Ordinarius; tunc enim eius licentia requiretur. Denique approbatus in vno loco, etiamsi post longum tempus redeat, non eget noua approbatione, modò non sit reuocata prior facultas.

Ter

Tertium, quod est necessarium, est vsus non impeditus. Potest autem esse impeditus in vniuersum triplici de causa. *Primò*, ob reseruationem peccati, quæ quando adesset (secluſa necessitate implendi præceptum confessionis, & communicandi in Paschate, vel alia simili, quæ prætermitti non posset sine scandalo, vel infamia pœnitentis) non debet absolui: si tamen absolueretur, & pœnitens esset in bona fide, teneret, modò confessus fuerit alia non reseruata; maneret autem obligatus ad se præsentandũ quamprimum Superiori, vt absoluatur directè, nam indirectè tantum erat ab ijs absolutus. Ad hanc causam referri potest alia persimilis ob excommunicationem reseruatam; ea enim impedit vsum, nisi in casu necessitatis vitandi scandalum, vel infamiam propriam.

Secundò, potest esse impeditus, ob excommunicationem, vel suspensionem sacerdotis denunciatam, per eam enim tollitur vsus validus iurisdictionis: quod si non sit denunciatus Sacerdos, quia adhuc toleratur, valet absolutio, nec etiam peccat absoluendo, quando requiritur ab alijs in fauorem ipsorum.

Tertiò, ob peccatum mortale: quamuis enim absolutio à Sacerdote existẽte in peccato mortali valeret, tamen peccaret mortaliter, si non habeat contritionem saltem existimatam. Hæc de primo.

CAPVT II.

De Scientia necessaria ad Confessiones.

QVOAD scientiam, ea triplex esse debet, Iudicis, Medici, Doctoris. §. 1. *De*

§. 1. *De scientia quatenus est Iudex.*

Primò ergò, vt Iudex, quædam Scientia est ei necessaria ad valorem Sacramenti, quædam ad licitum vsum, ad valorem requiritur, vt sciat formam absolutionis, & distinctionem peccati mortalis à veniali saltem in genere, vt verbi gratia, quòd hoc vel illud sit mortale, priuans gratia Dei, & faciens reum pœnæ æternæ: non sic veniali, nam si in particulari nesciret in singulis speciebus, vel præceptis, modò pœnitens illi bona fide confiteretur, nesciens videlicet confessarium esse adeo ignarum, vt nesciat distinctionem peccati mortalis à veniali saltem communi modo, & ordinario, tunc valida esset absolutiò secundùm probabiliorem sententiam.

Ad licitum autem vsum scienda sunt in particulari quinque. *Primùm*, differentia peccati mortalis à veniali non modò in genere, verum etiam in particulari in singulis saltem communi modo; & ordinario. *Secundum*, species peccatorum, numerus & circumstantiæ *Tertium*, quæ dispositio sit necessaria in pœnitēte? *Quartum*, quod peccatum habeat annexam obligationem restitutionis? *Quintum*, quod peccatum habeat annexam reseruationem, vel censuram. In cæteris satis est dubitare, & recurrere ad peritiores.

Vnde *sequitur primò*, scientiam regulandam esse iuxta pœnitentes; nam pro rudibus in pagis, & villis minori scientia opus est; pro doctis in ciuitatibus maiori; pro Militibus, Mercatoribus, Ecclesiasticis, Iudicibus, Principibus multò maiori.

Sequi-

Sequitur secundò, scientiam pœnitentis aliquando posse supplere ignorantiam Confessarij: hic enim potest & debet fidem adhibere pœnitenti se accusanti, & excusanti: quare si est homo doctus, poteris iudicio eius instrui.

Sequitur tertiò, peccare mortaliter Confessarium, qui caret prædicta scientia. Item Episcopum, qui eum approbat; & Superiorem, qui tribuit ei facultatem confessiones audiendi: denique etiam pœnitentem, qui scienter eligit confessorem ignorantem respectu ipsius.

Verùm circa hæc quinque sunt nonnulla in particulari circa quodlibet adnotanda.

ARTICVLVS I.

De Differentia peccati mortalis à veniali.

QVOAD primum de differētia peccati mortalis à veniali notanda sunt quatuor. *Primò*, quod sit peccatum mortale ex genere, quod peccatum veniale ex genere. Nam *illud* est, quod est tale ex obiecto; ab hoc enim peccatum vtpote actus quidam suam speciem & genus desumit. Tale autem obiectum vniuersaliter est, quod sit contra charitatem Dei, vel proximi: in specie, quod sit contra præcepta Dei, Ecclesiæ, Maiorum, votum, conscientiam dictantem mortale, contra virtutes Theologicas, morales nonnullas, vt religionem, iustitiam, temperantiam, in delectationibus venereis, & similibus. *Veniale* autem illud est, quod cum sit quid inordinatum, est extra præcepta, cuius obiectum non est contrarium dilectioni Dei, & proximi, vt verbum otiosum, mendacium officiosum,

cioſum, riſus ſuperfluus, aliæ operationes inutiles quinque ſenſuum.

Notandum ſecundò, quænã ſint peccata mortalia in particulari in ſingulis præceptis. Nam in *primo præcepto* peccatum mortale ex genere eſt, quod verſatur circa fidem, ſpem, caritatem, religionem; ſiue quoad exceſſum dando cultũ indebitum, vt Iudæi, auferendo debitum, & tribuendo creaturæ per idololatriam, magiam, diuinationem, obſeruantiam, maleficium: ſiue quoad defectum committendo ſacrilegium circa perſonas, res, loca ſacra. *In ſecundo*, blaſphemia, ſi pertineat ad Deum, periurium; voti fractio eſt peccatum mortale ex genere. *In tertio*, omiſſio ſacri in feſto vel partis notabilis, vt tertiæ, ieiunij diebus præceptis, confeſſionis ſemel in anno, communionis in Paſchate, ſolutionis decimarum, eſt peccatum mortale ex genere: huc referenda peccata contra cenſuras. *In quarto*, non ſuccurrere proximo in neceſſitate corporali per eleemoſynam, vel ſpirituali per correctionem, quando adeſt cognitio moraliter certa de peccato mor. proximi, & eſt ſpes emendationis, & oportunitas perſonæ & temporis, eſt peccatum mortale ex ſuo genere. Item deficere in honore debito parentibus & ſuperioribus, eos aſperè tractando; multa triſtitia afficiendo, deſiderando ijs malũ notabile, non ſuccurrendo in neceſſitate, eſſet peccatum mortale. *In quinto*, offendere proximum in vita, vel bonis corporis, eſt mortale ex genere. *In ſexto*, offendere eundem in rebus ad honorem ſpectantibus, eſt etiam mortale ex genere. Vnde fornicatio,

ſtuprum,

stuprum, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium, vitium contra naturam cum quatuor suis speciebus, mollitie, innaturalitate, sodomia, bestialitate; quibus etiam addi potest impudicitia, qua quis vacat tactib. libidinosis absq; intentione alterius operis consummati, omnia hæc sunt mortalia ex genere. *In septimo*, offendere proximum in bonis externis; furto, contractu illicito, vt vsurario, vel iniusto, est peccatum mortale ex genere. *In octauo*, offendere eum verbis, vt mendacio pernicioso, contumacia, detractione, maledictione, susurratione irrisione est peccatum mortale ex genere. *Nonum* autem & *decimum præceptum* reuocatur ad sextum & septimum. Addi possunt quatuor peccata capitalia non comprehensa in præceptis, vt superbia, gula, ira, inuidia.

Notandum est tertio, pro alijs præceptis duo præcipuè esse consideranda: *Primò*, vim præcepti ex verbis adiunctis: si enim sit præceptum Diuinum, ponderanda sunt verba: nam si significent actionem esse dignam morte, excludere à regno esse execrabilem, & similia indicant esse peccatum mortale, secùs si verba sint mitiora. Si præceptum sit humanum, tunc consideranda sunt verba, an sint præceptiua, an habeant adiunctam pœnam grauem, vt censuram, mortem, amissionem bonorum, exilium. Denique si lex scripta non sit, habenda est ratio consuetudinis, traditionis, consensus Doctorum, luminis naturalis.

Secundo est consideranda materia præcepti, an sit necessaria ad caritatem Dei, vel proximi, an læ-

an lædatur virtus necessaria ad salutẽ, vt Theologicæ, religio, iustitia, & similes: an noceat sibi grauiter in rebus spiritualibus vel corporalibus.

Notandum quartò, quæ sint ea quæ excusant à mortali: *Primò* enim est leuitas materiæ, vt patet maximè in furto, contumacia, detractione, moribus sensualitatis, & similibus. *Secundò*, indeliberatio, defectus rationis, inaduertentia, consensus in parte inferiore, id est, rei malæ, vt habet tantum rationem delectabilis, commodi, &c non in superiore, id est rei malæ, vt cognoscitur esse contra legẽ Dei, prohibitam, &c. *Tertiò* excusat ab omni peccato ignorantia probabilis, dispensatio iusta, præsertim in præceptis humanis, & in nonnullis diuinis affirmatiuis, vt voto, iuramento, &c. *Denique* necessitas, & rationabilis causa, vt in furto, homicidio ex inculpata tutela, obseruantia diei festi, & similibus; excipe sextum præceptum; in quo nec sanitatis, nec vitæ necessitas excusare potest: excipe etiam cultum Idoli, periurium, & si quæ alia similia sint.

Articvlvs II.

De speciebus, numero, & circumstantijs peccatorũ.

QVOAD secundum de speciebus, numero, & circumstantijs peccatorum. *Primò* de speciebus tria cognoscenda sunt. *Primum*, esse necessario explicandas in Confessione ex Trid. *sess. 14. cap. & cant. 7.* propter diuersum iudiciũ, quod causant, ob diuersam curationem, & satisfactionem proportionatam, quam requirunt.

Secun-

cundum, per ſpecies diuerſas intelligi tũ pec-
ta contra præcepta, tum contra diuerſas vir-
tes in eodem præcepto, tum eas quæ pendent
a fine circumſtantijs mutantibus ſpeciem, vt ſi
is furetur ob homicidium, ſi percutiant Sa-
erdotem, &c. *Tertium*, aliquando circum-
antiam facere de veniali mortale etiamſi non
mutet ſpeciem, vt futurum in magna quantita-
e; ideo ſi quis oblitus eſſet manifeſtare talem
ircumſtantiam, vel aliam mutantem ſpeciem,
eneretur illam confiteri, & ſi quidem ea decla-
ari ſufficienter poteſt abſque mentione pecca-
i, cui connexa erat, vt quando finis eſſet cir-
cumſtantia, ſatis erit, ſin minus cogetur etiam
conſequenter repetere peccatum, vt communi-
er accidit.

Secundò, de numero ſcienda ſunt quinque. *Primum* eſſe neceſſariò explicandum in Confeſſione ex Trident. *loc. cit. ijs verbis*, omnia & ſingula: omnia enim refertur ad ſpecies, ſingula ad numerum. *Secundum* hunc modum videri expeditiſſimum, vt *primò*, ſi numerus facta morali diligentia conſtet, dicatur certus. *Secundò*, ſi non conſtet dicatur probabilis plus minus. *Tertiò*, ſi neque hic haberi poſſit, dicatur conſuetudo, tempus, & frequentia in die, hebdomada, menſe. In confeſſionibus meretricis præterea quæratur peccatum contra naturam, cũ Religioſis, ob diſtinctam malitiam, & obligationem reſtituendi, idem cum filijsfam. quoad reſtituendi obligationem.

Tertium, quod eſt ſciendum de numero, eſt, quomodo peccata interna multiplicentur nu-

mero. Et breuiter dicendum est; multiplicari per interruptionem interposito aliquo tempore regulariter. Et quidem quando sunt circa idem obiectum materiale, vt eandem personã, satis est in ordine ad confessionem, dicere moram temporis, in ea enim confuse explicatur numerus humano modo & possibili: quando autem est circa diuersum, vt circa diuersas personas, etiam hæ numerandæ sunt.

Tripliciter autem interrumpuntur. *Primò*, per contrariam voluntatem. *Secundò*, per voluntariam cessationem ab illo actu, & diuersionem ad alia. *Tertiò*, per cessationem inuoluntariam, sed interposita aliqua mora notabili; vt hora; atque ita per somnum, vel naturalem vagationem interrumpitur prior cogitatio, si deinde post horam denuo ad idem cogitetur.

Quartum quod est sciendum, peccata multiplicari eodẽ modo: quando enim est vnus actus externus continuatus, etiamsi multi sint interni repetiti, est vnum peccatum, vt si in itinere ad homicidium sæpius voluntas renouetur. Quando item sunt multi externi, vnus post alium, pendentes ab interno, efficiunt vnum peccatũ; siue non habeant malitiam ex se; vt cum quis surgit è lecto, parat ensem, exit domo, &c. vt occidat: omnes enim illi actus habent malitiam homicidij; siue habeant eiusmodi malitiam, vt in præparatorijs ad actum carnis consummatũ: sunt enim partes quædam illius. Idem dic de actibus post actum consummatum (nisi fortè referrentur ex intentione ad alium) quia illi habent se sicut complementa quædam actus consummati.

Quin-

Quintum & vltimum est: in vno actu physico possunt esse multæ morales malitiæ numero distinctæ, vt si vno ictu quis occidat tres, vna blasphemia maledicat duodecim Apostolos, secũdum aliquorum opinionem, vna voluntate velit occidere tres. Et quamuis non esset distinctio numerica, tamen est circumstantia notabiliter aggrauans, & explicanda in confessione, vt infra dicetur.

Tertiò, de circumstantijs duo notanda sunt. *Primum* esse quadruplices: *Primæ* dicuntur impertinentes, vt si die, vel noctu quis peccauit. *Secundæ* minuentes; vt si peccauit inductus, si virgo indigens, & huiusmodi. *Tertiæ*, aggrauantes notabiliter in eadem specie, vt furtũ in magna quantitate. *Quartæ*, mutantes speciem, vt circumstantia loci sacri, personæ & similes.

Ex his ergo *primæ* debent omitti. *Secundæ* possunt. *Tertiæ* probabilius explicandæ sunt, tũ quia Ecclesia sæpè reseruat peccatum habens circumstantiam tantum aggrauantem, vt furta & damna certæ quantitatis, teste Nauarro. Ecclesia autem non reseruat nisi ea quę sunt de necessitate confessionis, tum quia si Confessarius interroget, vt potest ex officio, tenetur pœnitens dicere veritatem: interrogatio autem non addit nouam obligationem, sed eam supponit: ergo etiamsi non interroget, tenetur. *Quartæ* autem omnino aperiendæ sunt.

Nota secundò, has circumstantias esse septem: *Prima* (QVIS) vt si persona sit sacra, coniugata, publica, habens officium. *Primæ* enim pertinet ad Religionem, secunda & tertia

ad iustitiam. *Secunda* (QVID) id est, conditiones materiæ, vt quantitas, qualitas personæ in quam peccatur, vt si esset clericus, coniugata, superior. *Tertia* (VBI) id est, an locus sacer, & publicus. *Quarta* (QVIBVS AVXILIIS) vt, an habuerit socios in aliquo delicto, complicem, eosque induxerit. *Quinta* (CVR) in quo significatur finis extrinsecus, vt si furatus est ob homicidium. *Sexta* (QVOMODO) significat accidentia, vt si infamauit mentiendo, an dicendo verum occultum. Huc etiam referenda est intentio, ignorantia, malitia, contemptus, consuetudo. *Septima* (QVANDO) id est, duratio extraordinaria: dies festus non est explicandus, nec concursus duorum præceptorum in eandem diem, vt vigiliæ & quatuor temporum, Missę ob festum, & Dominicam. Quod si essent præcepta diuersarum rationum, vt ieiunij ex præcepto Ecclesiæ, & voto, tunc explicanda essent. Item ieiunij, & feriæ sextæ, in qua quis carnes comederet: sunt enim præcepta diuersarum rationum.

ARTICVLVS III.

De Dispositione necessaria in Pœnitente.

QVOAD tertium. Quæ dispositio necessaria sit in Pœnitente, hæc explorari potest ex tribus: ex dolore, ex proposito, ex integritate confessionis.

Primò igitur circa dolorem tria adnotanda sunt: *Primum*, dolorem aliquem esse necessarium, qui saltem sit attritio cognita; quia enim non extat præceptum, quod debeamus accedere ad

ad hoc Sacramentum absq; conscientia peccati mortalis, & Sacramentum habet vim faciendi de attrito contritum, sequitur satis esse attritionem etiam cognitam pro dispositione sufficienti ad effectum principalem Sacramenti; qui est remissio peccati mortalis & infusio gratiæ: debet autem esse vera attritio, non tantum existimata, ita vt excludat voluntatem peccandi, & includat propositum absolutum non peccandi formaliter, vel virtualiter: & præterea supernaturalis, & proueniens ex principijs gratiæ, ex aliquo scil. motiuo diuino, & supernaturali, vt docet Tridentinum.

Secundum, ipsam accusationem peccatorum seriò factam, præsertim in bene morato, esse sufficiens signum doloris; quod si præterea pœnitens dicat se dolere, potest ei tutò credere Confessarius. *Tertium*, quando non appareret signum sufficiens, explorandus esset dolor interrogatione aliqua, & ad illum pœnitens impellendus proposita grauitate peccati ex pœnis inferni, expulsione Angeli è Paradiso cœlesti, Adami ex terrestri, & alijs huiusmodi. In pueris & rusticis id solet frequentius euenire.

Secundò, circa propositũ notanda sunt quinque: *Primum*, signum sufficiens pro dolore esse etiam pro proposito, nisi requireretur particulare propositum ex aliqua restitutione facienda, vel occasione proxima vitanda. *Secundum* vitandas esse comparationes in particulari ad explorandum propositum: satis enim est si Confessarius iudicet probabiliter pœnitentem, quãdo actu confitetur, habere propositum non pec-

candi de cætero, vnde non opus est vt sibi persuadeat pœnitentem non amplius peccaturum, vel saltem per aliquod breue tempus non relapsurum in eadem peccata: quamuis enim hæc euentura putaret, potest eum absoluere, modò cognoscat habere actu propositum nō peccandi. *Tertium*, quando adest specialis obligatio restituendi, tunc si commodè potest pœnitens, prima vel secūda vice satis est quod promittat, nec est vrgendus ad realem restitutionem, nisi ex circumstantijs probabile dubium oriretur, restitutionem non esse faciendam: si verò ter, vel quater non impleuisset, adigendus erit ad realem restitutionem ante absolutionem secluso scandalo, vel offensione magna pœnitentis: quamuis si certò constaret ex circumstantijs illum restituturum, posset absolui: quod si non posset, tunc satis est, quod proponat se restituturum, cum ad pinguiorem fortunam venerit. *Quartum*, quando adest specialis obligatio, ex occasione videlicet aliqua proxima, non est absoluendus nisi proponat eam se relicturum; si non reliquerit, faciendum, vt dictum est de restitutione.

Ad hoc autem vt censeatur occasio proxima; duo præcipuè necessaria sunt. *Primum*, vt sit voluntaria, vnde quando moraliter vitari non posset non diceretur voluntaria. *Secundum*, vt vel ex suo genere talis sit, quæ frequenter inducat homines similis conditionis ad peccandum, vel vt constet experimento in tali homine habere talem effectum. In particulari si quis haberet domi concubinam, nec quidem prima vice ab-

re absoluendus esset, nisi ea prius realiter dimissa, regulariter loquendo. *Quintum*, cùm reliquis, si semper verè doleant, & firmiter proponant, absolui possunt, multò magis si adhibeant remedia, & ex fragilitate reincidant: item si diminuant saltem numerum, si aliquoties resistant, si consuetudinem interrumpant, aliquando differri posset absolutio suauiter ad id inducendo pœnitente.

Tertiò, circa integritatem, in ea satisfacere sibi debet Confessarius: id autem ex his poterit consequi. *Primò*, ante confessionem agnoscat statum pœnitentis, vt si mercator est, miles, &c. *Deinde*, tempus vltimæ confessionis, & parratus accedat, Impedimentum autem inimicitiæ, casus reseruati, excommunicationis non est [illegible] petere: satis erit id agnoscere in progressu confessionis. *Secundò*, si ex circumstantijs personæ, & cõfessionis probabiliter existimet fuisse integram, non tenetur interrogare, multò magis si pœnitens dicat, se nihil habere post diligentem præparationem, si verò putet non esse integram, tunc tenetur eum interrogare de ijs, quæ probabiliter cadere possunt in pœnitentem; non sit autem nimius in sexto præcepto, præsertim cum pueris & fœminis. *Tertiò*, quando aduertit confessionem non esse integram etiam materialiter, tenetur efficere vt integra fit ratione officij: quando autem nõ est integra formaliter, si quidem via secreta id nouit post prudentem interrogationem, tenetur iudicare secundùm acta & probata in illo foro: si autem publica via, potest ea apertè vti: quod si ne-

si neget, & euidens illum mentiri contra integritatem confessionis, non debet illum absoluere: si non sit euidens, potest absoluere, & credere ab eo negari, quia non tenetur illud confiteri, quia scil. antea id confessus sit.

ARTICVLVS IV.

De peccatis quæ habent adnexam obligationem restituendi.

QVOAD quartum, quæ scil. peccata habeant adnexam obligationem restituendi. Dico vt plurimum esse illa, quæ fiunt contra iustitiam commutatiuam, inter quæ communiora sunt tria: *Primum*, est iniustitia circa bona externa per furtum. *Secundum*, iniustitia circa bona corporis, vt vitam & membra per homicidium, vel mutilationem. *Tertium*, circa bonum famæ per detractionem.

Primò ergo circa restitutionem bonorum externorum quatuor præcipuè cognoscenda sunt. Quis debeat restituere? Quid? Cui? & Quando?

Primum (QVIS) id est persona, quę multiplex est. Prima damnificans, vt fur, homicida, detractor; in quo debet esse culpa ad hoc, vt teneatur ad damnum secutum ex proprio facto; item mortalis, eaque oriri ex dolo, vel culpa lata. Reliquæ personæ sunt nouem, & dicuntur cooperantes comprehensæ ijs versibus:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Ex quibus primi sex dicuntur cooperatores directi,

recti, & positiuè, reliqui indirecti, & negatiuè.. Circa quos

Nota primo, cooperatores quoscunque satis esse si sint causæ, cum quibus, & per quas fit damnum, etiamsi non sint causæ, sine quibus non damnum fuisset illatum. Item omnes teneri insolidum, quando sunt causa efficax totius damni; hoc est ad totum damnum secutum. Principaliter autem si quidem actio sit lucratiua, tenetur ille qui habet rem alienam; si verò tantum est illatiua damni, vt homicidium, &c. tunc primo loco tenetur mandans, postea executor, deinde consultor, & cæteri suo ordine in defectum principalis.

Nota secundo, cooperatores positiuè teneri, quando sunt causa efficax damni secuti, & mandans quidem siue expressè siue tacitè, tenetur, nisi reuocet mandatum ante executionem, vt innotescat talis reuocatio mandatario; non sic tenetur is, qui ratum habet delictum suo nomine factum. Consulens etiam tenetur, nisi remoueat voluntatem eius qui consilium petijt, vel curet quantum potest, ne sequatur damnum, admonendo tertium de periculo; si consilium datum sit ex ignorantia, debet esse culpabilis mortaliter ad hoc, vt ex illa teneatur. Consentiens debet esse talis, vt ab eo pendeat damnum, siue antequam detur, siue in ipso actu illud inferendi. Denique receptator debet esse talis, vt ex eo alius animetur, saltem ad damna inferenda: si id sit, etiamsi sit consanguineus, vel amicus, tenetur.

Nota tertio, cooperatores negatiuè teneri,

quando possunt impedire, & non faciunt, cum tamen ad id teneantur ex officio : vt quia sunt consultores, superiores, custodes & similes. Debet autem negligentia, ex qua id omittunt, esse grauis, ad hoc, vt ex ea teneantur restituere.

Secundum quod cognoscendum est, est quid restituendum sit. Pro qua re primò scienda sunt quatuor radices remotæ restitutionis ; eæ sunt : *Primò*, vel ex contractu, vt muto, vendito, locato. vel ex quasi contractu, vt negotijs, gestis, tutoria officio publico : hi enim etiam obligantur, ac si fuisset pactum inter eos. Vel ex delicto, vt furto, homicidio, & vel ex quasi delicto, vt cum quis læditur non dolo, sed ex imprudentia, negligentia, ignorantia culpabili.

Secundò, tres aliæ radices magis proximæ. *Prima* ex iniusta acceptione tantum, ex qua oritur illa regula : Quicunque est causa iniustæ acceptionis, vt furti, vsuræ, homicidij, infamię, &c. tenetur insolidum ad restitutionem. *Secunda*, ex re accepta tantum, ex qua oritur hæc regula : Quicunq; habet rem alienam, tenetur eam restituere : & si quidem habeat mala fide, tenebitur ex vtroque : illa enim retentio dicitur iniusta quædam acceptio : si verò bona fide, tunc si habet illam in se ipsa, tenetur reddere, si non, tenetur ad id, in quo esset factus ex illa ditior, vt in maiori pretio, quod accepisset ex eius alienatione, vel in rebus proprijs : quas non consumpsit : alioqui consumpturus, si rem alienam non habuisset. *Tertia radix* est ex vtraque ; id est, ex re accepta, & ex iniusta acceptione, ex qua oritur tertia regula : Quicunque est causa iniustæ

acce-

ceptionis, & retinet rem alienam, tenetur ad reddendam rem, fructus eius tum naturales, tum industriales mixtos, & damna secuta.

Tertio cognoscenda est differentia inter primam & secundam radicem, quæ triplex est. *Prima*, Qui tenetur ex re accepta tantùm si ea casu perit, vel sine culpa eius, qui retinet, ad nihil tenetur: qui verò ex iniusta acceptione, tenetur. *Secunda*: Qui ex re accepta, tenetur tantum ad fructus extantes vel in se, vel in alio, quatenus est ditior ex illis: qui verò ex iniusta acceptione, etiam ad fructus perceptos, & qui percipi potuissent. *Tertia*, Qui ex iniusta acceptione, tenetur ad damna secuta, & lucra quæ cessarunt damnificato, non ita qui ex re accepta.

Tertium, est persona, cui facienda est restitutio. De quo dicendum est primò: Si Dominus est certus & notus, illi facienda est restitutio, vel hæredibus eius. *Secundo*, si certus est, sed ignotus, tunc fiat diligens inquisitio: ea facta si nõ reperiatur, danda est pauperibus, sub quibus veniunt omnes indigentes, loca pia, consanguinei pauperes: ipsemet etiam debitor si pauper sit. *Tertiò*, si dominus sit incertus, siquidem id sit, quia ex tribus vel quatuor ignoratur verus dominus, tunc res restituenda de consensu ipsorum, vel fortè cui obtigerit: si qua est communitas aliqua, vel aliqui ex ciuitate, vt cõtingit in ijs, qui fraudant in põdere, vel mensura, vel pretio, tunc tantum augendũ erit pondus, vel mensura, quantum est diminutum; si deniq; incerta sit persona particularis, tunc post diligentiam sufficientem si non reperiatur, danda est pauperibus.

Quartò, bona incerta possunt esse tribus modis.

Primò, quia nullum habent dominium, vt gemmæ, lapilli in littore maris, feræ, &c. huiusmodi. Et hæc sunt primò occupantis, nec restituenda sunt.

Secundò, quia probabiliter nō habent de præsenti, vt thesaurus; & tunc si arte magica inuentus sit, debetur fisco, vel Principi, si lex faciat inhabilem inuentorem; sin minus, non debetur nisi post sententiam: si verò sit inuentus bonis artibus, tunc si locus in quo repertus est, sit inuentoris, totus est ipsius iure communi; si alterius, dimidium domini loci, & dimidium inuentoris, modò casu inuentus sit: nam si ex industria, & cum licentia domini, totus est inuentoris; si sine licentia, totus domini, saltem post sententiam: nam antea potest in conscientia retinere.

Tertiò, quia sunt amissa, quamuis habeant dominum probabiliter, & tunc si facta diligentia dominus non inueniatur, cōmunior opinio est, quod sint danda pauperibus: probabilis tamen etiam est, posse retineri ab inuentore.

Dicendum est quintò. Turpiter accepta, id est, pro faciendo actu turpi, vt meretricio, homicidio, sententia, iniusta, &c. si actus non fiat, reddenda sunt danti in conscientia; si factus sit, retineri possunt. Accepta per ludum etiam aliàs lege humana prohibitum, modò absint fraus & dolus, quæ sint contra leges ludi, & absque notabili artis inæqualitate, & cum persona habili, non sunt restituenda in conscientia; nec etiam

quæ

quæ pecunia credita, si victus vtatur beneficio legis, tunc essent restituenda: denique accepta per simoniam realem, item per data & promissa pro gratia, vel iustitia obtinenda apud sedem Apostolicam, restituenda sunt Ecclesiæ, vel pauperibus.

Quartum est, quando sit facienda restitutio, & Dicendum *Primò*, quoad animi præparationem, statim faciendam esse; quoad realem, quamprimùm commodè fieri potest. *Secundò*, siter vel quater quis promisit restituere, & non restituit, dic vt supra cùm de Proposito. *Tertiò*, non est restituendum cum damno bonorum altioris ordinis, vt vitæ, famæ, sanitatis; nec etiam cum graui damno bonorum eiusdem ordinis modò ex hoc non sequatur æquale damnum in creditore, tunc enim præponendus esset creditor. *Quartò*, neque cum iactura status, quando est iustè acquisitus, quamuis benè cum diminutione citra notam paupertatis.

Secundò, principaliter circa restitutionem bonorum corporis: Hæc triplicia sunt, vita, integritas corporis, & integritas claustri, quæ violantur per homicidium, mutilationem, & stuprum. *Primò* ergo homicida ad duo tantum tenetur. *Primum*, ad expensas factas in curatione vulneris ante mortem. *Secundum*, ad damnum temporale vitæ, quantum æstimabitur spes illa vtilitatis & lucri quod allaturus erat, detractis ijs, quæ ipse consumpsisset in victu, & vestitu. Æstimatio autem debet fieri arbitrio boni viri, & hæredes, quibus facienda est restitutio, debent esse ij, qui censeantur vna persona cum defuncto,

functo, vt parentes, filij, & vxor occisi: quare fratribus, creditoribus & alijs non tenetur. Ad damnum autem naturale vitæ non tenetur occisor, quando occisus est homo liber, sed tantum ad petitionem veniæ; si autem sit seruus, tenetur domino quãtum vita serui æstimabitur. Deinde excusatur à restitutione, quando occisus remittit debitum, quando erat aliàs iustè occidendus, vt per iustitiam, quando prouocasset ad duellum, quando fuisset aggressor, & aggressus non excessit fines inculpatæ tutelæ notabiliter.

Secundò, mutilator, vel alius percutiens iniustà, ad tria tenetur. *Primò*, ad expensas in curatione vulneris. *Secundò*, ad æstimationem spei illius lucri, quod facere poterat, detractis expensis. *Tertio*, ad æstimationem damni, quod ex hoc secutum fuisset. Pro deformitate autem cicatricis relictæ non tenetur, si mutilatus fuit liber homo; si seruus, tenebitur vt supra.

Tertio, stuprator, si virgo liberè consentit, ad nihil tenetur secundùm probabilẽ sententiam, securius tamẽ est Confessarium semper aliquid imponere in satisfactionem. Si vi, fraude, fallacijs inducta, tenetur, *primo* ad coniugium; si promisit. *Secundo*, ad reparationem damni ex stupro, quantum æstimabitur arbitrio boni viri. *Tertio*, ad dotem, si iudex ad id eum condemnarit. Pro sola autem iniuria ipsi virgini illata satis est petere veniam.

Quarto, adulter (hic enim affinis est stupratori) pro iniuria illata marito ad nihil tenetur, nisi ad petitionem veniæ, si maritus adulterium resciat. Quod si partus etiam sequatur, & adul-

ter-

ter certò putet prolem esse suam. *Primo*, tenetur ad alimenta à tertio anno, donec sibi prouidere possit de alimentis. Adultera autē tenetur à partu vsque ad tertium annum completum *Secundo*, ad restitutionem hæreditatis, quam illegitimus accipit cum alijs filijs legitimis: quod si habeat probabiles rationes dubitandi, quod proles sit sua, ad nihil tenebitur. Simili modo adultera, etiamsi non teneatur manifestare delictum marito, aut proli, nisi moraliter certa esset auferendi damnum ab alijs filijs, & quod nullum sibi periculum vitæ, vel infamiæ sequeretur; obligatur tamen ad curandum quantum potest, vt legitimi hæredes non patiantur damnum, dando illis dona paraphernalia, si quæ habeat, relinquendo illis lucra ex suo labore, & industria inducendo illegitimum ad religionem si aptus sit. Præter hæc ad nihil tenetur.

Tertio, principaliter circa restitutionem famæ quatuor præcipuè scienda sunt. *Primum*, famam dupliciter lædi, imponendo alteri crimē falsum, & manifestandum verum occultum contra ordinem iuris, vel fraternæ correctionis. Id autem fieri potest primò directè, & ex intentione, quæ est detractio formalis. *Secundo*, indirectè, ex negligentia, & loquacitate, quæ est detractio materialis.

Secundum, ad restitutionem requiri, *Primo*, vt materia sit grauis regulariter. *Secundo*, vt defectus sit moralis; naturalis nō inducit obligationem, nisi in casu, quo existimaretur ob id persona, de qua refertur, contemnenda ab auditoribus. *Tertio*, vt sit talis qui iudicetur notabiliter læde-

lædere famam. *Quarto*, vt sint peccata specialia regulariter. *Quinto*, vt fama verè sit ablata, & non restituta alia via. *Sexto*, vt non sequatur ex restitutione maius malum, detractori, vt periculum vitæ, vel maius damnum in fama propria aut aliena.

Tertium, qui refert peccata alterius audita absque asseueratione, vel detrahit materialiter, regulariter non tenetur; nisi in casu, quo referrentur ea ratione, vt meritò audientes inducantur ad sentiendum malè de proximo. Qui verò audit, si teneatur ex officio impedire, vel excitet, aut animet alium ad detrahendum, obligatur ad restitutionem. *Secus*, non tenetur, etsi peccare possit complacendo sibi deliberatè de detractione ob prauum affectum erga eum, de quo detrahitur. *Quartum*, qui infamauit dicendo falsum, tenetur dicere se falsum dixisse; qui verò manifestando verum occultum, laudet, & honorificè loquatur de eodem in ijs quibus detraxit.

ARTICVLVS V.

De peccatis, quæ habent adnexam reseruationem vel censuram.

QVOAD quintum, quæ scil. peccata habeant adnexam reseruationem, vel censuram; *Primò* scienda sunt aliqua circa reseruationem peccatorum. Ea autem sunt *primum* peccata venialia non posse ita reseruari, vt maneat obligatio ea confitendi; possent tamen ita, vt non possint sacramentaliter remitti, nisi à tali, vel tali ministro: sed tunc inutilis esset tals reseruatio,

uatio; cùm sine culpa omitti possint à pœnitente.

Secundum, peccata mortalia merè interna, etiamsi possint reseruari ab Ecclesia, non tamen esse in vsu; externa verò & possunt & sunt in vsu; non quidem omnia; id enim non esset expediens; sed aliqua grauiora; quod etiam verum est respectu Religiosorum, vt colligi potest ex decreto Clementis VIII. præscribentis casus reseruatos pro Religiosis.

Tertium, reseruari posse peccata, etiamsi nõ habeant excommunicationem adnexam, quod in reseruatis ab Episcopis vsu constat. Item in reseruatis multis à Prælatis Religionum. A summis autem Pontificibus regulariter non reseruantur peccata sine censura. Et quidem Episcopis iure communi, quamuis nonnulli casus videantur reseruari, vt *Primo* peccata quæ habent adnexam pœnitentiam publicam, vel excommunicationem maiorem, vel irregularitatem. *Secundo*, incendiarius. *Tertio*, publica blasphemia. *Quarto*, homicidæ voluntarij, falsarij, violatores Ecclesiasticæ immunitatis, & sortilegi. Attamen verius est nullos esse reseruatos seclusa consuetudine, ex qua, quinam sint reseruati, pendet ex locorum peculiarium cognitione.

Quartum, in articulo mortis quemlibet Sacerdotem posse absoluere quibuscunque reseruatis per propriam iurisdictionem illi tributã; & si quidem non habeant censuram adnexam, non remanet obligatio in absoluto comparendi coram Superiori legitimo; si verò habeant adiunctam censuram, remanet onus ad comparendum

rendum coram Superiore. Extra articulum talem nullus inferior potest absoluere directè à reseruatis.

Quintum, quoad modum absoluendi, quando superior audit tam reseruata, tenetur absoluere ab omnibus: sine causa graui nõ potest auditis tantum reseruatis ab illis absoluere, remittendo pro alijs ad inferiorem, quia nõ debet dimidiari confessio sine causa, cum integritas sit de iure Diuino. Quoties autem id licitè fit ex tali confessione, perficitur verum Sacramentũ: est enim talis confessio semper integra formaliter: alia quæ fit inferiori de non reseruatis, est omnino integra, cum reseruata iam sint directè absoluta, atque adeo non sint iterum subijcienda clauibus; quamuis alij dicant esse subijcienda, vt vni fiat integrè de omnibus. Quando verò inferior audit pœnitentiam habentem reseruata, sine causa necessaria non potest, neque à non reseruatis absoluere, vt dictum est supra, cùm de potestate, cum tali causa potest. Debet autem tunc omnia audire, etiam reseruata, cùm circa omnia debeat pœnitens esse benè dispositus, eamque dispositionem examinare pertineat ad confessionem. Hæc circa reseruationem.

Secundo, scienda sunt aliqua de censuris.

Et quoad censuras in communi. *Primo*, sciendum est, censuram esse pœnam Ecclesiasticam spiritualem fori contentiosi, qua spiritualium vsus interdicitur, vt à contumacia discedatur. Eius ferendæ potestas est à Christo; institutio autẽ ab homine Ecclesiastico, qui si ferat illam per constitutionem modo quodam permanente,

nente, dicitur talis censura à iure; si per sententiam, & modo quodam transitorio, dicitur ab homine. *Secundo*, non incurritur nisi ob peccatum mortale, adiuncta contumacia, id est, inobedientia contra Ecclesiam, suspensioni tamen aliquando etiam potest esse satis culpa venialis, quando fertur ab homine generaliter.

Tertio, excusat ab ea ignorantia probabilis, vel ipsius censuræ, vel quod talis actio, cui adiuncta est censura, sit peccatum, vel quod prohibita sit ab Ecclesia sub tali censura. Sic etiam impotentia faciendi id quod præcipitur per censuram, vt soluendi debitum excusat.

Quoad excommunicationem maiorem. *Primo* sciendum est, decem esse ipsius effectus. *Primo* enim priuat excommunicatum suffragijs communibus Ecclesiæ. *Secundo*, communicatione passiua Sacramentorum, quamuis per se, & vi sua non efficiat illa nulla. *Tertio*, administratione actiua Sacramentorum, quamuis non annullet, nisi illud tantùm, quod requirit iurisdictionem ad suum valorem. *Quarto*, vsu ordinum ex officio, vt prius. *Quinto*, Ecclesiastica sepultura. *Sexto*, reddit personam incapacem, & ineligibilem ad beneficium Ecclesiasticum. *Septimo*, impedit acquisitionẽ dominij fructuum Ecclesiasticorum, eorumq; administrationem. *Octauo*, priuat vsu iurisdictionis, tollendo iurisdictionem actualem tam in foro pœnitentiæ quàm contentioso; tam Ecclesiastico, quàm ex probabiliore sententia, in seculari. *Nono*, excludit ab omnibus actibus forensibus sola sui defensione excepta, vnde nec actor, nec testis,

nec

nec aduocatus, aut procurator esse potest: tenetur enim se abstinere ab his omnibus muneribus, & repelli potest, & debet, etiam si vitandus sit: quod si non repellatur, acta eius irrita non sunt. *Decimo*, prohibetur illi omnis communicatio ciuilis. Vnde nec contractus celebrare, nec testamenta condere, nec vti publico officio aut ministerio potest, licet non sint inualida omnia, quæ ab eo aguntur, nisi iurisdictionem requirant, & vitandus sit. Adhuc etiam inducitur priuatio omnis communicationis politicæ, & humanæ, cum alijs fidelibus colloquendi, salutandi, &c

Possunt autem hi omnes effectus reduci ad tres; ad priuationem communicationis in rebus spiritualibus, vt officijs diuinis, Sacramentis, &c. ad priuationem communicationis in rebus mixtis ex spiritualibus, & temporalibus, vt collationem beneficiorum, receptionem, &c. ad priuationem cõmunicationis in rebus temporalibus, & ciuilibus, vt agere in iudicio, & vti humano conuictu, & consortio.

Secundo, sciendum est, solum excommunicatum non toleratum vitandum esse, qualis est, vel denunciatus nominatim, vel notorius percussor Clerici: occultus autem non est vitandus à non excommunicatis, quamuis ipse teneatur alios vitare, & non se ingerere in aliorum conuersationem: quando autem requiritur à non excommunicatis, potest cum illis agere sine vllo peccato.

Tertio, sciendum est, excommunicatum vitandum esse in quinque casibus, contentis eo versu: Os,

Os, orare, vale, communio mensa negatur.

Ex quinque autem alijs causis posse cum illo agi sine vllo peccato, quæ etiam continentur in eo versu:

Vtile, lex, humile, res ignota, necesse.

Quarto, tunc peccare mortaliter excommunicatum, quando facit prohibita per excommunicationem, communicando cum alijs in rebus spiritualibus, vel mixtis, quæ sunt illi peculiariter prohibitæ. Quod si communicaret tantum in rebus ciuilibus, non peccaret mortaliter. Ita etiam qui communicant cum ipso inprimis duobus, nisi excusentur aliqua ex dictis causis, peccant mortaliter; qui tantum in tertio, peccant tantum venialiter, semper tamen incurrunt excommunicationem minorem.

Quoad excommunicationem minorem, tria scienda sunt: *Primum*, eius effectus duos esse. Vnum priuare vsu Sacramentorum passiuo, alterum efficere inhabilem ad electionem passiuam, ita tantum, vt irritanda sit electio, non sit autem irrita ipso iure. *Secundum*, incurri tantum in vno casu, nempe in participatione cum denunciato, vel notorio percussore Clerici in tribus communicationibus dictis. *Tertium*, ab ea posse absoluere omnem sacerdotem habentem iurisdictionem.

Quoad suspensionem, tria etiam scienda sunt. *Primum*, eam conuenire tantum Clericis, non autem Laicis. *Secundum* esse duplicem, ab officio siue ordinis, siue iurisdictionis, siue administrationis, & à beneficio, id est, à iure percipiendi fructus ex beneficio. *Tertium*, suspen-

sum

sum non facere fructus in conscientia, ideoque teneri ad illos restituendos detractis necessarijs ad sustentationem, nisi aliundè possit viuere: sic etiam per ipsum non stetit, quominus absolueretur, facit fructus in conscientia.

Quoad interdictum tria etiam cognoscenda sunt. *Primum* illud priuare vsu diuinorum actiuo & passiuo, id est, officijs diuinis, Sacramentis, & Sepultura Ecclesiastica. *Secundum*, esse quadruplex, locale, personale, generale, & speciale. *Tertium*, quando est generale, conferri possunt tria Sacramenta: Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia, saltem in articulo mortis: recipi autē possunt etiam ab interdictis, modò non sint specialiter interdicti, vel causam dederint interdicto. Sic etiam officia diuina celebrari possunt in Ecclesia, ianuis clausis, voce submissa, non pulsatis campanis, & excommunicatis, vel interdictis specialiter exclusis.

Quoad irregularitatem, sciendum est *Primò*, eam non impedire receptionem Sacramentorum præterquam Ordinis: si quis hunc reciperet, peccaret mortaliter, sicut etiam si ministraret, in suscepto. *Secundò*, duplex est, quædam ex defectu, quædam ex delicto. Illa sine vllo peccato incurri potest; hæc verò præsupponit peccatum, & quidem mortale *Tertiò*, vtraque reddit inhabilem ad beneficia de nouo acquirenda, ita vt collatio nulla sit, receptis autem non priuat nisi per sententiam.

Tertio, sciенda sunt aliqua circa absolutionē à censuris, *Primum*, absolutionem, quæ conceditur in foro pœnitentiæ per priuilegia mendi-

can-

cantibus concessa, & alia similia, non requirere alias cæremonias præter eas, quas sufficiunt ad Sacramentum pœnitentiæ. Forma autem illa, quæ præscribitur in *c. ex tenore, & c. de catero de sent. excom.* seruanda etiam est in occulta absolutione, quantum ad ea, quæ commodè fieri possunt, vt est promissio parendi mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendi, si satisfaciendum sit. *Secundum*, quando absoluendi facultas conceditur alicui sub limitatione satisfacta parte, si is, qui absoluēdus est, potest satisfacere, debet præmitti satisfactio; si verò non potest, sufficit cautio præstita, & propositum satisfaciendi: quod si Sacerdos absoluat ante satisfactionem, cum possit pœnitens eam facere, absolutio erit irrita. Quando denique excommunicatio nullam satisfactionē partis læsæ requirat, potest tolli absque vlla satisfactione. *Tertium*, peccata quæ habent adnexam reseruationem absque censura, nulla sunt iure communi. Episcopi solent nonnulla reseruare, vt blasphemiam publicam, inuocationem dæmonis, abortum, homicidium, incestum, sodomiam, bestialitatem, & similia, quæ cognoscenda erunt in singulis diœcesibus, in quibus continget Confessarios morari: ab ijs enim neque nostri Ordinis Sacerdotes possunt hoc tempore absoluere sine facultate Episcopi in Italia extra vrbem. In Religionibus etiam multi solent esse casus superioribus reseruati absq; censura, quos cognoscere oportebit eum, qui ad confessiones eorum Religiosorum excipiendas deputatus erit. *Quartum*, peccata quæ habent adnexam reseruationem cum cen-

censura, sunt omnia illa quæ Papæ reseruantur, siue in bulla, siue extra bullam Cœna: sunt etiam alia nemini reseruata. Religiosi igitur priuilegiati Romæ degentes exceptis casibus contentis in bulla Cœnæ, à cæteris omnibus possent absoluere. Extra vrbem in Italia sunt etiam quinque casus ex declaratione decreti Clementis VIII. *Primus*, percussio Clerici in casu, quo est Papæ reseruata. *Secundò*, duellum in terminis Gregorij XIII. *Tertiò*, violatio immunitatis Ecclesiæ iuxta Bullam Gregor. XIV. *Quartò*, ingressus in monasterium ob malum finem. *Quintò*, Simonia realis completa, vel confidentialis, His addendi casus reseruati ab Episcopis, à quibus sine ipsorum licentia non possunt absoluere. Denique etiam seruandum vltimum Decretum S. D. N. Pauli Papæ V. circa casus reseruatos.

Quarto, scienda sunt aliqua circa excommunicationes in particulari. Nam Confessarius debet saltem confusè scire excommunicationes à quibus potest absoluere, & indè habere intentionem generalem absoluendi ab omnibus à quibus potest. Eas autem, à quibus non potest absoluere, debet scire distinctiùs. Omnes autem excommunicationes reuocantur ad tres classes. *Prima* comprehendit eas quæ nemini sunt reseruatæ. *Secunda* eas, quæ Papæ reseruantur extra Cœnæ Bullam, siue in corpore iuris, siue in Bullis Pontificum. *Tertia* eas, quæ reseruantur in Bulla Cœnæ. Et quidem eas quæ nemini sunt reseruatæ, sunt omnes numero ad 72. præcipuæ autē, & quæ vsui veniunt, ferè 14.

Pri-

Prima, contra occupantes bona, &c. Ecclesiarum vacantium. *c. generali de Elect. in 6.*

Secunda, compellentes personas Ecclesiasticas, vt submittant bona Ecclesiarum Laicis. *c. 2. de rebus Eccles. non alien. in 6.*

Tertia, sepelientes hæreticos, excommunicatos, interdictos in loco sacro. *c. 2. de hæret. in 6.* & Clem. *de sepult.*

Quarta, contrahentes in gradibus prohibitis, vel cum monialibus, vel personæ sacræ, aut religiosæ. Clem. *1. de consang.*

Quinta, impedientes visitatores Monialium, admoniti non desistant. Clem. *attendentes de stat. Mon.*

Sexta, imprimentes, mandantes imprimi, vendentes libros sine approbatione Superiorum. Leo X. *Bulla. 10.*

Septima, raptores mulierum, & præbentes illis auxilium. Trident. *sent. 2. c. 9. de reform. matrim.*

Octaua, cogentes ingredi mulieres in Monasteria; vel impedientes earum ingressum, vel ne liberè contrahant matrim. Trid. *sess. 24. cap. 9. de reform. matr. & 25. cap. 18. de regul.*

Nona, procurantes abortum fœtus animati. Sixti V. *in bulla. Effranatum cum moderatione* Gregor. XIV. *Sedes Apostolica.*

Decima, pro Ecclesiasticis. Alienantes bona Ecclesiastica, vel vltra triennium hypothecantes. Extrauag. *ambitiosa de reb. Eccles. non alien.*

Vndecima, pro ijsdem. Audientes meditinam; aut leges, si sint Sacerdotes, vel habentes personatum, &c. *cap. super specula. Ne Cler. vel Mon.*

Duodecima, pro personis publicis. Facientes statuta contra libertatem Ecclesiasticam. *c. nouerit. de sent. excom.*

Decimatertia, pro ijsdem. Non adiuuantes Episcopos in clausura Monialium. Trid. *sess. 25. c. 25. de regul.*

Decimaquarta, pro ijsdem Doctores, & Professores cuiusque facultatis non facientes professionem fidei in manibus Ordinarij. Pius IV. *Bulla 112.*

Quæ verò sunt reseruatæ Papæ extra Bullam Cœnæ, sunt ferè 62. Præcipuæ sunt ferè septem.

Prima, Percussores Clericorum, Mandantes, &c. *cap. si quis suadente. 17. quæst. 4.*

Secunda, Violantes interdictum Sedis Apostolicæ. Extrau. *etsi Dominici. de pœn. & remiss.*

Tertia, Simoniaci in Ordine, vel beneficio. Item Simoniaci confidentiales. Extrau. *cum detestabile de sim.* Pius V. *Intolerabilis 87.*

Quarta, Committentes duellum, consulenter, fautores, &c. diffidentes, &c. Pius IV. *nu. 35.* Gregor. XIII. & Clemens VIII.

Quinta, Dantes vel accipientes pro gratia, vel iustitia apud sedem Apostolicam. Gregor. XIII. *num. 28.*

Sexta, Mulieres ingredientes monasteria Monialium, vel Monachorum. Greg. XIII. *n. 75*

Septima, Extrahentes victualia, vt frumentũ, bladum, legumina, & oleum. Paulus V. *Inter grauissimas.*

Denique reseruatæ Papæ in Bulla Cœnæ omnes sunt *nu. 20.* quæ memoriæ causa reduci possunt ad capita quinque.

Pri-

Primo, ad fidem. Vnde excommunicantur omnes hæretici, schismatici, legentes, &c. vt in prima excommunicatione.

Secundo, ad caput Ecclesiæ, qui est summus Pontifex, quatenus potest offendi dupliciter. *Primo*, vt Princeps supremus in spiritualibus, & sic excommunicantur appellantes ab eo ad Concilium in secunda. *Secundo*, vt Princeps in temporalibus certæ partis Orbis, & sic excommunicantur vsurpantes bona, & iurisdictionem idipsum pertinentem, vt in vigesima.

Tertio, ad Ecclesiam Christianam, quæ potest offendi, tum in suis personis & membris, vel per latrocinium maritimum, vt in tertia; vel per raptum bonorum naufragantium, vt in quarta; vel per impositionem onerum contra iustitiam, vt in quinta; vel per offensionem Romipetarum, vt in decima: tum in suo principatu, quomodo excommunicantur deferentes arma, &c. ad inimicos Christiani nominis, vt in septima.

Quarto, ad Sedem Apostolicam, quæ offendi potest *Primò*, quoad personas, quæ sunt sub eius protectione, quales sunt deferentes victualia ad Curiam Papæ, vt in octaua; venientes ad eam pro negotijs, morantes & recedentes, vt in nona; & recurrentes ad illam, vt in duodecima. *Secundò*, quoad suam auctoritatem vel per falsificationem literarum Apostolicarum, vt in sexta: vt per appellationem à grauamine ad Laicam potestatem, vt in decimaterria, vel per vsurpationem bonorum Ecclesiasticorum, vt in decimaseptima.

Quinto, ad Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ

potest offendi; *Primò*, ratione principalium eius membrorum, quales sunt Cardinales, Nuncij, Episcopi, alij Prælati, vt in vndecima. *Secundò*, derogando eius auctoritati, vel per cognitionem causarum spiritualium à Laicis, vt in decimaquarta; vel per immunitatem fori, vt in decimaquinta; vel per recursum à iurisdictione Ecclesiastica ad Laicam, vt in decimasexta.

Tertiò, derogando eius libertati, vel per impositionem onerum personis, & bonis Ecclesiasticis, vt in decimaoctaua; vel per cognitionem causarum criminalium pertinentium ad Clericos, vt in decimanona. Atque hæc satis circa censuras, & circa scientiam necessariam Sacerdoti tanquam iudici.

§. 2. *De Scientia, quatenus est Medicus.*

Secundò, principaliter tanquam Medicus duo præcipuè scire debet. *Primum*, regulas communes, quibus excusari potest quis in præcepto, & à peccato mortali, vt est ignorantia probabilis, inaduertentia, impotentia, leuitas materiæ, metus etiam grauis, vt infamiæ vel mortis excusat in quibusdam præceptis, præsertim, de iure positiuo humano. *Secundum*, quæ remedia cuique peccato adhibenda sint, quæ cognosci possunt tum ex Polanco *in Direct.* tum ex Costero *l. 2. suarum Christianarum institutionum.* Omnia porrò remedia eò tendere debent, vt peccatum præteritum curetur, & vt futurum caueatur.

§. 3. *De scientia, quatenus Confessarius est Doctor.*

Tertio, tanquam Doctor quinque præcipuè scire debet. *Pri-*

Primò, de Sacramentis quid sint, quæ materia, quæ forma, minister, & effectus? *Secundo*, de particulari de pœnitentia & eius partibus, vt de contritione, confessione, satisfactione, & absolutione multò plura, quàm de reliquis. *Tertiò*, de matrimonio impedimenta tum dirimentia, tum non dirimentia. *Quarto*, vsuram, & nonnullos contractus, vt emptionem, & venditionem, censum, cambium, societatem. *Quinto*, simoniam propter Ecclesiasticos. Hæc satis de secunda conditione.

CAPVT III.

De prudentia necessaria ad Confessiones.

QVOAD tertiam conditionem quæ est prudentia. Hæc posita est, tum erga pœnitentem, tum erga seipsum. Erga pœnitentem debet esse prudens, præcipuè in sex

Primò, in examine faciendo, vt scil. roget verisimilia secundum cuiusque statum, ne doceat simpliciores ignota peccata, ne si ex habitu & professione statum agnoscit, roget de circumstantijs, vt si sit Virgo, vel Monialis, ne pudefiat, & fortè mentiatur.

Secundò, in monendo incauto pœnitente, si præuideat eum declaraturum complicem sine necessitate.

Tertiò, in relinquendo illum in sua bona fide, quando ex manifestatione putat nihil se profuturum, vt in impedimento matrimonij.

Quartò, in confirmando se opinioni probabili in praxi ipsius pœnitentis, absoluendo illum, si iuxta eiusmodi opinionem absolui potest;

test; non ita si sponte petat ad consilium.

Quinto, in applicandis medijs accommodatis pœnitenti, quæ ad duo dirigi debent. Primò, ad dolorem maximum peccatorum ex parte Dei offensi, Summi Boni, Optimi, Creatoris, Redemptoris, Benefactoris, &c. Secundò, ad propositum non peccandi de cætero, tollendo casus peccati; vt malam societatem, frequentationem talis loci, proponendo periculum mortis repentinæ, grauitatem ingratitudinis in recidiuo, & similia.

Sexto, in imponenda salutari pœnitentia, quę debet esse accommodata peccatis, & pœnitenti, sed magis pœnitenti, declarando quanta deberetur eius peccatis, & cohortando ad maiorem.

Erga seipsum prudens esse debet. *Primo*, in [illegible]irendis cautè circumstantijs sexti præcepti præparatorijs ad actum consummatum, modis minutis non necessarijs, ne se vel pœnitentem excitet ad aliquam tentationem.

Secundo, in vitando mutuo aspectu pœnitentis, præsertim si puer sit, vel fœmina; & nisi tabula interiecta sit, manus certè cum linteolo intercedat.

Tertio, in agendo rigidius cum fœminis resecando superfluas narrationes.

In particulari autem quærat quispiam, qua prudentia agendum sit cum recidiuis?

Respondeo, & dico *primo*, Confessarios non debere esse admodum difficiles in ijs absoluendis, tum quia vt plurimum in ijs non adest nisi remota occasio; tum quia non minus tenetur quis-

quisque vitare omnia mortalia, quam singula: & tamen si quis semper in aliquod mortale incidat, facilè solet absolui; tum quia propter hos pœnitentia est quædam Medicina, & alioqui *Matth.18* interroganti Petro dictum fuit: *Non septies, sed septuagies septies* ignoscendum esse fratri peccanti.

Dico secundo, Aliquando potest differri absolutio, quãdo probabiliter dubitaretur de necessario proposito, quãdo autem adest verus dolor, & efficax propositum, semper absolui potest.

Dico tertio, Remedia duplicia sunt, quædam iuuant, ne quis reincidat; quædam postquam incidit, ne sępius relabatur. Ante lapsum duo prosunt. Primùm, oratio aliqua breuis: vt illa: *Deus in adiutorium meum intende.* vel illa: *Cor mundum crea in me Deus.* vel: *Fiat Domine cor meum immaculatum.* Solent enim hæc reincidentia maximè contingere in peccatis carnis, vt mollitie, fortè enim ex tali oratione Deus miserebitur, & auxilium efficax concedet. *Secundum*, applicatio mentis ad aliquid, quod pœnitentem retrahere possit à peccato: vt consideratio mortis, inferni, paradisi, beneficiorum Dei, &c. iuxta propensionem pœnitentis: aliqui enim magis mouentur pœnis, quàm beneficijs. Sic etiam aspectus alicuius imaginis, vt Crucifixi, Christi alligati ad columnam, mortis, vel moribundi, vel denique alterius rei efficacis ad id. Demum admotio alicuius rei, quæ dolorem inferat carni, vt digiti ad candelam accensam, acus ad carnem, & huiusmodi.

Post lapsum autẽ hæc iuuant. *Primò*, recitatio

Psalmi *Miserere*, flexis vel etiam nudis genibus. *Secundò*, deosculatio terræ, quinquies vel pluries. *Tertiò*, ieiunium in sequenti die, vel aquæ potus in sequenti mensa. *Quartò*, flagellum vel gestatio cilicij sequenti hora, vel vespere. *Quinto*, eleëmosyna aliqua cara. *Denique*, vt saltem post tertiam vicem redeat ad confessionem.

Dico quarto, hæc remedia omnia, vel eorum aliqua proponenda esse pœnitenti, vt ipse sponte assumat aliquod tamquam necessarium: verè enim ipse tenetur ad aliquod ex ijs assumendum; non tamen imponenda sunt à Confessario ex obligatione, nisi habito prius suauiter consensu pœnitentis; alioqui ferè potius obsunt, quàm prosint. Hæc de tertia conditione.

CAPVT IV.

De Bonitate requisita ad Confessiones.

QVOAD quartam conditionem, quæ est Bonitas. Hæc non est necessaria ad valorem Sacramenti, nisi per bonitatem accipiatur ipsa fidelitas, id est, intentio conferendi Sacramentum, tunc enim esset necessaria etiam ad valorem. Ad rectum autem modum illud ministrandi necessaria est aliqua bonitas, id est, dispositio debita, vt nimirum fit in gratia, vel breuia confessione, si agnoscat in se culpam mortalem, vel media contritione saltem existimata. Ad hanc autem pertinet solutio trium difficultatum. *Prima*, an Confessarius teneatur admonere pœnitentem de statu, qui est ex se malus, vt si retineat rem alienam, vel habeat impedimentum irri-

tans

ans matrimonium, &c. Pœnitens autem bona fide existimat; vel rem esse suam, vel matrimonium validum esse.

Respondeo primo, Si ignorantia esset vincibilis, teneretur admonere secundum omnes. *Secundo*, si est inuincibilis, non debet vnquã meniri, nec confirmare pœnitentem in suo errore; sitem ab eo interrogetur ex aliqua dubitatione, debet respondere secundùm veritatẽ quantum satis est pro interrogatione. Tertiò, tacere veritatem potest, quando non adest spes probabilis fructus, aut timetur scandalum vel graue incommodum pœnitentis: correctio enim fraterna non obligat, quando non est spes, vel cum tanto periculo: quando autem speraretur fructus absq; scandalo, vel graui incommodo pœnitentis, tunc teneretur tam ratione officij, quàm ratione correctionis fraternæ.

Secunda difficultas, an quando adest varietas opinionum; possit ac debeat Confessarius sequi opinionem probabilem pœnitentis?

Respondeo primo, Quando Confessarius iudicat pœnitentem non esse rectè dispositum ad absolutionem, tenetur sub mortali non absoluere. Contra verò, quando agnoscit esse dispositum, non potest illi absolutionem denegare, esto non esset proprius pastor: quamuis enim ille, qui non est proprius antequam pœnitentem audiat, possit non ministrare illi pœnitentiam; attamen postquam audiuit, tenetur, si dignum eum inuenit, absoluere: alioquin iniuriam magnam inferret pœnitenti, obligando illum ad repetendam confessionem eorundem peccatorum.

Respondeo secundò. Esto sint hac de re opiniones, tamen communior & probabilior est, posse & debere Confessarium sequi opinionē in praxi probabilē ipsiusmet pœnitentis, quia pœnitens eum sequendo nō peccat, & est rectè dispositus, & hoc totum constat Confessario; ergo tenetur illum absoluere ex prima responsione. Quod verum est tam de Confessario proprio, quàm nō proprio: hic enim etiam tenetur absoluere pœnitentem debitè dispositum, vt dictum est.

Tertia difficultas, quid teneatur agere Confessor, quando malè aliquem absoluit?

Respondeo: Duplici de causa potest malè absoluisse. *Primo*, quia inualidè. *Secundò*, quia cum peccato, sed validè. Potuit autem esse inualida, vel quia non habuit intentionem, vel quia non habebat iurisdictionem, vel quia agnoscens pœnitentem culpabiliter non esse dispositum, ipse tamen ob timorem videlicet, vel verecundiam, ne pœnitens offenderetur, illum absoluit. Mala autem & cum peccato esse potuit, vel quia non quæsiuit de circumstantia necessaria ex negligentia culpabili, vel quia non obligauit ad restitutionem, vel non admonuit cum posset & deberet, vel quia reliquit in occasione proxima peccandi

Dico igitur primo. Quando nulla fuit absolutio, & pœnitens non propterea incurrit extremam necessitatem, si non potest eum reuocare, vel nō nisi cum scandalo ipsius aut infamia propria, satis est Confessarium dolere de culpa commissa, & commendare pœnitentem Deo; quia in sequente confessione, quam faciet, absolue-

netur indirectè, & à peccatis antea confessis quorum putat bona fide recepisse se absolutionem. Quando autem pœnitens propterea fieret in extrema necessitate, puto Confessarium obligatum iri etiam cum proprio aliquo dedecore & incommodo, cui præferenda esset salus animæ pœnitentis; secus si nulla ratione eum posset reuocare.

Dico secundo. Quando fuit tantum cum peccato, regulariter ad nihil aliud tenetur, præterquam ad dolorem de peccato facto: quando autem esset eiusmodi defectus coniunctus cum damno, vel præiudicio tertij, vt quia pœnitens retinebat alienũ, tunc teneretur Sacerdos eum reuocare, & admouere, quando positiuè contrarium dixisset, nempe eum non teneri ad restitutionem: quando autem tantum tacuisset, non tenetetur. Hæc de quarta conditione.

CAPVT V.

De cura in seruando sigillo Confessionis.

QVOAD quintum, de cura in seruando sigillo, quatuor præcipuè de eo cognoscenda sunt. *Primum*, ex qua confessione oriatur obligatio sigilli, & Dico oriri ex confessione Sacramẽtali perfecta vel inchoata, facta Sacerdoti vero, vel ita existimato. Dixi *Sacramentali*; quia ex illa, quæ fieret laico scienter, vel Sacerdoti, etiamsi ex deuotione, vel humilitate, vt in periculo mortis, non oriretur hæc obligatio. Item ex ea quæ fieret Sacerdoti quidem, sed non animo se accusandi, sed potius animo decipiendi, vel inducendi peccatum, vt ad coniuratio-

nem,&c. non oriretur obligatio. Dixi *perfecta vel inchoata:* quia ex hac etiam oriretur obligatio: talis esset ea quæ fieret Sacerdoti, qui deinde dignoscitur nõ habere iurisdictionem, vel non animo recipiendi absolutionem, sed tantum se accusandi in illo foro, & satisfaciendi præcepto. Item ea quæ fit superiori, à quo per se vel per Confessarium petit pœnitens absolutionem à casu reseruato, & alijs huiusmodi. Dixi, *Sacerdoti* vero, vel ita existimato: ad includendam eam confessionem, quæ fieret Sacerdoti qui fingeret se sacerdotem, cum tamen reuera non esset: verum hoc est dictum probabiliter: ex sententia enim aliquorum orietur eadem obligatio, ex aliorum sententia non esset eadem, quia non adest verum Sacramentum in ea confessione.

Secundo cognoscendum est, quænam sit materia sigilli; &

Dico esse quinque. *Primò* peccata omnia mortalia & venialia in confessione audita. *Secundo*, omnes circumstantias, & obiecta peccatorum; integrant enim hæc ipsum peccatum. *Tertio*, alia omnia, quæ dicuntur ad declarandum peccatum, vel circumstantias ipsius *Quarto*, ipsa peccata publica, quatenus in confessione audita sunt, dicuntur materia sigilli; semper enim fieret iniuria Sacramento, quod redderetur onerosũ, quamuis fortè non fieret pœnitenti. *Quinto*, hæc omnia intelligenda sunt esse materiam sigilli, sed relata ad personam, & peccatorem, ita vt debeant seruari sub sigillo, ne detegatur persona, & peccator: alioquin ipsa peccata per se refer-

referri possunt, modò fiat cum prudentia, ne quoquo pacto possit agnosci pœnitens.

Ex his sequitur non pertinere ad sigillum dicere, talem sibi esse confessum, vel habere peccata venialia in genere, non exprimendo aliquod in particulari.

Tertio, cognoscendum est, quæ personæ obligentur ad hoc sigillum.

Respondeo obligari quinq; personas. *Primò*, est Confessarius, ad quem reduco superiorẽ, quando ab eo petitur licẽtia casus reseruati. *Secundo*, interpres (vel nuncius, si fieri posset in absentia) de quo licèt sint opiniones, tamen probabilius est teneri, quia participat suo modo actum clamium. *Tertio*, Consiliarius, quem de licentia pœnitentis consulit Confessarius, vel præsentem, vel post confessionem. *Quarto*, est is qui furtiuè audit confessionem alterius, vel etiam casu, tenetur etiam sub eadem obligatione. *Quinto*, est is, cui confessor sacrilegus reuelauit peccatum alterius auditum in confessione: tenetur enim etiam is sub eodem sigillo. Vnde est regula generalis: *Omnis notitia habita ex confessione, siue mediatè, siue immediatè, transit ad quemcunque sub eodem onere, & manet sub sigillo.* Cum pœnitente autem ipso non potest Confessarius loqui, nisi de eius licentia.

Quarto, qua ratione seruandum sit huiusmodi sigillum?

Respondeo, esse seruandum *Primo* tam directè quàm indirectè; Vnde non potest Confessarius dicere se talem non absoluisse; dicat: Non perfeci officium meum. Item non laudet aliquẽ

ex multis. *Secundo*, est seruandum tam verbis, quàm signis aut factis. Vnde Episcopus, vel Sacerdos nõ potest publicè negare Eucharistiam, vel matrimonium ex scientia habita solum in confessione. Item Sacerdos qui nouit aliquem excommunicatum ex confessione, non potest illi negare Eucharistiam, nec etiam priuatim. Potest quidem sub aliquo prætextu: sed si aliter effugere non posset quàm significando notitiam ex confessione, potius debet illi conferre Sacramentum, quàm non seruare sigillum. *Tertio*, est seruandum in ordine ad quamcunque interrogationem, quæ fieri possit, siue extra iudicium, siue in iudicio, siue cum iuramento dicendi quæ sciuerit, siue non: nulla enim potest esse iuridica, & consequenter semper potest Sacerdos æquiuocare, & respondere iuxta mentem interrogantis. Atque hæc satis de conditionibus in confessione requisitis.

INTERROGATORIVM PRO Confessionibus longioris temporis.

PRIMÒ interroget tria. I. Tempus vltimæ confessionis; & an impleuerit pœnitẽtiam? II. Statum Pœnitentis, an coniugatus vel solutus, mercator, miles, officialis, &c. III. Dispositionem, an paratus veniat? Cætera in progressu confessionis.

Deinde interroget circa Decem Præcepta hoc ordine.

Circa primum Præceptum QVINQVE.

I, *Circa Fidem.* An dubitauerit, consenserit, expres-

expresserit signo aliquo propter excommunicationem?

De prouidentia Dei præcipuè, animæ immortalitate, futura vita.

An sciat necessaria pro rudibus.

II. *Circa spem.* An desperauerit, præsumpserit, tentarit Deum, spem totam in creatura reposuerit?

III. *Circa Charitatem.* An odio Deum habuerit ob legem datam, vel pœnam inferni impositam, mortem, &c.

An animauerit ratione debita, tempore debito, in periculo tentationis, vsu Sacramentorũ?

IV. *Circa Religionem.* An orauerit aliquando, præcipuè occasione mortis spiritualis vel necessitatis proximi?

An Officium recitauerit, si est Sacerdos, Beneficiarius, &c.

An commiserit Sacrilegium in personis, rebus, locis sacris?

V. *Circa vitia opposita Religioni.* An fidem præstiterit Breuibus, superstitionibus, vanis obseruantijs?

An ijs vsus fuerit ad malum, vel bonum finem, vbi de maleficio, &c.

Circa secundum Præceptum TRIA.

De Blasphemia. An blasphemauerit Deum, Beatam Virginem, Sanctos, Creaturas?

Quomodo? an tribuendo Deo quod non habet, vel auferendo quod habet, vel tribuendo creaturæ, quod est Dei proprium, vel imprecando Deo aliquod malum, vel nominando membra turpia?

II. *De*

II. *De Iuramento.* De veritate; an mendacium cum iuramento protulerit? De Iustitia; an promiserit facere quod malum est, vel non facere quod bonum?

De Iudicio; an indiscretè, & sine vlla causa ex temeritate iurauerit?

III. *De Voto.* Qua de re? an tardus in eo implendo?

An promiserit quod non est bonum? an fregerit, & quoties.

Videat an possit commutare, dispensare, &c.

Circa tertium Præceptum QVATVOR.

I. De Missa in festis; an totam vel notabilem partem, vt tertiam, omiserit sine causa, vel cum magna distractione confabulatus sit?

II. De opere seruili, vel alio prohibito in festis per tempus notabile; an ipse id egerit, vel alijs fuit causa, vt ipsi agerent?

III. De Ieiunio in Quadragesima, Vigilijs, &c. confessione annua, Communione in Paschate, & solutione decimarum.

IV. De communicatione cum excommunicato non tolerato; vel an ipse communicatus participarit in diuinis?

Circa quartum Præceptum. SEX.

I. De dilectione proximi generali, & de signis communibus erga inimicos, remissione iniuriæ, & pace petita.

II. De beneficentia corporali, vt eleëmosyna in necessitate extrema, vel graui, & de superfluis ratione status.

III. De beneficentia spirituali, vt correctione fraterna de peccato mortali, quando est

spes

spes emendationis, opportunitas personæ & temporis.

IV. De obligatione filiorum erga parentes. 1. In dilectione etiam externa, subuentione in necessitate, impletione testamenti & legatorũ. 2. In reuerentia, an maledixerint, percusserint, optarint mortem? 3. In obedientia in rebus pertinentibus ad gubernationem domus, ad bonos mores, & salutem animæ, & contra.

V. De obligatione parentum erga filios, tum in cura, vt sciant res necessarias; tum quoad mores, permittendo eos malè viuere, vel præbendo malum exemplum.

VI. De obligatione viri respectu vxoris, in non afficiendo iniuria, non percutiendo, non negando debito, &c. & è contra vxoris respectu viri, in obẽdientia in spectantibus ad bonos mores, & gubernationem familiæ; in redditione debiti modo dicto, & cura, ne sua morositate & rixis blasphemare, vel maledicere faciat virum.

Circa quintum Præceptum. QVINQVE.

I. Si optauit sibi, aut alijs mortem, vulnera, infamiam, graue malum: vel gauisus est de morte patris, fratris ob hæreditatem, vel ex inuidia, odio, &c. si morosè delectatus sit de vindicta, vel doluit de aliorum prosperitate?

II. Si protulit minas, contumelias ex ira, vel conuicia?

III. Si occidit iniustè, mutilauit, vulnerauit, torsit? Mater, si oppressit infantem in lecto, vel fuit causa abortus.

IV. Si ad aliquod supradictorum cooperatus est

est nouem illis modis, de quibus in versibus:

Iussio, consilium, consensus, &c.

V. Si fuit aliquo scandalo causa mortis spiritualis, in ducendo ad peccatum, vel publicè peccando?

Circa sextum Præceptum SEX.

I. Si habuit turpes cogitationes cum consensu, si morosè delectatus; si verba inhonesta, aspectus, tactus libidinosi interceserunt, & cum quo, vel cum qua?

II. Si cognouit fœminam, an soluta, virgo, coniugata, consanguinea, sacra: si in vase naturali, an extra vas?

III. Si contra naturam per mollitionem; sodomiam, bestialitatem, impudicitiam, an pollutionem voluntariam passus fuerit in vigilia: & de qua persona cogitarit?

IV. Si insecutus est fœminam diu: an peruenerit ad verba, literas, munera, tactus: si ornatu, musica & alijs ob malum finem placendi, & prouocandi ad carnem vsus est?

V. Si lectione librorum impudicorum se prouocauit, optauit ab alijs concupisci; iactauit se de huiusmodi peccatis, &c.

VI. A coniugato, si petiuit debitum cum impedimento affinitatis, cognationis spiritualis, voti castitatis, periculi abortus, vel effundendi semen extra vas?

Circa septimum Præceptum QVINQVE.

I. De Furto in notabili quantitate etiam à proprijs parentibus: de damno illato: an iussus in alia confessione restituit? Hic de bonis naufragantium, & latrocinio maritimo.

II. De

II. De Fraudibus in emptione & venditione circa rem, pretium, pondus, mensuram, numerum, si emit rem alienam scienter?

III. De Vsuris in mutuo, in emptione anticipata, vel dilata solutione in cambijs, societatibus, censibus.

IV. De Fraudibus in Ludo: an cum personis habilibus, inæqualibus quoad artem, inductis importunis precibus, aut minis?

V. De animo furandi aliena, retinendo cum damno domini, concupiscentia variarum rerum alienarum, de cooperatione modis dictis.

Circa octauum Præceptum.

I. De iciunijs extra iudicium.

1. Mendacio pernicioso.

2. Detractione, vel mentiendo vel dicendo verum occultum quod infamet, vel ex loquacitate infamando, vel referendo aliorum mala animo infamandi, vel audiendo & cooperando infamationi.

3. De secreto reuelato absque iusta causa, apertione literarum alienarum.

4. De sulurratione seminando discordias, irrisione animo confundendi.

5. De maledictione animo vt graue malum eueniat, iudicio temerario, & suspicione.

II. De iniurijs in iudicio, ex parte iudicis, accusatoris, rei, testis, aduocati, procuratoris.

Circa nonum Præceptum.

I. De SVPERBIA: an putauit à se habere bona, vel à Deo ex proprijs meritis, vel tribuit quæ non habet, vel alios contempsit inordinatè.

II. De

II. De VANA GLORIA: quando optatur, vel quæritur de re mala, aut malis artibus, aut relata ad malum finem.

III. De INOBEDIENTIA, & ambitione.

IV. De GVLA: an per eam violatum sit præceptum: vel ea quæsita sit cum notabili damno salutis propriæ, vel proximi: vel propter eam debita non soluantur?

V. Reliqua deducta sunt ad præcepta: vt auaritia ad quartum, luxuria ad sextum, ira & inuidia ad quintum: accedia communiter non est peccatum mortale, nisi quando ob eam violatur præceptum sub mortali, vel desperat quis peruenire ad vltimum finem.

Circa decimum Præceptum.

Quæri potest in fine:

1. An sciat necessaria, & obligationes proprij status.
2. An quid aliud memoriæ se offerat grauans conscientiam.
3. An doleat generaliter de offensis in custodia quinque sensuum, trium potentiarum, operum misericordiæ?
4. De ingratitudine in reddendis gratijs pro beneficijs, reincidendo in peccata. De periculo peccandi, cui sæpè se exposuit; de dubijs, quę habuit an quid esset peccatum, & tamen operatus est cum illis.
5. Accuset se de omni alia re, in qua Deum offendisset, vel fuisset causa, vt alter offenderet.

TRA-

TRACTATVS BREVIS DE MODO, quo gerere se debet Sacerdos cum agonizante, seu moribunde.

AD moribundum ex præscripto D. Iacobi *in sua canon. sub fin.* inducendus est Sacerdos: de quo immeritò quæri potest, quomodo in casu tanti momenti se gerere debeat? *Primo* igitur curare debet in seipso cordis puritatē & innocentiam, per quam in graui necessitate proximi sit Deo gratus mediator.

Secundo, sinceram habere intentionem, tantumque duci zelo diuini honoris, & compassione proximi de vita periclitantis.

Tertio, non nectere moras: sed statim ac vocatus est, adire infirmum, ad obuiandum periculo, quod esse potest, malè moriendi: quo nullum est formidabilius, cum sit summi mali, idq; irreparabiliter.

Quarto, colloquia salutaria cum eo miscere, præsertim de Dei erga nos prouidentia, deque dilectione, qua (ex Ioan. 3.) *ipse sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Atque, si à Medicis didicerit non esse sperandum de ipsius vita, prudenter & suauiter in nomine Domini ipsum monere debet: sicut Isaias cap. 38. Ezechiam regem, his verbis: *Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ, quia tu morieris, & non viues.* Moneo igitur, vt testamentum condas, quum primum potes: vt à mundanis totaliter mentem transferas ad æterna, prout expedit tibi ad animæ salutem: alienum restituen-

stituendo, si iniustè detineas: & iniungendo eleëmosynas in subsidium pauperum, & Missas, aliaque suffragia ecclesiastica pro remedio animæ tuæ. Neque verò debet Sacerdos contentus esse, id onus committere parentibus, vel amicis, quando non caret probabilitate, quòd in ea re sint officio defuturi, timentes ei displicere, & morbi aggrauationi causam dare; quin potius in spem recuperandæ sanitatis erecturi misericorditer crudeles; cùm salutare desiderium consulendi saluti animæ, in eodem infirmo reddant languidum, quod valdè roboraret apprehensio mortis imminentis.

§. 1. *De ratione tranquillandi moribundum turbatum horrore mortis.*

Si contigerit infirmum turbari accepto nuntio de morte sibi imminente, tranquillandus est rationum sequentium momentis.

Prima est, quòd Deus sit absolutè Dominus vitæ nostræ, non minus quam aliarum rerum nostrarum; ideoque illam tollens non facit nobis iniuriam, quia tollit quod suum est. Dicatur ergo cum patiente Iob patienter: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, seu auferre vult, *sit nomen Domini benedictum.*

Secunda est, quòd immutabili decreto ab origine mundi constitutum sit omnibus hominibus semel mori (de quo *ad Heb. 9.*) designato etiam die, qui terminet vitam, ne præteriri possit, iuxta illud in libro Iob, cap. 14. *Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos, qui præteriri nõ poterunt.* Quia igi-

igitur nemo potest voluntati Dei resistere, necesse est conformare se ei, qui nobis vult omne bonum Pater amantissimus: nec potest malum facere infinitè bonus.

Tertia est, quòd etsi dies mortis horribilis esse soleat; verè tamen melior est die natiuitatis, vt Ecclesiast. c. 7. dicitur: & patet, quia natiuitas dat initium innumeris miserijs, prout constat experientia, & per illud libri Iob, loco citato: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs.* dies verò mortis finem ijsdem imponit, iuxta illud Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Et illud insequenti cap. 21 *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & iam non erit amplius luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.*

Quarta ratio est, quòd nolle mori, perinde stultum sit, ac nolle de numero hominum, quorum nullus eximitur à lege moriendi, quantumcunque potens & sanctus; nulli Monarcharum aut Sanctorum, Deo quantumuis amicissimorũ (ne quidem Sanctus Sanctorum Christus, nec beatissima ipsius mater) exempti sunt. Et verendum est, ne sanitate restituta, quæ nunc adsunt adiumenta bene moriendi, postea mors subita habere non permittat. Propterea debemus nos totos diuinæ prouidentiæ committere.

Quinta ratio, leniendis doloribus mortis accommodata ista est, Prudentiæ esse (prout dici solet) de necessitate facere virtutem: sicut faciemus, si dolores prædictos patienter feramus

amo-

amore Christi, qui passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius, 1. Pet. 2. Ad quod iuuabit mentis oculis intueri Christum ipsum cruce onustum, properantem ad mortis supplicium valdè crudele; & ponderare quod ab eo dictum est Matt. 10. *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum. Sufficit discipulo, si sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius.*

Sexta ratio est, quòd sacræ paginæ de tribulationibus mentionem faciant, vt de bonis in magno pretio habendis. Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* In posteriori ad Cor. c. 4. *Quod in præsenti seculo momentaneum est tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et ad Hebr. 12. *Quem diligit Deus, castigat; flagellat autem omnem filium, quẽ recipit. In disciplina perseuerate. Tanquam filijs offert se vobis Deus. Quis enim filius quem non corripit pater?* Addi potest pœnas vitæ futuræ esse grauissimas, & sine merito: redimi autem per tribulationes vitæ præsentis longè leuiores, & meritorias ex magna Dei erga nos misericordia.

§. 2. *De virtutibus ad quarum exercitium Sacerdos debet excitare & iuuare moribundum, Ac primùm de resignatione.*

Sunt aliquot virtutes, quarum exercitium ad iustificationem peccatoris conducit, in quo cõ-

sultum

ultum est moribundum vacare; cùm ex Eccle-iast. c. 9. nesciat homo, vtrum amore, an odio ignus sit: & quia aduersus illud Dæmon soleat nas tentationes adornare. Illæ autem virtutes unt: Resignatio in Dei voluntate, pœnitentia, ides, spes, charitas & oratio. Exercēdæ verò sunt icut notauit P. Ludou. Pontanus *de perfect. Reig. tract. 5. c. vlt.*) per actus obedientiæ, & pa-ientiæ: per oblationes, & desideria; per peti-iones, & gratiarum actiones. Iam tale exerci-ium Sacerdos exequetur nomine infirmi, ver-ba ipsius, si non possit linguâ, saltem mente se-quentis.

Quod attinet ad resignationem in voluntā-tem Dei, ea per modum obedientiæ & patien-tiæ sic exercetur: Siue viuendum sit, siue mori-endum, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Non mea, sed tua voluntas fiat.* Per mo-dum desiderij, & petitionis, sic; *Vtinam dirigan-tur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas,* vtà me fiat voluntas tua in terra, sicut à sanctis Angelis fit in cœlo. Peto, Domine IESV, per tuam sublimem resignationem in voluntate Pa-tris, vt mihi contingat sic pendere à tua volun-tate, vt verè dicam cum Apostolo: *Mihi viuere Christus est. & mori lucrum.* Per modū oblatio-nis sic: Pater æterne, Filij tui sacratissimam pas-sionem tibi offero, vt digneris mihi largiri do-num patientię in hac mea tribulatione. Per mo-dum actionis gratiarum: Benedico te Deus me-us, ac gratias ago pro doloribus, quos sentio, cū valeant ad promerendam salutem æternam, to-lerari patienter amore tui.

§. 3. *De exercitio pœnitentiæ.*

Quod attinet ad pœnitentiam, commendabilis reddenda est moribundo ex eo, quod ab illius præcepto initium suæ prædicationis Dominus IESVS fecerit, Matth. 4. tribuens ei appropinquationem regni cœlorum. Cuius præcepti obseruandi necessitatem *in seq. c. 13.* inculcauit, dicens: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Quare tanquam arreptâ post naufragium tabula, debet peccator amplecti exercitium pœnitentiæ. Quod facere potest primò per modum obligationis, sic: Indignus ego tuo diuino conspectu, Domine Deus, fretus tamen misericordiâ tuâ infinitâ, tibi offero Christi Redemptoris nostri merita, vt illorũ gratiâ dones mihi cor contritum & humiliatum: quòd cum non despicias, donabis pariter optatissimã peccatorum remissionẽ & vitam æternam. Per modum desiderij, sic: *Quis mihi hoc tribuat* (Iudex constitute viuorum & mortuorum) *vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* Per modum petitionis, sic: *Miserere mei Domine, & salua me: quia tu solus potes facere mundum de immundo conceptum semine: Hei mihi! quia peccaui nimis in vita mea; quid faciã miser? vbi fugiam, nisi ad te, Deus meus?* Per modũ actionis gratiarũ, sic: Gratias tibi ago, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, quòd de cœlesti pœnitentiæ dono tã liberaliter prouideris, vt quouis temporis momento, illius participes effici valeamus; te dicente (per Ezechielem cap. 33.) *Impietas impij non nocebit ei, in qua-*

quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia eius. Qui Angelis peccantibus non pepercit: sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, ex D. Petri Epist. 2. c. 2.

Secundum se verò pœnitentia excitetur detestando propriam ingratitudinem cõmissam erga Deum peccando: Itemque dolendo cum rodigo de misero statu, in quem nos coniecerimus: & præ pudore non audendo cum publicano in cœlum oculos tollere: ac demum cum Diuis Petro & Magdalena, imbre lacrymarum genas rigare pro tanta bonitate & maiestate offensa. Adde & firmiter proposita emendatione, implorare diuinam misericordiam per multa, quæ habentur in Psalmis, præsertim pœnitentialibus: vt, *Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si iniquitates obseruaueris, Domine: Domine, quis sustinebit? Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus. Non auertas faciem tuam à me:* & similia.

Cęterum si occurrat infirmus duri cordis, nec affecti ad exercitium pœnitentiæ, Sacerdos modum quendam emolliendi illum habet *in nostro tractatu de Prudentia Confessarij*. ideoque hic omittitur breuitatis studio.

§. 4. *De exercitio Fidei.*

Quod attinet ad Fidem, *sine qua impossibile est placere Deo* ad Hebr. c. 11. ea exercetur cre-

dendo, quæ symbolo Apostolorum continentur; siue illud ipsemet æger recitet, siue illud Sacerdos ei proponat per partes, præmittendo: Nonne viuere & mori vis in fide, quam ad salutem necessariam proponit S. Romana Ecclesia? Quòd si contingeret, infirmum ipsum aliquam tentationem pati circa credenda; ei proponi poteri: *Primò*, talia testata esse per miracula, quæ non nisi à Deo per suam infinitam potentiam fieri potuerunt: Deum autem mendacij & falsitatis testem esse non posse. *Secundò*, quòd in Christiana fide nihil vnquam, nisi sanctum & commendatione dignum deprehensum fuerit. *Tertiò*, eam prædicatam esse mundo ab hominibus integerrimæ vitæ, cum contemptu commodorum temporalium, & tolerantia tormentorum grauium, consignantibus illam sanguinis sui effusione, propriaque morte. Auditam quoque esse cum magna mutatione morum, & tantà generositate, vt quodcunque tormentorum & mortis genus pati maluerint, quàm ab ea momento temporis deficere, pleni Spiritu S. reddente illis testimonium, quòd essent filij Dei, hæredes regni cælestis, persistentes in suscepta fide.

§. 5. *De exercitio Spei.*

Quod attinet ad spem, consultum est illam præroborare atque viuificare circa sua propria obiecta; quæ sunt remissio peccatorum, diuinæ gratiæ consecutio, perseuerantia in eadem, & adeptio gloriæ æternæ. Ad quam viuificationem ista, præter alia, conferre possunt: Primum est, illud ad Rom. c. 8. *Qui etiam proprio Filio non peper-*

percit, sed pro omnibus nobis tradidit illum: quomodo non etiam cũ illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat: quis est qui condemnet? Christus IESVS, qui mortuus est, imò qui resurrexit, qui est à dextris Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Secundum est Christi promissio accipiendi à Deo quidquin petierimus. *Petite* (inquit Matth.7. & Luc.11) *& accipietis: quaritè & inuenietis: pulsate & aperietur vobis.* & Ioan.14. *Quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Qui promittit, fidelis est, possibilique est apud eum omne verbum, vt meritò dicendum sit: *In te Domine speraui, non confundar in æternum. Quoniam, confirmata est super nos misericordia tua, & veritas tua manet in æternum.* Tertiũ est, Dei miseratio. de qua Psal. 102. *Quomòdo pater miseretur filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum*, seu infirmitatem nostram naturalem. Et Isaiæ c. 49. *Nunquid mulier potest obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Quartum est, benigna inuitatio diuina. Ierem.c.3. *Tu fornicata es cum amatoribus multis: veruntamen reuertere, & suscipiam te.* Item Matt.11. *Venite ad me* (inquit Christus) *omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et, *Eum qui venit ad me, non eijciam foras.* Quintum est, enormitas peccati desperationis, quâ Deo tollitur quod ei maximè proprium est, puta misereri semper & parcere: vt Ecclesia profitetur, ipsum sic precando; *Deus, cui proprium est misereri semper & parcere*, &c. Absit vt sect-

tores fineus Caini & Iudæ proditoris, desperantium de Dei misericordia, cuius magnitudo quãcunque magnitudinem & multitudinem quorumcunque peccatorum infinitè superat: nulli contrito corde petenti, vllo tempore neganda, ne quidẽ in extremis, vt patet in S. latrone, qui cum sciret adesse sibi vitæ extremũ, misericordiam petenti à Christo promissus est Paradisus. Cauendum est autem sedulò, ne aures præbeamus sophisticis rationibus Dæmonis, quibus desperationem suadere nititur; quæ omnes euanescent erectis oculis mentis ad Christum crucifixum, qui pugnauit pro nobis, vicit pro nobis: In eo enim est salus, vita & redemptio nostra, multò magis quàm in serpente à Moyse erecto fuerit salus eorum, qui morsibus serpentum morti exponebantur. Nobis sufficiat infinita esse merita Christi, quibus nobis promeruit remissionem peccatorum, diuinam gratiam, & gloriam sempiternam. Ea autem fidelibus ad ipsum conuersis applicantur sufficienter per debitum Sacramentorum vsum, quem maximè in periculo mortis commendatum esse oportet.

Iam verò spes exerceri potest per modum obedientiæ & patientiæ, sic ex Psal. 42. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus.* Deinde ex Psal. 21. præcedenti: *Quoniam tu es, qui traxisti me de ventre, spes mea, ab vberibus matris meæ in te proiectus sum ex vtero matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me.* Præterea ex Psalm. 30. *In te Domine speraui, non confundar in aeternum*

um, in iustitia tua libera me Inclina ad me au-
m tuam: accelera, vt eruas me. Esto mihi in
eum protectorem, & in domum refugij, vt sal-
um me facias. Quoniam fortitudo mea, & refu-
ium meum es tu, & propter nomen tuum deduces
e, & enutries me. Educes me de laqueo hoc, quem
bsconderunt mihi, quoniam tu es protector meus,
manus tuas cõmendo spiritum meum, redemisti
e, Domine Deus veritatis. Et alibi Ps. 26. Si con-
stant aduersum me castra, non timebit cor meum.
t Ps. 22. Si ambulauero in medio vmbræ mortis,
n timebo mala, quoniã tu mecũ es. Et Iob 17. Pone
me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.

Amplius spes per modum desiderij æternę sa-
lutis (quæ est illius obiectum præcipuum) exer-
cetur vsurpando illud Psal. 83. *Quàm dilecta ta-
bernacula tua Domine virtutum, concupiscit &
lesicit anima mea in atria Domini. Cor meum &
caro mea exultauerunt in Deum viuũ.* Quod de-
sderium in infirmo accendi potest commemo-
ratione bonorum, quæ continentur adeptione
æternæ gloriæ: quæ sunt, liberatio à peccato &
omni miseria, ac seruitute Diaboli: summa ex-
pletio desideriorum, requies, bonor, gaudium
sempiternum, cum clara Dei visione & conuer-
satione suaui cum Angelis Sanctisq; alijs, atque
B. Virginis omnium Reginæ frui iucundissimo
cõspectu: adeoq; Christi Iesv, qui sedet ad dex-
teram Patris, solus Dominus & solus altissimus;
quem & oculis à mortuis suscitati, visuri sumus,
iuxta illud Iob 19. *In carne mea videbo Deum Sal-
uatorem meum, quem visurus sum, & oculi mei
conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes
mea in sinu meo.*

Quæ cum ita sint, quid restat infirmo, nisi vt spe tantorum bonorum se fulciens, audito de morte sibi imminente nuntio, cum exultatione dicat illud Psal. 121. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus.* Dicat tamen sine præsumptione, & cum corde contrito & humiliato.

§. 6. *De exercitio Charitatis.*

Qvod attinet ad charitatem, ad illius exercitium, quod est amare Deum super omnia, & proximum sicut nos ipsos propter Deum, inflammanda est voluntas ponderatione titulorum, quibus ad illud omni iure obligamur.

Primus est, Dei bonitas & maiestas, qua dignus est amari amore infinito. Cuius præstandi, quia capaces non sumus, finitus nobis imponitur supra omnem amorem creatum, seu, vt dici solet, qui sit super omnia, ita vt non modò nõ amplius, sed nec tantum quantum ipsum vllam creaturarum amemus; vt dicere liceat cum Dauid in Psal. 7. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terrã? Deficit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Secundus titulus est, quòd Christus prior dilexerit nos, iuxta illud Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et illud in Epist. 1. eiusdem Ioannis cap. 4. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Quam, quæso, indignum esset tantum amatorem non redamare ex toto corde, & tota anima, & omnibus viribus! Id igitur studeamus obtinere ab ipso Christo illâ affectuosâ D. Bonauenturæ oratione. *Transfige dulcissime Domine* Iesv *Christe, medullas & viscera*

viscera animæ meæ, suauissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serenaq; & Apostolica sanctissima charitate, vt langueat & liquefiat anima mea, solo semper amore & desiderio tui: te concupiscat & deficiat in atria tua: cupiat dissolui, & esse tecum. &c.

Tertius titulus est, beneficiorum à Deo acceptorum magnitudo & multitudo, tam communium, creationis, prouidentiæ, redemptionis iustificationis & futuræ gloriæ (quibus alia innumera continentur,) quàm particularium cuiuscunque personæ. Quis enim talem ac tantum benefactorem non amet toto affectu, ac dicat ex Psal. 102. *Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Dominum & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum.* Vnde cauendum est, ne in nos tanquam bestijs deteriores quadret illa reprobatio horrenda apud Esaiam c. 1. *Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.*

Quartus titulus est, Christi passio, quâ maius amoris erga nos sui argumentum desiderari nõ potest, iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Si *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in*

eum non pereat, sed habeat vitam æternam. quàm indignum est aliquid præ illo amare? Eia, bone IESV, misericorditer mihi concede, vt amore tui moriar, qui amore mei dignatus es mori. Eia & tu Mater misericordiæ, fonsque amoris, fac vt ardeat cor meum in amando Christum, vt tibi complaceam. Atque mihi viuere Christus ipse sit, & mori lucrum, imitatione D. Pauli, *ex c. 1. ad Philippenses.*

Quintus titulus est, Dei in nos amoris perpetuitas; de qua Ierem. cap. 31. *Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui.* Et Psal. 102. *Misericordia Domini ab æterno: & vsque in æternum, super timentes eum.*

Sextus est, necessitas eiusdem amoris. Namque non nisi præceptorum diuinorum obseruatione conceditur in regnum cœlorum ingressus, dicente Domino Matth. 10. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Atque eorum primum & maximum (*ex sequenti cap 22.*) est de amando Deo ex toto corde, ac tota anima, omnibusque viribus. Neque opus vllum meritorium esse potest, nisi fiat amore Dei, *ex priori ad Corint. c. 13.* In spiritu humilitatis igitur, & animo contrito per merita sacratissimę Passionis Christi obnixè petamus à Deo talis amoris inæstimabile donum, per quod non iam viuamus nos; viuat verò in nobis Christus.

Vrgeri debet infirmus, vt, vt amori Dei adiungat amorem proximi, condonando omnibus à quibus læsus est, ac pro eis oret, imitatione Christi in cruce orantis pro suis crucifixoribus; & D. Stephani precantis pro lapidantibus, ne statuatur eis illud peccatum. §. 7.

§. 7. De Oratione.

Quod attinet ad Orationem, illius exercitium opportunum est in primis in vltimo conflictu ineundo cum Dæmone. Atque si infirmus vsum eius habeat familiarem, non est in illo facilè interrũpendus per cohortationes prolixiores: sed sinendus perseuerare in ipsa oratione, Martini imitatione, qui, vt habetur in ipsius vita, oculis ac manibus in cœlum semper intentus inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Interea ad memoriam Dominicę Passionis, crux illi proponenda est veneranda & osculanda, petendo liberationem ab insidijs diaboli, verbis illis: *Per signum crucis, de inimicis nostris, libera nos Deus noster.*

Alios verò infirmos, qui ad eundem vsum sunt parum idonei, iuuare oportet exercitio orationum iaculatoriarum, quas dirigant: siue ad Deum Patrem ad hunc modum: *Pater noster, qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum*, &c. ex oratione dominica; aut sic: *Protector noster, aspice Deus, respice in faciem Christi tui, quem pro nobis in cruce mori voluisti, vt credentes in eum non pereamus, sed habeamus vitam æternam.*

Siue ad Christum ipsum, sic: *Qui in pretium redemptionis nostræ pretiosum sanguinẽ tuum fudisti, miserere mei: Saluator mundi, perfice, quod moriẽdo in me cœpisti opus meæ saluationis. Subueni famulo tuo, quẽ pretioso sanguine tuo redemisti. Anima Christi sanctifica me. Corpus Christi saluum me. Sanguis Christi inebria me. Aqua lateris Christi laua me. Passio Christi cõforta me. O bone* IESV

exaudi me. Intra tua vulnera abscende me. Ne permittas me separari à te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meæ voca me, Et iube me venire ad te, vt cum Sanctis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.

Siue etiam ad Spiritum sanctum, sic: *Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Deficit virtus mea, & ecce sponsus venit, cui debeo ire obuiam. Ne permittas meæ lampadi deficere oleum tuæ gratiæ, sine qua non patebit ingressus ad cœlestis agni nuptias Consolator optime, dulcis hospes animæ, laua quod in illa est sordidum, riga quod est aridum flecte quod est rigidum, rege quod est deuium. Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.*

Siue ad Sanctos in cœlo regnantes, peculiariter ad beatissimam Dei Matrem, sic: *Monstra te esse matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus. Maria Mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. Eia, aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte: Et* IESVM *benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.*

Siue etiam ad proprium Angelum custodem, sic: *Angele Dei, qui meus es custos, pietate superna, Me tibi commissum serua, defende, guberna, Vt tecum valeam cœlestia scandere regna.* Itemq; ad sanctum Michaelem Archangelum, sic, cum Ecclesia in eius solemnitate: *Veni nobis in auxilium, Præpositę Paradisi, cui Deus tradidit animas Sanctorũ, vt perducat eas in Paradisum exultationis.*

tionis. Sancti Dei omnes, intercedere dignemini pro nostra omniumq; salute.

Cæterum, quando infirmi adeò crescit infirmitas, vt nequeat, ne quidem Sacerdote dirigente orationi incumbere, nõ est ideo cessandum: sed oportet recitare ea, quæ in Rituali ecclesiastico præscribuntur pro commendatione animæ moribundi.

Porrò tam multa in medium allata non sunt, vt omnia omnibus indifferenter accommodentur; sed nonnulla his, nonnulla illis, prout Sacerdos prudenter, consideratis circumstantijs, imploratoque Spiritus sancti cœlesti lumine, iudicabit cuiuis infirmo expedire, ad dirigendum ipsum in viam pacis, salutisque æternæ.

Monita danda moribundo ex Rituali Romano, iussu S. D. N. Pauli V. edito.

Vt firmiter credat omnes articulos fidei, & quicquid S. Romana Ecclesia Catholica & Apostolica credit & docet.

Vt speret Christum Dominum nostrum, pro sua immensa clementia sibi fore propitium & merito eius sanctissimæ Passionis, & per intercessionem B. Mariæ Virginis & omnium Sanctorum, se vitam æternam consecuturum.

Vt toto corde diligat, & maximè diligere cupiat Dominum Deum, ea dilectione, qua illum diligunt Beati, Sanctique omnes.

Vt ob amorem Dei doleat ex corde, de omni offensa qualitercunque contra Dominum & proximum commissa.

Vt ex corde ob amorem Dei parcat omnibus,

bus, qui sibi quoquo modo fuerint molesti, aut inimici.

Vt ab ijs veniam postulet, quos aliquando dictis aut factis offendit.

Vt quem patitur dolorem & morbi molestiam propter Deum in pœnitentiam peccatorum suorum toleret.

Vt si Dominus sibi salutem corporis præstare dignabitur, proponat de cætero pro viribus suis à peccatis cauere, & eius mandata seruare.

IESV, *esto mihi* IESVS.

MODVS CONCIONANDI ET studendi Theologiæ, à quodam magni nominis Theologo, & Concionibus Scriptisque celebre, Studiosis ante aliquot annos propositus.

TAMETSI ad artem concionandi & docendi populum pertineat, vt futurus Concionator in arte Rhetorica diligenter exerceatur; vt doctè & dilucidè dicat: puto tamen exiguum hoc esse in hoc artis genere, quin etiam multi putant, hanc artem diuino instinctu magis doceri, quam humano auxilio. Proindeque videtur locum habere hic, quod dicitur in definitione Rhetoris, qua Rhetor dicitur esse vir bonus, dicendi peritus.

Duo ergo requiruntur in Concionatore. *Primo*, vt discat, quo pacto se habere debeat erga se; hoc est quo pacto se gerere debeat in seipso. *Secundo*, quo pacto ad populum. Concionator enim est instrumentum, quo Deus vtitur ad lu-

ad lucrum animarum. Instrumentum autẽ duabus constat partibus, *Vna* pars est, quæ attingit artificem. *Altera* quæ rem ipsam, sicut etiam in instrumentis Mechanicis, verbi gratia, in securi est capulus, attingens artificem, & est acies, attingens & secans lignum. Sic in instrumentis Musicis est concauitas intus, & nerui exterius, instrumentum ipsum, & manus artificis. Instrumentum non per se operatur, sed requiritur manus artificis.

Iuxta has duas partes, duo requiruntur in Concionatore. *Primo*, vt bene coniunctus sit cum Deo. *Secundò*, vt bene coniungatur cum proximis. Et hoc vsu venire solet Concionatori, quod vsu venire solet artifici, quantumuis bene peritus sit artifex, oportet instrumentum bene esse aptatum ad manum artificis. Nam vt bene possit tenere, & regere manu instrumentum suum, rectèque operari, oportet vt capulus bene aptatus manui congruat. Deinde vt acies bene possit secare ligna, vt vtrumque posset quis aptare pro sua voluntate; vt si quis scribat calamo malo, norit tamen manu calamum sic moderari, vt benè pingat.

Primò ergò necesse est, vt Concionator benè coniungatur cum Deo, & bene se cum Deo cõponat sic enim Deus facile aptabit instrumentum suum. Sed quo pacto hoc fiet? Ante omnia requiritur in bono concionatore præcipuè, vt diligenter expurget à peccatis conscientiam, & vt timoratè viuat, seque in statu gratiæ custodiat, sed neque hoc sufficit; nam secundo requiritur vt sit frequens in oratione, & medi-

meditatione cum Deo, vt intellectum & voluntatem semper coniunctam habeat cum Deo.

Officium enim Concionatoris est docere populum, sed duobus modis docetur populus. *Primò*, vt intelligat. *Secundò*, vt moueatur & afficiatur. Nec sufficit, vt sic doceatur populus, sicut in schola discipuli, qui sic docentur vt optime intelligant, quæ à præceptore dicuntur; sed requiritur in concionatore, vt non solum intellectum instruat, sed vt etiam affectum accendat. Imò diuersum fit à concionatore, quàm in præceptore: Nam præceptor hoc efficit, vt ametur à pueris, vt hoc modo facilius instillet doctrinam. Concionator non tantum vt discat populus, ideò concionamur: sed vt incipiat affici erga ea, quæ dicit. Nostra scientia & intellectus dirigitur ad voluntatem auditorum, vt intellectus assentiat, & voluntas adhæreat dictis & auditis, vt autem hoc commodè faciat concionator, necesse est vt frequenter versetur cum Deo, assiduus sit in oratione & meditatione, hoc modo facit, vt seipsum excitet frequenti contemplatione & meditatione, vt cum fructu doceat populum, & cum zelo & spiritus feruore.

Sunt qui existimant se tunc optimè dicturos, cum benè studuerint, vt tunc palam effundant ea in populum, quæ nisi priuatim mente conceperunt. Sed non satis est, inquit Bernardus, vt concionator sit canalis, sed requiritur, vt sit concha; necesse est vt primò multa bona attrahat ad se, deinde ea effundat in populum. Ita concionatores pij olim facere solebant, qui per pias meditationes accendebant amorem Dei in se,

quem

quem sequitur fastidium rerum temporalium. Talis Concionator fuit B. Paulus Apost. D. Ioannes Chrysost. B. Vincentius & alij multi. Talis est qui hodie adhuc supereſt Ludouicus de Granada, Ordinis Prædicatorij, vt patet ex eius scriptis spiritu & pietate plenis. B. Bernardus hoc modo non tam studijs quàm meditationibus profecit. Talis fuit B. Gregorius, vt patet ex scriptis & concionibus, & alij plures.

Sed præter hæc, opus est, vt Concionator fugiat magnam familiaritatem habere cum populo: sit tamen eius sermo priuatus, semper amabilis. Sic B. Chrysostomus ne quidem vocatus voluit venire ad prandia. Optimum est seruare suum secretum, neque per familiaritatem se nimis effundere, vt semper plus recondat in pectore, quam gerat in ore. Quia nimia familiaritas & affabilitas parit contemptum. Facilè notant homines leuem defectum in concionatore, qui nimis familiaris est populo, vnde & contemptibilis.

Curandum ergò est Concionatori, vt rarissimè ad conuiuia accedat, idq; propter duas causas. *Prima*, vt quod in alijs viua voce reprehendit, ipse suo exemplo damnet. *Secunda*, vt minus sit, vnde ipse reprehendi possit. Nunquam etiam in priuato colloquio se prorsus effundat, sed semper aliquid retineat, vt diximus, vt videatur semper aliquid habere residuæ scientiæ. & reconditæ sapientiæ. Non tamen ad fastum, sed ad ædificationem: rectè facit, qui plura abscondit, quam profundit. Adde, quod qui facilè admiratur, ostendit se ignorare, quæ admiratur.

Per

Per risum & cachinnum homo perdit authoritatem. Proinde quod ad mores attinet, sit grauis moribus, ita tamen vt cum grauitate non sit coniuncta superbia, neque superbiæ aliqua significatio, sed in humilitate composita grauitas. Sic Paulus Apostolus: *Ego vt parvulus in medio vestrum*, &c.

Hæc dicta sint pro priore parte, quomodo Concionator se habere debeat in seipso, & proximis. Frequens ergo sit in oratione, meditatione; frequens & ardens in sacrificio, hoc sit primum & præcipuum fundamentum Concionatori. Multi fortè parum hæc prodesse putant, cum tamen hæc magis prosint, quàm studia, licet illa his etiam coniungi debeant. Sed meditatio non prodest, si anima non sit purgata à vitiorum sordibus. Spiritus enim sapientiæ non habitat in corde subdito peccatis. Et non solum caueat sibi à peccatis, sed fugiat etiam nouitates & nugas, quæ nihil prosunt, sed magis distrahunt mentem à deuotione. Qui in Hypocaustum & cubiculum ingreditur, non facile egreditur, ne ventus aut frigus irrepat, cum egreditur diligenter claudit ostium, ne calor dissipetur. Ita Concionator cubile cordis sui diligenter obseruet, ne calor charitatis effluat; ne quis ventus vanitatis subintret. Qui hæc non æstimat, bonus aut felix Concionator nunquam erit.

Sequitur vt de Inuentione, Dispositione & Elocutione aliquid dicamus.

Nihil absurdius, quàm Concionator indoctus; multum studij oportet cum literis impendere,

dere, vt ipse prius rem ipsam plenè & fundamentaliter intelligat, quam populo proponat; nam si dicendum sit de Iustificatione, de Eucharistia, & similibus arduis materijs, quomodo poterit bene dicere, si ipse rem non satis intelligat.

Studium ergo futuri Concionatoris versari debet circa Scripturam & scholasticam Theologiam. Optimū est legere in scholastica Theologia B. Thomam Aquinatem, & illi studio impendere certas horas in die. Consultum erit vnum articulum mediatè legere in corpore, quo bene intellecto, argumenta in contrarium cum responsionibus ex ordine attente legere & ruminare, nec ad sequentem procedere, nisi cum hunc probe incorporaueritis. Impossibile est vt sine hac scholastica Theologia vtiliter versemini in studio S. Scripturæ, aut in concionibus, & fidei controuersijs.

Quia ergo duæ partes sunt studij Theologici, nempe Sacra Scriptura, & scholastica Theologia. *Primò*, Matutinum tempus impendetis lectione Sacræ Scripturæ.

Modus procedendi sit iste, vt quotidie mane vnum legatis caput ex nouo testamento & diligenter aduertatis, an aliqua sint, quæ non intelligatis, cuius interpretationem requiretis, ex commentat. vel viuis Doctoribus. Vesperi ex veteri testamento vnum aut duo capita leges. *Secundò*, vt pomeridiano tempore, vt diximus, ex S. Thoma vnum articulum absoluas. *Tertiò*, vt quotidie ex Prouerbijs Salomonis vnam sententiam memoriæ commendes. Sunt enim ibi pulcherrimæ sententiæ, quæ multum vobis pro-

proderunt ad docendum. Deinde vtile esset, vt ante dixi, quotidie vos exercere in meditatione aliqua sacra. Tradidi vobis meditationes de vita Christi, vbi ordine Harmonia Euangelica comprehensa est, in qua secuti sumus Iansenium, qui doctissimè scripsit.

Hic sit modus progrediendi in studijs pro studiosis, qui sic studeant, vt semper gustum ex studijs eliciant. Iurisprudentia, Medicina, & aliæ facultates fere solum instruunt intellectum, sed Theologia non tantum in intellectu consistit, verum etiam in gustu & affectu. Cum quolibet libro sacro habeatis & legatis vnum, probatum, breuem, & dilucidum commentatorem, vitetis varietatem & copiam, quia hæc pariunt confusionem, & non solidam eruditionem. Quotidiè à prandio semper B. Thomæ Summa legatur, vt supra. Post duos aut tres annos, peractis his, de quibus dixi studijs, ad Patres poteritis transire. Et ante omnes commendo vobis B. Chrysost. quia maxime popularis est, & futurum concionatorem rectè instruit. Singulari quoque diligentia videtur legendus B. Gregorius, propter singularem ingenij profunditatem in meditando, in quo ipse præcipue excelluit in lib. 15. Moralium, in quibus mirabilem suauitatem deuotionis inuenietis. B. Gregorio perlecto, Chrysostomum legito, deinde reliquos cum delectu, erunt ista successu temporis studioso, qui literis afficitur, facilia.

Diximus de Concionatore. *Primò*, de ipsius moribus, quomodo cum Deo & cum proximis se habere debeat, tum de præparatione materiæ,

& eius

& eius occasione diximus etiam de studio Theologiæ. Dicendum nunc restat de Inuentione. *Secundò*, de Dispositione. *Tertiò*, de Elocutione.

Et quod ad primum attinet de Inuentione, necesse est, vt Concionator totius Theologiæ scientia non leuiter tinctus sit. Nam si in Oratore omnium rerum cognitio requiritur, multò magis in concionatore, qui verbi Dei Minister est, requiritur rerum Theologicarum exacta cognitio. Diximus de præparatione in genere, nunc de ea in specie dicemus. Instruximus studiosum Theologum quoniam ille progredi debeat in studijs suis, sed quia studium nõ erit perpetuum, dicendum est quid post cursum studiorum concionatori faciendum est. Scitis Auditores quorsum studia vestra dirigere debeatis, nempe ad gloriam Dei & proximorum vtilitatem, non vt vobis tantum studeatis, sed vt proximos adiuuetis. Cogitare debetis vos esse Instrumẽta Dei ad lucrifaciendas animas aptata & ordinata. Ante omnia in concionibus vestris initio forti animo esse debetis, non timidi, non meticulosi, non vitiosa verecundia præditi. Euangelium enim quod annunciabitis, virtus Dei est, in salutem omni credenti. Non erubesco, inquit Apost. Euangelium, scil. annunciante inter tot doctos Philosophos & Oratores qui Romæ sunt. Ac proinde quia functio Legationis Concionatoris tam insignis est, non cuiuis temere hoc munus committendũ est, est enim Apostolicum, quod ad Episcopos pertinet. Sed quid Concionatori in præparatione faciendum

est.

est. Quid? confidam ingenio meo, & profundam ego in populum quod in buccam venerit? Nullo pacto hoc consultum est agere. Est quidem verum quod Christus Apostolis suis dixit: Cum steteritis ante reges & præsides; nolite cogitare quid dicturi sitis, Spiritus enim sanctus suggeret vobis in illa hora, quæ loquamini, vt in hac parte nihil tribuerent sibi, sed solum gratiæ asscriberent. Cæterum ordinariè in hoc munere requiritur ante omnia in Concionatore diligens studium, vt diligenter intendat Materiæ de qua dicturus est. Nam & Apostolus Paulus licet à Spiritu sancto edoctus esset, legitur studuisse, cum ad Timoth. scribens, libros & membranas sibi mitti cupiat. Ergo Concionator studere debet, & ante omnia cogitare, apud quos dicturus sit, vt pro ratione Auditorum temperet sermonem, nam aliud apud Religiosos, aliud apud sęculares dicendum est. Alia apud Hispanos, alia apud Italos, alia apud Germanos dicenda sunt, & quæ conueniunt vni nationi, non conueniunt omnibus, & quæ apud Germanos dicuntur, non expediret apud Hispanos vel Italos dici: Rursum, non eadem natura hominum, non ijdem mores sunt omnium. Debęt ergo se attemperare Concionator, ad ingenia & mores hominum, & cogitare quæ illis conueniunt. Tum exemplo B. Pauli, Chrysost. & insignium Concionatorum. *Primò*, quidem quædam didactica proponat, quæ ad cognitionem & instructionem fidei pertinent. *Secundò*, Ethica proponenda sunt, quę ad mores formandos faciunt, vt instruatur intellectus, & moueatur affectus.

Hæc

Hæc enim duo facere debet Concionator. *Primò*, docere populum. *Secundò*, mouere; ad doctrinam pertinet explicatio Mysteriorum fidei nostræ. Ad effectus mouendos, proponenda sunt, quæ ad mores pertinent. Exempli gratia.

Primo loco aliquid erit dicendum quod facit ad fidei instructionem, vel ex controuersijs, vel ex Symbolo, vel de Sacramentis, secundum materiam Euangelij quod tractabitur.

Secundo, Ex Euangelio doctrinam eliciet, quam applicabit ad mores populi, vt simul moueat affectum postquam intellectum instruxit. Sic Beatus Paulus in Epistola ad Romanos, initio à 1. capite vsque ad duodecimum caput agit de fide.

In posterioribus de moribus. Igitur Concionator initio prospiciat cum quibus acturus sit. Secundo, doceat & afficiat, hoc est, instruat intellectum & affectum. Tertio, habeat in materia tractanda non multa, sed selecta, valde bona, & solida; Nam populus non vult folia verborum, sed rem ipsam, quam ornare debet coloribus & similitudinibus & exemplis illustribus. Sic tamen, vt Auditores rem ipsam intelligant, & non inuoluantur multitudine verborum, quia dum nimis multa dicuntur, Auditores nihil referunt domum.

Deinde obseruandum est, vt in Dispositione seruetur bona Methodus: nam Methodus bona est, quæ hominem valdè delectat & docilem reddit. Et initio constituetis vobis aliquot puncta tractanda. Et in punctis istis facietis

aptam

aptam diuisionem, vt ad hæc referatis omnia quæ dicturi estis. Tertium est, in Dispositione, vt adferamus & condiamus nostra scripturis, non quidem multis, sed paucis & optimis. Sunt enim qui multas scripturas adferunt, quas neque ipsi, neque populus aliquando intelligat. Sicut si volo ostendere, quod opus sit, vt conuersio hominum sit dura, & vt homines cogantur vt se conuertant. Proferam ex Esaia authoritatem hanc Sacræ Scripturæ. Vexatio dat intellectum auditus. Vexatio facit, vt quod antea non intelligebatur, iam intelligatur. Explicemus hoc exemplo adolescentis admoniti à suo præceptore vt diligenter studeat, & ne tempus suum inutiliter perdat, reddendam enim esse aliquando rationem temporis neglecti, qui non inuenit hunc textum in se, & non intelligit, quia mauult ludere quàm studere. Quid agit Dominus? immittit illi morbum, & facit vt ista intelligat, quæ aliàs non intellexerat, & videbantur illi dura. Accedens itaque morbi afflictio facit, vt melius intelligat præceptoris admonitionem. Talibus similitudinibus illustratur mirifice Scriptura sacra. Et nō opus est multitudine scripturarum inuoluere auditores, vt hodie Concionatores faciunt, sed sit vna (vt dictum est) bene explicata. Et quia multæ scripturæ sunt, quæ deseruiunt ad vnum locum communem, vel similem propositionem, nunc hunc, nunc illum adferetis & explicabitis, vt dictum.

Porrò ad res obscuras similitudinibus illustrandas, iuuat versatum esse in Patribus maximè Græcis. B. Basilius infinitas habet similitudines;

dines, & similiter B. Chrysostomus. Ad similitudines faciunt figuræ veteris testamenti. Sic B. Gregorius sæpè vtitur illis figuris, quæ maximè res illustrant.

Hæc de Dispositione, vt ista bene fiant, putarem expedire, vt qui vult dicere totam concionem suam, describat in quantum fieri potest bono ordine. Nam duplex commoditas inde sequetur. *Primò*, quod multa occurrunt scribenti, & longe plura quã cogitanti. *Secundò*, Quod hòmo hac ratione memoriam localem habeat proponendi populo quæ concepit. Dicam ego quomodo meam memoriam iuuem, dum concionem meam describo. Pono *primò* certa capita. *Secundò*, distinguo eadem capita. *Tertiò*, ad ea capita refero quæ dicere statui. Hæc mihi memoriam constituunt, & si occurrant quędam addenda, ea in margine adijcio. Ponunt alij memoriam localem in diuersis angulis domus, alij aliter. Hæc mihi videtur optima ratio adiuuandi memoriam. Quando autem hoc modo descripseris concionem tuam, per 2. & 3. dies mane & vesperi videbis & leges tua puncta, quę hac ratione memoriæ commendabis. Qui diu concionatus est, & non constituit sibi ista puncta, & confidit sibi, aliquando sine distinctione multa confusè dicit.

Nunc de elocutione dicemus. Ego animaduerti magnum vitium esse in Italia, Hispania & Germania superiori, quod non est in Belgio, nimirum in delectu verborum, vt verba quæ proferuntur sint ornatissima. Ego puto quod ista vehementer obsunt. *Primò*, quod hac ratione

Concionator magis solicitus sit de verbis, quàm de re ipsa. *Secundò*, facit vt Auditores magis sunt attenti ad verba, quàm ad rem.

Atque ita vsu venire solet, vt Auditores rogati de concione, respondeant: Reuera bene dixit, sed quid dixit, nescio. eleganter dixit, sed quæ, ignoro. Pulchra verba habuit, sed de quibus, non intellexi. Intelligite. Dominus Deus dedit Apostolis donum linguarum, sed non eloquentiam, neque fuit in Apostolis Eloquentia secundùm artem Rhetorices, sed secundùm Rhetoricam Spiritus sancti mouebat hominum mentes. Neque B. Paulo cura fuit vt elegantèr loqueretur, ac propterea vocabatur σπερμόλογος. Ac proinde non fuit in Apostolis Ciceronis aut Demosthenis eloquentia. *Primò*, ne populus à re ad verba vocaretur. *Secundò*, Ne cõuersio totius mundi attribueretur potius eloquentiæ verborum, quàm Spiritui sancto. Habet Spiritus sanctus etiam suam eloquentiam, qua nouit corda hominum mouere, & hæc fuit in Apostolis. Mihi videtur hic magis condito & graui sermone opus esse, quam magna eloquentia. Nolo tamen hic balbos & elingues habere: Sed hoc faciant concionatores; Quærant non tam eloquentiam prophanam Ciceronis, quam diuinam Spiritus sancti. Ferunt B. Franciscum aliquando requisitum fuisse, vt coram Pontifice & Collegio Cardinalium diceret, latino sermone, cum autem ille latinæ linguæ esset rudis, composuit orationem pro sua scientia, quam mandauit memoriæ. Cum autem eo ventum esset, vt diceret, non potuit eorum

rum quæ collegerat vnum verbum proferre, qui implorata gratia Spiritus sancti dixit. Sanctissime Pater, & vos illustres Cardinales, placuit altissimo vobis manifestare meam superbiam, necesse est vt vobis confitear meam culpam. Disturus in hoc amplissimo Consessu, composueram mihi breuem orationem, quam memoriæ mandaueram, cum verò huc ventum sit, non possum vnum verbum proferre ex his quæ conceperam, accipite proinde ea quæ Spiritus sancti gratia suggeret, Et sic dixit B Franciscus ex Spiritus sancti Rhetorica, ita vt admirationi & stupori fieret omnibus. Et quam quæso eloquentiam habet Sacra Scriptura? Sunt ibi tot Hyperbata, & contra artis ordinem posita, quod ideo factum est, quia Spiritus sanctus per talem Scripturam voluit nobis suam eloquentiam dare, vt Scriptura hoc modo moueret affectum. Ac proinde non est Iota vnum, aut apex in Scriptura sacra, aut verbum vnum quod est superfluum, & quod non habet suam efficaciam. Et quare ista barbara translatio qua vtimur, accepta est ab Ecclesia? Nimirum, quia Spiritus sanctus qui adfuit Petro & Paulo & Euangelistis qui eam scripserunt, etiam nostrum interpretem direxit. Eloquentiam ergo quæramus Spiritus sancti, quæ corda mouet, & non humanam illam & vanam. Cæterum post dispositionem concionis, opus est vt Concionator seipsum accendat, priusquam dicat, vt alios igne charitatis accendere possit. Quod fiet hac ratione. Postquam se Concionator ad dicendum præparauit, priusquam Cathedram

ascendat, cõferat se ad aliquem locum seorsum, vbi se offerat, & suum concionandi munus Deo, eum rogans, vt ipse infusione sancti Spiritus cor suum & Auditorum præparare velit, quatenus aptum instrumentum esse mereatur, per quod diuina gratia audientibus instilletur. Postquam hoc modo recollectus fuerit, magno spiritu accedat suggestum.

Hic de Pronunciatione & gestibus aliquid dicemus; Et primò qui vitandi sunt, quique ferè tales sunt quales in Rhetorica describuntur, & in his qui de Rhetorices artificio scripserunt; ex quibus facilè cognoscetis qualis debeat esse compositio in gestibus, & pronunciatione. Et quidem *primò* absit vitiosa verecundia & pudor inutilis, quæ facit vt homo minus suum officium faciat. Sit àudacia cum modestia secundum Deum, cogitet secum, se esse Vicarium Christi, Dominum per os eius loqui & linguam eius mouere, qui eius gloriam purè quærant in proximorum salutem.

Secundò, adsit præterea grauitas dictionis, nec futiliter agat in re tam seria. Sit sermo grauitate compositus, non vt in priuato colloquio esse solet, hic enim puerilis & nullus fructus esset. Sit autem sermo ita compositus, vt homo intelligat se publicè agere & loqui, tanquam superiorem. Præterea non semper eodem tono vtatur, atque si ad mensam legeret; sed pro rei & materiei varietate mutanda est vox.

Si materia exigat exclamationem, exclamãdum erit. Si affectus indignantis, si laudantis, admirantis, exprimendus. Ita confirmanda est pronun-

ronuntiatio, vt ſemper varietur vox & geſtus pro varietate rerum. Rurſus non ſit nimis clamoſa, maxime in principio. Tunc maximè clamabitur, quando aliquid indignum profertur. Vt quãdo loquimur de Gehenna, ponderanda ſunt verba cum quodam tremore: *Ite maledicti in ignem æternum*, vt vox ipſa & res incutiat timorem Auditoribus. Rurſus authoritates Scripturæ cum grauitate ſunt proferendæ, nõ cum clamore, exempli gratia: Audite quid Apoſtolus ad Romanos nobis dicit: *Omnis creatura ingemiſcit & parturit expectans redemptionem corporis ſui.* Singula verba cum grauitate & pondere ſunt proferenda, vbi diſtinctione aut diuiſione opus eſt, ibi ea ſemper adhibenda eſt, ſecundùm materiæ ſubiectæ rationem. Vt: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Atque ita vox mutanda eſt pro varietate rerum.

Geſtus autem varij præſcribuntur. Nos affingemus quædam breuiter. Sunt qui ad vnum locum oculos dirigunt. Alij claudunt oculos, alij ſtant immobiles eodem ſemper corporis habitu, quæ non conueniunt Concionatori, qui ſe ad omnes conuertat, quemadmodum omnibus loquitur. Sed cum grauitate moueat corpus, nunc ad hos, nunc ad illos ſeſe conuertens.

Præterea minus gratioſum eſt, ijſdem ſemper vti geſtibus, vt pueri noſtri faciunt, neque geſticulationibus omnibus vti debet, vt ſolent mimi, neq; omnino ſine geſtibus eſſe oportet, ſed pro ratione affectuum mutandi ſunt geſtus. Opus eſt aliquando cum vultus grauitate manũ

aliquando in altum tollere, aliquando dimittere. Nunc tota manu, nunc vno digito aliquid demonstrare, sed rarius sinistram soluere, aliquando ambas manus in altum tollere, nunc hoc, nunc illo modo. Ita tamen, vt gestus accommodentur rebus de quibus dicimus. Vt si de cœlo loquamur, oculis & manibus in cœlum sumus intenti. Si de inferno, inferiora demonstramus. Ducat aliquando manum sursum, si de gaudio rerum cœlestium aliquid dicatur. In enumeratione partium, dextera manu digitos sinistræ tangat, ita tamen, vt omnia cum grauitate fiant. Si ista benè seruetis, eritis boni Concionatores. Rogate Dominum, vt ista per gratiam suam in vobis perficiat.

Lectio, Meditatio, & Oratio.

Tria hæc Concionatoti necessaria, siquidem ex Lectione materia, ex Meditatione forma & ordo dicendi, ex Oratione efficacia seu virtus prædicationis habetur.

AVREVS TRACTATVS DE Ratione administrandi Sacramentum Confessionis, à S. Carolo Borromæo Cardinali editus, & ex Bibliotheca P. Antonij Possevini in gratiam Confessariorum excerptus, ac huic operi haud incongruè adiectus.

Notent Confessarij & sapiant.

VT Confessarij Pœnitentiæ Sacramentum administrent, eo cum fructu, qui maximus

nus esse possit (is verò in sincera vitæ emendatione positus est) neue in tanti ponderis negotio cum propriæ conscientiæ summo onere cõuenientem non adhibuisse diligentiam videantur (id quod summoperè timendum est multis, ne scilicet in grauem reprehensionem incidet eorum industria, cùm de tanto numero consentium, tam exiguam emendationem videamus in ijs, qui toties, & tam multis ab hinc annis hoc Sacramentum frequentarunt) præceptiones, & admonitiones nostras omnes iam pridem diuersis temporibus hac de re datas in vnum contulimus, atque alias quasdam ijs adiunximus, quas in hunc finem vtiles, & necessarias esse sumus arbitrati. Quamobrem per viscera misericordię Domini Nostri Iesv Christi eos exhortamur, vt quemadmodum eorum officium, & vocatio requirit, hac in causa, & negotio, quod ad animarum salutem vsque adeò pertinet, summa cum diligentia nostræ sollicitudini cooperari velint, nostramque intentionem in eo positam, vt populus Christianus, quem Dominus nobis regendum tradidit, in viam salutis commodè dirigatur, promouere pro sua virili studeant.

Nullus sine approbatione Confessiones audire potest, ne puerorum quidem.

Nullus igitur neque sæcularis, neque regularis Sacerdos Pœnitentiæ Sacramentum aggredi præsumat, si nõ approbationem, & licentiam antea nostrã in scriptis habeat, vt ritè Concilium Tridentinum ordinauit; sin aliter fecerit, excõmunicationis pœnam ipso facto, iuxta primi

Concilij nostri Prouincialis decretum, incurrisse se nouerit. & si sacrum Missæ officium postea celebret, irregularis erit.

Caueat autem sibi quisque hac in re, ne prætextu minoris ætatis, se abduci à recto patiatur, quasi pueri sint, qui nondum ad vsum rationis peruenerint, quorum audit confessiones: solet enim vsu venire, vt in pueris etiam, quamuis in ætate sint adhuc tenera, peccata mortalia inueniantur. Ac vero nemo per speciem necessitatis alicuius se falli sinat, ac necessitatem interpretetur pro quauis ægritudine, etiam si grauis, & periculosa illa sit, cùm ad proprium pastorem, aut alium confessarium à nobis approbatum recurri potuisset. Immò nullos huic se negotio pergat interponere, quàmuis à pastore eius, qui confiteri cupit, vel Vicarijs nostris consensum obtinuerit, nisi tales ij sunt, qui specialem à nobis acceperint potestatem, vt eam alteri concedere deinde possint.

Sacerdotes autem, qui confessiones audiendi licentiam à nobis obtinuerint, cum definita temporis, loci, certarumque personarum limitatione, videant, ne potestatis concessæ limites vllo modo excedant.

Confessariorum Catalogus.

Prima cum opportunitate regularium Superiores catalogum confessariorum, quos ad hoc officiũ elegerint, quiuè in hac ciuitate, vel diœcesi nostra habitant, nobis exhibeant, quo eorum nomina, cognomina, & natale solum habeantur.

Sed

Sed quia sæpius contingit, vt per suorum obedientiam mutentur, iccirco bis in anno prædictum catalogum nobis offerent; primum quidem ad primam septimanam Aduentus, secundum deinde primis ferijs Quadragesimæ: Confessarij autem qui in nostra diœcesi versantur, Pastoribus, aut Vicarijs foraneis, testimonium admissionis suæ, qua ad huiusmodi munus idonei esse iudicati sunt, quotiescunque ab eis exigetur; ne recusent ostendere, in templis verò, in quibus plures sint confessarij, in foribus sacrarij tabula suspensa habeatur, quæ omnes eius templi confessarios à nobis approbatos contineat, quę toties mutanda erit, quoties alij deligentur.

Confessarij, qui à censuris & casibus reseruatis absoluendi potestatem a nobis habẽt, summa cum prudentia eam exerceant, vt sit ædificationi potius, quàm destructioni locus; quamobrem si in vtilitatem & auxilium pœnitentis, qui in aliquod eiusmodi peccatum inciderit, iudicent expedire ad nos eum remittere, admoneatur, vt id facere debeat.

Confessarij quamuis approbati, Casibus conscientiæ studeant.

Omnes Confessarios, quamuis à nobis vt idonei semel admissi fuerint, tamen ob graues & diuersos scrupulos, qui pœnitentibus in dies occurrunt, & plurimas difficultates sibi cohærentes habent præmonitos, volumus, vt bonos, & classicos auctores nonnullos, qui Casus conscientiæ ex Professo tractant, manibus continuè terant, quod si non videantur sibi satis iudicij, & doctrinæ comparasse, vt possint quæstiones obiectas

iectas resoluere, meminerint adire doctiores, & in talibus melius versatos. Sciant aut nos in hunc finem dedisse speciatim eas partes Pœnitentiario maiori Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, vt cum Theologis, & Iuris Canonici peritis, si quæ dubia, & controuersiæ circa res conscientiæ in hac nostra diœcesi obueniant, & de ijs conferat, & diligenter discutiat, vt postquam res graviores nobis communicarit, omnem dubitationem eximat ijs, qui ad ipsum consulendi causa accedent.

Examinent præterea vires ingenij, & scientiam, quam habent, nec se temere ad confessiones audiendas eorum ingerant, quos censuris ita quibusdam inuolutos esse suspicentur, vt se se inde satis explicare nesciant.

Bonam habeant notitiam censurarum, & Casuum reseruatorum, particulatim autem Bullæ in Cœna Domini legi solitæ; similiter Canones Pœnitentiarios, & nostras has admonitiones sæpiùs legant.

Confessariorum Bonitas.

Cùm dubium nō sit, quin is qui peccato mortali infectus, Sacramentum quoduis administrat, nouo se scelere rursus obstringat; diligenter obseruent, qui Confessarij partes agunt, ne cum peccati mortalis conscientia confessiones audiant, multò verò minus id audiant, si qua censura teneantur Ecclesiastica ligati.

Qui verò feruidi animi Confessarius est, animarumque salutis studio tenetur, vt eas ad virtutes inducat, diuinisque remedijs adiuuet, quibus contra peccata vel pœnitens vtatur, vel ab ijsdem

ijsdem abstrahatur, qui doceat itidem dæmonis astutias perspectas habere, qui demum pœnitentem exuere veterem hominem, & nouum induere laboret, ac confingere in eo formam aliquam speciemque perfecti Christiani, non satis id sibi habere debet, si nulli peccato mortali obnoxius Sacramentum Pœnitentiæ ministret, sed cùm facilè cognoscat magnoperè referre ad præstandum ea, quæ dicta sunt, prius in seipso exprimere, quæ in altero videre desiderat (quādoquidem plus exempla, quàm verba commouent animos, neque quis aliorum animis ingenerare virtutem potest, quam ante non in se possideat) idcirco perfectionis suæ totus amore ferueat, necesse est, atq; inijs virtutibus acquirendis operam diligentem ponat, quibus ipsa perfectio acquiritur.

Sed quoniam Regulares, cùm ad confessiones audiendas emittuntur, solum examinari solent sintne sufficientes, & doctrinam iustam habeant, neque nos aliter perspectos mores eorum, & bonitatem vitæ probatam tenere possumus, ideo Superiorum eorum conscientias oneramus, vt ad huiusmodi prouinciam non alios nobis in publicum deducant, quàm qui probitate, atq; integritate vitæ tales sint, qui laudabiliter hoc Sacramentum exhibere queant, cuius quidem rei scripto nobis fidem dabunt, nec aliter eos admittemus.

Confessarij diligentia.

Prompto, ac parato animo ad confessiones audiendas accedant, euitentque diligenter, non solum ad subterfugiendum laborē, ne submo-

ueant intempestiuè venientes ad se confitendi gratia. sed neque signo, aut verbis vllis præsefe-rant, ægre se, grauatoque animo confessiones eorum excipere; quin potius ita se comparent, vt intelligant pœnitentes eos salutis eorum cau-sa multum solatij, & gaudij ex ijs laboribus hau-rire.

Confessarij quando maximè Confessionibus au-diendis vacare debeant.

Ex hac eorum alacritate nascetur etiam hoc commodi, ne pœnitentes excusationem iustam prætexere possint, se non esse confessos, maxi-mè quibus temporibus ad id tenentur, per spe-ciem quasi commoditatem non habuerint. Præ-terea autem admonemus Confessarios, si vel ad exequias, vel quæuis alia Ecclesiastica mu-nia illos euocari contingat, nisi causa prorsus sit necessaria, vt ne confessiones ijs diebus pro-pterea vel interrumpant, vel intermittant, qui-bus frequentiores solent occurrere, maxi-mè octiduo, aut amplius ante diem natalem D. N. Iesv Christi, in Quadragesima, & præci-puè circa medium illius vsque ad octauam Pa-schæ, nonnullos etiam diebus cum Iubilæum promulgatum est, alijs solennioribus festis, quibus, vt plurimum, populus, vel omnis, vel ex maiore parte Confessionis Sacramentum con-fluit.

Cupimus etiam in hunc finem, Superiores Regularium certiores ea de re redditos, vt præ-dictis temporibus procurent, quantum pote-runt numerum maximum Confessariorum, qui doctrina, & timore Domini insignes, atque à nobis

nobis approbati in suis Ecclesijs pœnitentes audiant.

Confessiones ægrotorum quomodo excipiendæ.

Quoties regulares ad ægrotantium confessiones excipiendas accersuntur, si necessitas aliud nō suadeat, ex pastore prius intelligant, quę conditio, & status sit ægroti, vt tantò diligentius animaduertant, si quid alleuamenti conscientiæ illius præberi valeat, præsertim in summo temporis illius articulo, in quo velut in cardine vertitur aut animæ salus, aut perditio æterna: quod si temporis breuitas non patiatur ante confessionem id fieri, saltem ab audita confessione quàm citissime fiat, vt tam ipse Confessarius, quàm Pastor in procuranda hominis infirmi salute suo officio non arguantur defuisse.

Cùm primum Sacerdos Sacramentum Pœnitentiæ cuipiam ægroto ministrauit, in schedula subscribat, quæ qualis esse debeat, infra dicetur, eaque fateatur se pœnitentis confessionem excepisse. Quod ideo fit, ne Medici curam suam subtrahere infirmis cogantur, iuxta Bullam fel. mem. Pij V. & Decretum primi nostri Concilij Prouincialis, & ne per negligentiam Confessariorum in dicta fide præstanda sumant occasionem excusandi se ab obseruantia præfatæ Bullæ, & Decreti.

Confessiones extra templum non audiendæ.

Popularium in domibus confessiones nemo audiat, nec virorum, nec fœminarum, cuiuscunque vel ordinis, vel conditionis illi fuerint, nisi dum ægrotant; quod cum fit, & mulierum con-

fessiones Sacerdotes excipit, ostium apertum sit, ita vt ab ijs, qui in vicinis locis agunt, conspici possit.

Extra eam necessitatem confessiones mulierum non audiant, ne etiam si vel leuiter illæ reconciliari tantummodo vellent, præterquam in templo, & sedilibus ad id destinatis, sed neque tum quidem eo loco; nisi post ortum solis, & ante eius occasum audiantur.

In illis ipsis sedilibus quotidiano ritu confessiones audientur, etiam virorum, si qui solent in templo confiteri: Hanc ob causam omnibus in templis sedes huiusmodi tam multæ construantur, quàm multi solent esse Confessarij; sint autem omnes ad eam formam exædificatæ, quem. admodum ordinauimus, generatim eas debere construi.

Constituantur autem prædictæ sedes loco tam aperto, vt ex omni parte conspici possint, quod si præterea locus haberi talis possit, vt obstaculum aliquod intercedat, & vt dum quis cõfitetur, interea cæteri à spatijs plus æquo propinquis arceantur, id fiat, vbi verò malus mos aliud obtinet, Confessarij partes erunt sedem ipsam loco mouere, simul & populum nimis vicinum antequam confideat propellere, quod item faciet, dum in confessionibus versatur, si occasio requiret.

Confessarij in audiendis Confessionibus scopus.

Confessarius in huius Sacramenti administratione, sic animi sui propositum ordinet, ac dirigat necesse est, vt nullum eum intuitus humanus

nus eo pertrahat, sed sola Dei gloria, & animarum salutis desiderium: quocirca quoties vel euocabitur ad confessiones audiendas, vel ad eas sese conferet, totus in Deum erectus, cum ipso opere mentis oculos in hunc finem conijciat, & diligenter attendat se eo pergere, vt pœnitentes prætiosissimo Saluatoris nostri Iesv Christi sanguine abluat, ac mundet.

Sed quia in huius Sacramenti tractatione multa inueniuntur pericula, ne scilicet errent in varijs quæstionibus, & obligationibus decidendis, quæ in illud forum veniunt, vel absolutionis gratiam re ipsa indignis impertiant, vel aliquo modo animam suam inquinent, dum multorum inquinamenta, fœditatesque audire necessarium est, nunquam ad tantum hoc officium sese Confessarius accingat, quin prius breui aliqua oratione, prout res feret, lumen & gratiam à Domino petat, vt non solum in nullam reprehensionem vel errorem incidat, verum aliorum sordes sic abstergere valeat, vt se ipse non polluat: simul etiam Deum orabit pro vera emendatione eorum, quorum confessiones auditurus est.

Oratio ante audiendas Confessiones faciendæ.

Habeant igitur singuli versiculos illius Psal. 50. & orationem antiquis temporibus ab Ecclesia vsitatam penes se in scriptis, cuius quidem alterum exemplar in sacrario cuiuslibet templi (in quo sunt Confessarij) deinde, alterum introrsus in ipsis sedilibus, volumus affigi, vt antequam ad confessiones aggrediantur, eam vt

similem aliquam, prout cuiusque pietas feret, apud se legant:

℣. *Cor mundum crea in me Deus.*
℟. *Et spiritum rectum innoua in visceribus meis*
℣. *Ne proïcias me à facie tua.*
℟. *Et spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*
℣. *Redde mihi lætitiam salutaris tui.*
℟. *Et spiritu principali confirma me.*
℣. *Docebo iniquos vias tuas.*
℟. *Et impij ad te conuertentur.*
℣. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.*
℟. *Et exultabit lingua me iustitiam tuam.*

ORATIO.

DOmine DEVS *omnipotens, propitius esto mihi peccatori, vt dignè possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam magnã misericordia, ministrum feciſti officij sacerdotalis, & me exiguum humilemq; constituisti ad orandum, & intercedendum ad Dominum nostrum* IESVM *Christum Filium tuum pro peccatoribus, & ad pœnitentiam reuertentibus: Ideoque Dominator Deus, qui omnes homines vis saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed vt conuertantur & viuant; suscipe orationem quam fundo pro famulis, & famulabus suis, qui ad pœnitentiam venerunt, vt des illis spiritum compunctionis, resipiscant à diaboli laqueis, quibus astricti tenentur, vt ad te per dignam satisfactionem reuertantur. Per eundem Dominum nostrum* IESVM *Christum.*

Sacerdotes sæculares non nisi toga, & stola decenter amicti, pœnitentes audient: quod etiam

iam tum fieri volumus, cùm ægrotantium excipiunt confessiones, licet id faciant apud eos domi.

Nullorum accipiantur confessiones, nec in Ciuitate, nec verò in tota Diœcesi nostra, sine nostra, vel Vicariorum foraneorum expressa licentia, post Dominicam Palmarum vsque ad diem integrum Paschæ peractum, nisi eorum qui paulò ante confessi sunt, aut saltem à Quinquagesima precedenti, excipimus semper ęgrotos. Ceterorum verò confessiones infra octauam Paschæ differantur, secundùm constitutionem nostram Pastoribus datam, idque graues ob causas in ea declaratas.

Confessarius non facilè mutandus.

Si quem deprehenderint, qui sine ratione legitima Confessarium suum deserat, qui quidem perappositus erat alioqui ad illum in viam salutis dirigendum, conetur eumdem peropportunè reducere; tum reprehensa pernicioſa hominum negligentia, qui Confessarium doctum & prudentem sibi deligere negligunt, tum quasi noxia, & vitiosa frequenti mutatione Confessarij detestata, quemadmodum enim medici, qui naturam, temperamentumque corporis in infirmis perspectum habent, non facilè permutari solent, quòd morbis necessaria facilius inuenire remedia norint; sic neque videntur pœnitentes, nisi magno delectu, à medicis suis discedere debere, cum ij melius animarum vulneribus adhibere opportuna, ac vtilia instituta possint. Si tamen iusta de causa Confessarius aliquem ad se venire permittat, qui pij & prudentis

tis alterius in confitendo consilijs ante vtebatur, vtile erit cum illo ipso communicare, vel saltem dare operam, vt pœnitens ab eo abeundi honestam licentiam nanciscatur.

Confessarij inter se conuenire debent.

Confessarij omnes, præcipuè si qui in nostra Diœcesi eo munere funguntur, curare debent, vt inter eos, & Parochos locorum, vbi confessiones audiunt, bene conueniant, siue cum illorum ibi sint monasteria in propinquo, siue cum ob habitas conciones, siue ob aliam quamcumque causam confessiones audiunt. Itaque non absoluant eos, qui vel ob exempla vitæ impiæ, & in eo statu perseuerandi pertinaciam, vel quòd ad pœnitentias publicas, siue legata pia, vel similia quædam tenebantur; atque ideo à Pastoribus suis absoluti non fuerint. Proinde sæpius Regularium Superiores suos admoneant huius rei necesse est: præcipuè autem ad animorum concordiam, quę ad ædificationem quoq; plurimum valet, diligenter eos exhortentur, præmoneantque, si in quæstionis alicuius explicatione inter eos & Pastores sentiendi quædam accidat diuersitas, vt ea cum prudentia sese gerant, ne ad vulgi aures ea perueniant, quin statim ad nos potius pro rei controuersæ definitione accurrant.

Meminerint ad Sacramentum Pœnitentiæ non permittere venire eos, qui sine conuenienti tum exteriore tum interiore animi præparatione volunt accedere, quin magis verbis caritatem spirantibus pro captu cuiusque tales alloquantur, & dicant, vbi sese melius pro digni-

tate

tate tanti Sacramenti disposuerint, ita demum ad se reuertantur.

Mulieres quæ in Confessione audiendæ non sint.

Itaque mulierum earum confessiones non audiantur: quæ cerussatæ veniunt, quæ fucis vtuntur, quæ faciem stibijs depinguut, quæ ex auribus monilia gestant, quæ leuibus, & vanis ornamentis, , quæ pannis aureis, alijsue similibus lasciuijs promptè, ac comptè accedunt, &, vt semel omnia dicam, quæ vestes modestas non habent, nec simplici cultu incedunt, nec in capite velum aliquod gerunt, quod notabiliter non transpareat, quæue saltem operimentum ex lino, lanaue confectum, vel peplum sobrij alicuius coloris non habent: sic enim huius Sacramenti reuerentiam decet, & ita prorsus cognitioni peccatorum, & de eisdem dolori intimo consentaneum est, cum scilicet cogitare debeant, quod ante tribunal, & iudicium Domini Dei sui se sistant, ac quasi peccatrices misericordiam, & veniam suppliciter de eisdem implorature veniant.

Idem necesse est in viris obseruetur, vt videlicet ad confessiones non admittantur, qui vestitu viro indecenti, qui auro intextis pallijs vtuntur, qui lasciuis pileorum ornamentis induti sunt, qui item cum armis accedunt, aut similibus rebus.

Maius multò studium Confessarius ponat in interiore animi præparatione, quando necesse est, prudenter inquirenda; ea enim planè ad hoc Sacramentum requiritur, cernitúrque maximè in

me in seria, & solida peccatorum examinatione, quæ ad vnumquèmque pertinet, ita vt vniuersi, quantum in se est, eum animi dolorem, qui iure in hoc Sacramento requiritur, habere conentur, cum firma, ac constanti deliberatione animi, tum præteritis satisfaciendi, tum vitam in posterum emendandi. In quibus igitur eam præparationem desiderari animaduertent, verbis benevolis persuadere conabuntur, vt denuò conscientiam suam diligentius examinent, ac rectè sese præparent.

Quomodo malè homines ad Confessionem parati accedunt.

Signa autem ex quibus coniectura capi potest, eos sine iusta præparatione ad Sacramentum venire, hæc sunt. Si ad confessionem properant, quasi ab ipsa occupatione rerum suarum auulsi, nullo temporis spatio prius in orationem collato, vel si eos peccatorum nullam habere cognitionem appareat: deinde si Confessarius iam tum præsciat, quòd à confessione nihilo minus, ac ante suis in peccatis sint perseueraturi, siue quod in se peccatum mortale quodpiam teneant, vel quòd occasionem quæ ad mortale pertrahat, amplexi teneant, nec ei valedicere velint, siue quòd aliena bona, cùm possint, restituere negligant.

Aduertat tamen Confessarius, si pœnitentes studij nonnihil à se præstitisse ad eam præparationem, de qua dictum est, consequendam viderit: & obseruet tamen vel ob eorum ruditatem, vel quid aliud, necessariò aliquid ijs deesse, vt ipsemet quod deest supplet sua industria, & ad cogni-

cognitionem maiorem eos inducere adlaboret: quod fiet optimè, si peccati turpitudinem & grauitatem ponat illis ob oculos, quippe quod Deo aduersetur vel maximè, ac damnationis æternæ malum peccanti infinitum adferat, atque hoc pacto pœnitentem inflectere, & sic effringere conetur, vt de vniuersis & singulis peccatis mortalibus, tam acrem animi dolorem persentiat, vt securè eis absolutionis beneficinm possit impertiri.

Præterea, pœnitentes, sed eos præcipuè qui rarius confitentur, pro iudicio, & necessitate cuiusque, rationem ac methodum quandam benè confitendi diligenter edoceant, ac speciatim quantum interfit vt integra fit confessio, aliasque circumstantias quæ ad ea requiruntur, & quam vim itidem habeant exponant.

Pueri quomodo audiendi.

Consuetudo honesta est, puerulos, etiamsi quintum, aut sextum ætatis annum necdum excesserint, ante Confessarium adducere, vt sic incipiant paulatim instrui, ac manu quasi in cognitionem, atqe vsum huius Sacramenti transferri: caueant tamen accuratè Sacerdotes, ne absolutionem cum Sacramento ijs præbeant, in quibus nec idonea materia, nec ea rationis plenitudo reperitur; ac citra controuersiam iudicare possint, eos huius Sacramenti capaces esse: operam tamen maiorem collocabunt cum ijs, qui septimum, aut octauum annum iam attigerunt, quantum puerilis ætas ferre videbitur, vt huius Sacramenti necessitatem & virtutem, nec non modum quo suscipitur, perspicuè intelligant.

Quan-

Quando Communio pueris tradenda.

Qui verò confessiones audiunt puerorum, aut puellarum, qui iam annos decem vel duodecim numerant, quos proinde aptos ad venerabile Sacramentum altaris propediem fore existimant, solerter videant, ne vel sua, vel parentum negligentia, & socordia, absque gustu tanti thesauri spiritualis eos patiantur adolescere: quin potius quantò minori cum productione temporis, quamque diligentissimè fieri poterit, doceant eos, quæ ad hoc Sacramentum percipiendũ necessaria sunt; fructusq; innumerabiles inde manantes, tum quanta animi demissione, ac reuerentia, quamque magna conscientiæ puritate opus sit.

Cæterum, postquam iterum atque iterum eorum confessiones iam audierint, vel per se venerabile Sacramentum eis porrigant, illiusq; rei fidem scripto faciant, vt Pastori suo exhibeatur, quo deinceps in Paschate ad communionem Pastor eos, cum ceteris adiungat, vel ad eam sumendam instructos & idoneos esse scriptis declarent, atque proprium ad Pastorem amandent.

In ipso aditu confessionis, antequam peccata sua quis enumerare pergat, Confessarius, maximè si cum rudioribus hominibus agit, quiue rarius confitentur, debebit quasdam interrogationes præmittere, quibus in decursu confessionis omnia commodius cedent: sunt autem interrogationes huiusmodi. Primum si certum non habet, pœnitentem ex eorum numero esse quos absoluere rectè possit, interroget, quo modo id

do id fit; si non esse talem inueniat, quam primum ad alium qui absoluendi potestatem habet, remittat; sin aliter est, & tamen nihilo secius pœnitentem satis non agnoscit, quærat secundo loco: quo in statu res eius sint, cuius ipse conditionis sit, quam professionem, aut artem tractet, quod officij genus, vt plurimum, exerceat: interrogabit deinde, quantum temporis interceſsit, postquam confessus est, interim in memoriam ei redigens, quam magnũ emolumentum parere soleat crebrò iterata confessio: tum petet vtrum pœnitentiæ nuper præscriptæ sibi fecerit satis: quæret etiam, si norit articulos Fidei, præcepta Decalogi, & S. Matris Ecclesiæ: quod si nesciat, tum se geret eo modo cum pœnitente, quem inferius indicabimus.

Quæ sint initio Confessionis facienda.

Quærat vtrum diligentiam, atque industriam congruentem in conscientia bene examinanda collocarit; quæ sanè tanta requiritur, quanta in negotio quouis maximi ponderis inesse solet: res enim verè operosissima est ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè accedere: atq; hoc loco, si necessitas efflagitat, eum de vtili quodam modo examen conscientiæ faciendi instituat, quænam ratio sit ad memoriam reuocandi peccata commissa, cum ijs, quæ circumstant omnia; nimirum vt ingrediatur in seipsum, vitæq; tempora speciatim percurrat, initio quidẽ quantum ad ætatum momenta, pueritię scilicet iuuentutis, & ceterarũ pertinet: secundo quantum ad status mutationem; quòd si vxorem

duxe-

duxerit, quomodo ante, quomodo post matrimonium contractum sese gesserit: tertio quantum facit ad vicissitudines humanæ vitæ, in rebus prosperis videlicet & aduersis, in sanitate & &ægritudine, tempora varia, officia diuersa, quę exercuit, sodalitia, loca, regiones, in quibus egit & versatus est, circa hæc omnia videat, an corde, lingua, vel opere peccauerit aliquando.

Confessionis conditiones.

Ad hæc conditiones quæ ad confessionem perfectam requiruntur, quanta poterit breuitate, & facilitate illi proponet: poterit verò ad quatuor, vel quinque præcipuas reducere illas sexdecim à Doctoribus sæpè commemoratas, quæ his versibus continentur:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda.
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Rogabit an recordetur se, vel in casum aliquem reseruatum, excommunicationem incidisse, vel quod aliud impedimentum habere, à quo probabiliter arbitretur, quòd absolui non possit, si quid huiusmodi in exordio, vel in ipso decursu confessionis reperiat, ne procedat vlterius, sed significet pœnitenti, eum à se absolui non posse, verum necessarium esse, vt aut nobis, aut Pœnitentiario maiori Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, aut alteri, cui à similibus absoluendi potestas collata est, se exhibeat: si tamen ratio aliqua subsit, cur Confessarius non expedire iudicet, vt pœnitens id agat, tum ipsemet

ad Pœ-

ad Pœnitentiarum, vel ad nos, pro absoluendi potestate impetranda recurrat.

Confessarius quomodo se geret cum ijs, quos absoluere non poterit.

Si pœnitens extra ciuitatem sit, taleque negotium sit, vt ipse Confessarius à Vicario nostro foraneo, aut alio in ijs locis ad similia decidenda à nobis deputato subdelegari possit, ab iis absoluendi potestatem legitimam impetret, vel pœnitentem ad eos remittat, nisi fortè nec ipsi à casibus reseruatis absoluendi potestatem à nobis haberent, aut casus iste sub eorum licentia comprehensus non sit, hoc tempore, si pœnitens Mediolanum venire possit, hortetur eum vt id faciat; quod si ad id inducere non possit, petat ab eo veniam, dictum casum nobis, vel Pœnitentiario maiori literis, aut verbis indicandi, quatenus absoluendi ab eis potestatem impetret: quod cum faciet, & rem ipsam literis committet, prudentiam, cautionemque summam adhibeat necesse est, ne vllo modo in aliorum notitiam venire possit: at verò si causa tanti momenti esset, vt si litteræ vel perdantur, vel intercipiantur, maius aliquod pœnitenti incommodum immineat, tum Mediolanum Confessarius iubeat ipsum proficisci, nisi forte consultum videatur, vt ipso veniat alterius nomine.

Ceterum in negotijs similibus prudentius facient, si rectà ad Pœnitentiarium maiorẽ, quàm quoquam aliò recurrant, vel eo pœnitentes suos dirigant; specialiter enim à nobis ad id cõstitutus est ille, cum ampla etiam potestate alios subdelegandi in ijs omnibus negotijs, quæ pro ca-

ſuum reſeruatorum abſolutione difficilia occurrunt. Quod ſi ipſe Pœnitentiarius à tali caſu poſſit abſoluere, tum modum illi præſcripſimus, vel à nobis, vel aliunde vnde neceſſe ſit, remedia talibus negotijs apportuna adhibendi.

Si pœnitentem aliquo excommunicationis vinculo reperiat ligatum, ſeriò commonefaciet eum pœnæ excommunicationis, & quæ grauitas illius, quamque periculoſum in ea perſeuerare, quantaque cum diligentia fugienda ſit excommunicatio: quod commodè fiet, ſi effectus illi demonſtret nonnullos excommunicationis.

Interroget vtrum ſciat hæreticum aliquem, vel de hæreſi ſuſpectum, vel ſimile quippiam, quod iuxta vel noſtra edicta, vel eorum, qui Inquiſitores vocantur, leges denunciare teneatur. quod ſi pœnitentem ad tale quid aperiendum cognouerit teneri, curet ab eo ſatisfieri; vt ſi negligentia ſua factum eſt, poſtquam apud eum hæretici, vel ſuſpecti de hæreſi alicuius notitia fuit, vt terminus his denuntiationibus præfixus tranſierit, eo articulo iubebit, vt licentiam impetret, qua abſolui poſſit: non enim ſatis tempeſtiuè perfecit denuntiationem vt debebat.

Quando Confeſſio reiteranda.

Circa confeſſiones antegreſſæ vitæ, debent eæ interrogationes fieri quæ ſunt ad cognoſcendum neceſſariæ; Num aliquo in peccato erratum ſit ab integritate confeſſionis ob quod nullius ponderis, neque virtutis extitiſſent cæteræ confeſsiones, ac proinde reiterandæ eſſent. Exempli gratia, ſi pœnitens alicui confeſſus ſit, qui eum abſoluere non potuerit, vel qui legi-

legitima absolutionis forma vsus non fuerit; vel Sacerdoti adeo indocto, vt ea quæ ad hoc Sacramentum administrandum requiruntur, nec intellexerit, nec sciuerit; vel etiam si ipsemet aliquod peccatum mortale sciens subticuerit, vel confessionem diuiserit, enumerata parte peccatorum suorum vni Confessario, alteri altera; vel ad extremum, si nullo penitus cum dolore de peccatis suis, nullove deliberato emendandi proposito, confessus sit; vel, quod etiam contingit interdum, si nullam omnino diligentiam in memoria peccatorum refricanda videatur contulisse.

Confessio generalis quando facienda.

Et quoniam cernere est, negligentiam maximam in confessionibus ritè faciendis sæpenumero committi, præcipuè verò eo tempore, quo quidem repudiato à se Dei timore, vel minimam prorsus, vel nullam animæ suæ curam gerere putantur, vt potius veniant ad confessionem ex certa quadam agendi consuetudine, quam quòd peccatorum suorum agnitione eo perducantur, & vitam emendandi vera desideria susceperint: in vniuersum quidem ob summam commoditatem, quæ ex confessione generali redundat, tum præsertim cum ex animo quisquam statuerit in posterum vitam in melius commutare, & totum se ad Deum conuertere; Confessarij pro cuiusque personæ qualitate, opportuno tempore, & loco ad generalem quandam confessionem pœnitentes exhortentur, vel per hanc, proposita omni præterita vita sibi ob oculos, maiore cum alacritate redeant

ad Dominum, ac omnes errores, qui potuissent in præcedentibus confessionibus accidere, resarciant.

Interrogationes Confessarij quomodo necessaria.

Hisce interrogationibus finitis, quæ confessionis veluti præambula quædam, & præludia sunt, Confessarius pœnitentem inducat, vt ipsemet omnia peccata sua, quæ recordatur, exprimat per se: quod vbi fecerit, si perspiciat adhuc (quod sæpe numero accidere solet) eum alijs interrogationibus indigere, per quas multorum; quæ oblitus sit, reducatur in memoriam, vel ea quæ prius confusè dixerat, distinctius consideret; volumus interim præmonere Confessarium, vt peccatorum mortalium numerum semper quàm poterit exactissimè inquirat, & quamuis fieri posset, vt non vsque adeo præcisè, & velut ad vnguem omnia referantur à pœnitente, nihilominus tamen paullò plus, minusue eum numerum indicet, quem ad veritatem magis accedere arbitretur.

In his interrogationibus ordinem sequatur oportet, initio ducto à præceptis Domini, ad quæ tametsi omnia alia, de quibus interrogationes habentur, computari possint, nihilominus si cum personis, quæ rarò ad confitendum accedunt, agatur, vtile erit, etiam per septem peccata capitalia, quinque sensus exteriores, & opera misericordiæ discurrere.

Confessarius non minori vigilantia, ac prudentia pollere debet, in ijs maximè peccatis inuestigandis, quæ homines eius status, conditionis-

nisque, cuius est pœnitens, communiter perpetrare solent.

In peccatis verò luxuriæ, summam animi solertiam cum pari circumspectione verborum debebit vsurpare Itaq; cùm in ijs speciem peccati, & circumstantias, quæ multum prægrauant illud, satis intellexerit, vlterius nihil studeat inquirere: in hunc finem circumstantię, quæ peccati speciem ab vna in alteram mutant, vel id plurimum deprimunt, plenè perfectèq; à Confessario sciri debent; quandoquidem hæ duæ circumstantiarum species necessario inter confitendum explicandæ sunt; ideoque ad Summas recurrendum erit, in quibus plerumq; hoc versu illæ continentur:

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Præ cæteris tamen prouidus, cautusque sit oportet, ac modum congruentem sciat, quo pueri ac puellæ interrogentur, ne fortè, quæ prius ignorabant, eos doceat: verbis autem adeo cõmodis interrogationes suas circumloqui nitatur, vt pœnitentis animus non offendatur: quin etiam dum aurem admouet alicuius confessioni audiendæ, caueat omni modo peccati grauitatem à se auditi, gestu corporis, vel nutu capitis circumstantibus prodere, vel etiam pœnitentem ita terrefacere, vt propterea aliud graue peccatum subticeat, imò animum ei addat, vt omnia, quantumuis enormia, & turpia peccata aperire non vereatur.

Mutatio votorum quomodo facienda.

Confessarius, qui priuilegium aliquod, facul-

tatem, vel auctoritatem habet Pœnitentium vota commutandi, ea non nisi in alia opera pia maiora, Deoque acceptabiliora, vel saltem æqualia commutabit, in quo negotio diligenter attendet expensas, labores, aliasque difficultates, quas sustinere necesse fuisset, si vota à se nuncupata primo modo debuisset persoluere.

Quamuis verò per Iubilæum aut literas Apostolicas Priuilegium aliquod ei concessum sit ab omnibus peccatis, quantumuis enormibus, ac pœnis, censurisq; Ecclesiasticis absoluendi, prę monemus tamen, quod dispensare non possit, cum eis qui irregularitatem incurrerint, nisi in ipsis literis expressa huius fiat mentio.

Vt Confessarij plenius instruantur, nec absolutionis beneficium ijs impartiantur, quia eo reuera indigni sunt (id quod vel incuria, vel negligentia, vel alia de causa sæpè accidit, ac proinde multi semper in eisdem peccatis hærent cũ animarum suarum lamentabili ruina) idcirco ex plurimorum Theologorum, tum Sæcularium, tum Regularium diuersorum Ordinum cõsensu, quædam, quæ in frequentiori consuetudine agendi à Confessarijs obseruanda erunt, inferius notauimus: quandocunque verò ab ijs pœnitentes vel absoluent, vel relinquent legatos, volumus, vt secundùm id, quod infra dicetur, sua consilia dirigant.

Itaque quandoquidem quilibet, qui iam ad rationis vsum peruenit, sub peccati mortalis periculo, articulos omnes fidei scire, & intelligere (saltem generaliter) tenetur, necnon Decalogum, & S. Matris Ecclesiæ præcepta ad pecca-

tum

tum mortale obligantia, quæ communiter in Scholis cum Catechismo doceri solent: si Confessarius deprehendat pœnitentem ignorare ea, quæ diximus, nec ad ea quàm citissimè poterit perdiscenda idoneum, non debet eum absoluere; si verò ad ea mandandum memoriæ paratum sese exhibeat, si tamen alias à Confessario (siue ipsemet is sit, siue alius) vel speciatim à Pastore suo hac de re admonitus fuerit, (debebit autem hæc recordari, vt commodius interroget) neque tamen tantùm studij adiunxerit, quantum debuit pro capacitate suæ personæ, eo vsque absolutionem differat, donec aliquo modo satisfaciat: verum si hac de re admonitus à nullo fuerit, postquam eum in supradictis ita generaliter instruxerit, vt cum tempore reddatur absolutionis capax, poterit eum absoluere.

Patresfamilias qui non absoluendi.

Si patres, aut matresfamilias fuerint, qui curæ suæ subditos, siue filios, & filias, siue seruos & ancillas, (quæ particulatim interrogare meminerint) cum rudimenta fidei non teneant, addiscere non compellunt, vel non aduigilant, vt Decalogi, & Ecclesiæ Romanæ præceptis obediant, vel quod peius est, ab eorum obseruatione eosdem prohibent, vt faciunt, qui seruos, & ancillas vsque adeo occupatos diebus festis detinent, vt propria necessitate vrgente diebus festis operari quodammodo cogant, vel temporis tantum non tribuant, vt secundùm Ecclesiæ præceptum, sacro officio Missæ interesse queant, aut qui nescientes quinam eorum, qui in familia

sua degunt, legitimum habeant impedimentũ, promiscuè tempore Quadragesimali, aut alijs ieiuniorum diebus, cœnam, vel tempore ante meridiano escam ante horam debitam in ædibus præbent, vel dari patiuntur: aut si, quando hæc præcepta transgrediuntur, eos non reprehendunt, nec corrigunt; vel si serui corrigi nolint, & cæteris scandalo sint, è domo sua quamprimum eos ablegant.

De administratione Familiæ.

In omnibus his peccatis, nisi re ipsa præstet officium suum, negligentiamque in familiæ administratione commissam, & quantam ad ea, quæ dicta sunt attinet, in posterum sese emendare promittant, nullo modo eos absoluat, quòd si in se recipiant ea se facturos, nec horum admoniti vnquam à Confessario, vel Pastore præscripto modo fuerint, poterit eos absoluere: quod si sæpius fuerint reprehensi, nec sese correxerint, tamẽ absolutio differatur, donec promissa appareant, veræque emendationis argumenta aliquo temporis spatio ostenderint.

De luxu vestium.

Confessarius eumdem cum eis modum seruabit, qui contra Conciliorum nostrorum prouincialium, præcipuè verò Tertij Constitutionis, ac alios Canones nostros diebus festis operantur, vel à venditionibus, & similibus, quæ in illis prohibentur, non abstinent. Idem etiam seruetur cum ijs, qui in immoderato corporis ornatu & fastu mortaliter peccant.

Ac verò cum hac tempestate luxus vestium ad summum, quò conscendere potuit verticem videa-

videatur euasisse, idque magna ex parte culpa & negligentia Confessariorum accidat, qui vel ex inconsiderantia, vel fortè dum leuiter pœnitentes peccare existimant, nullo cum scrupulo eos absoluunt, capita quædam in medium adferemus, quibus propter ornatum & luxum in vestitu, fastumque animi ingentem, plerumq; mortaliter hodie peccatur, vt cum absolutio danda erit, secundùm eas regulas, actiones officij sui metiantur.

Qui peccant in vestitu mortaliter.

Si quis igitur vestitu splendidiore induitur, vel eo sese ornat ob finem peccati mortalis, vtique mortaliter peccat; ad hæc qui vestimenti sumptuosi gratia, vel ipse delinquit, vel alij eius nomine præceptum Domini, vel Ecclesiæ transgrediuntur, ita vt, ne vestis non conficiatur, festis diebus sartori operandum sit, vel ipse certè faciat eum operari, aut Sacrum Missæ officium omittere, vel vt alij omittant præbetur ab eo occasio; vel si causam præstet coniugi, ijsve, ad quos spectat eius sustentatio, vt plus quàm priuatæ opes ferunt, in vestitum impendant, vel si prænidet, vt meritò debet præuidere, aut saltem probabiliter dubitat, quod odia vestium causa gignantur, dissensionesvè in ædibus fiant, vel quòd iodumenti causa coniunx aut aliorũ quispiam blasphemias euomat, aut lucra, contractusque illicitos exerceant: His adde eos, qui ornatus gratia non sine peccato mortali supersedent eleemosynis necessarijs, aut legata pia non exequuntur, aut similia, quibus obstricti sunt, complere negligunt, vel qui pro veste mer-

cedem operarijs denegant soluere: vel differunt, aut ære alieno sic se obruunt, vt cum tempore soluendo non sit futuri: In hoc etiam ordine ponendi sunt, qui vt se splendide vestiant, detrimentum proximo notabile inferunt: vel ita se exhauriunt, vt filias cum ad ætatem nubilem peruenerint, in matrimonio collocare non possint, qua ex re magna damna solent existere: ad extremũ cum prudenter colligi possit, quod nõ mediocria peccata similia ijs, quæ dicta sunt, inde prodibunt, aut dubitatio verisimilis habeatur, quod accidere possent, qualia fere solent sumptuosum & insolentem earum vsum comitari. In omnibus quæ diximus, iudicandum esse peccatum mortale indulgere nimio vestitui.

Ceterum, cum fieri vix possit, vt qui supra quàm suæ copiæ fuerint, insumit, non animum aduertat ad peccata consecutura; vel vt minimum possit & debeat aduertere, potest in vniuersum rectè iudicari, eos omnes in peccato mortali vitam agere, nisi ex diligenti pœnitentis examinatione certa ratione contrarium existimetur.

Quomodo fiat mortale in vestitu quod per se tale non est.

Neque solum mortaliter peccatur, cùm factæ expensæ in vestes, ordinem, & facultates domesticas excedunt, verum etiam in modo peccatum committitur sese exornandi, quid enim si ornatus ad lasciuiam pertrahat? quòd si per se, vel certe ex communi hominum iudicio non sollicitet ad peccatum, potest etiam fieri, vt per se quidem eo non adducat, tamen occasionem

ille

ille suspicetur ex eius generis ornamento, quod à sui ordinis hominibus communiter non gestatur, datum iri certæ personæ signum, vt illum in honesto amore prosequatur, vel ne sic accidat, probabiliter timet: denique cum in hoc peccato hæret, ita vitam instituit, vt nullam vel paruam salutis proximi habeat curam; adeo quidem, vt si quem ex sumptuosis, quibus incedit vestibus, per occasionem misere salutem perdere conspiciat, tamen eum non studeret deponere. Fit deinde non rarò, vt cultus ipse prima fronte ad varias species amoris inhonesti prodendas concinnè institutus sit, easque amorum affectiones varijs coloribus, dum se comit, & promit, vel alio quocunque modo perobscurè declaret.

Iam verò non solum absoluere eos non possunt, qui peccato mortali valedicere constanter non decernunt, sed nec illos etiam, qui quamuis asserant peccatum se velle deserere, tamen vna dicunt, videri sibi non se commercium illius esse relicturos, nisi ea velint remedia apponere, sine quibus Confessarius iudicat ad vomitum redituros.

Quando absolutio differenda.

Est præterea consultum, absolutionem differre, donec euidens appareat emendatio in ijs, qui tametsi dicant, ac polliceantur, quod se eximent peccato, tamen Confessario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat. Ex hoc esse solent plerique adolescentes, qui in otio vitam agunt, qui luxui dediti, crapulam, & amores inhonestos sequuntur, qui libidini-

bus pascuntur, verba obscœna proferunt, murmurant, in odijs, ac detractionibus versantur quotidie, & confessionem differunt in vltimos Quadragesimæ dies: Idem faciendum est cum ijs scil. vt differatur absolutio, qui cum multos annos in peccatis suis perdurant, nulla interim adhibita opera in emendationem vitę in eadem peccata iterum atque iterum labuntur.

Deinde, nec eos absoluat, qui cum peccatis mortalibus simul etiam eorum occasiones vitare planè non proponunt. Porrò cùm è re Confessarij vel maximè sit, vt quæ sint eæ occasiones perspicuè sciat, paullò de illis loquemur distinctius hoc loco.

Occasio peccati mortalis quæ.

Sub occasionem peccati mortalis omne illud cadit, quod peccandi mortaliter causam administrat, eò quod huiusmodi est, quod vel per se in peccatum inducat, vel eius occasione confitens vsque adeo ad peccandum alicitur, vt certè Confessarius metuere possit, quòd ex peruerso, quem diu induit, habitu in posterum non magis abstinebit, quàm prius à peccato, si in eisdem occasionibus versetur.

Prioris ordinis occasiones, quæ scil. suapte natura trahunt in consensum peccati mortalis, sunt istiusmodi: aleis ludere, cùm mortaliter certo, vel probabili periculo animarum; domum tenere in hunc finem alijs paratam; aliquam, cum qua fit peccatum, vel apud se, vel apud alium, suo rogatu fouere, vel quocunque modo in eisdem ædibus habitare, persistere in assidua collocutione, aspectu, quotidiano con-

gressu

gressu, & similibus turpium amorum irritamentis.

Itaque si pœnitentem ijs, aut similibus impedimentis irretitum esse perspexerit, ipsaque occasio talis sit, quæ tum etiam re ipsa existat, veluti quòd concubinam alit, vel quid huiusmodi, Confessarius eum absoluere non debet, nisi prius illam ipsam occasionem prorsus abscindat.

In alijs verò, vt in Venereis aspectibus conuersari periculosè cum fœminis, perdurare in tactibus impudicis, si eis nuncium remittere non polliceatur, vel si spondeat, alias tamen, cùm de eodem fidem fecerit, vitam non emendauerit, absolutionem differat, vsque eo dum emendationis quædam argumenta videbit.

At verò cùm vsu venire possit, vt ex omnibus, quæ solers ac circumspectus Confessarius excogitauerit, nullum remedium tamen potuerit habere, cur pœnitens absque periculo & scandalo magno debeat occasionem præscindere, vtatur Confessarius his vijs.

Remedia contra peccati occasiones.

Primò absolutionis beneficium eò vsque extrahat, donec emendationis indicia videat, maximè, si absolutio citra aliquod illius periculum, vel infamiam procrastinari possit, eaque doloris signa perspiciat, eam animi dispositionẽ, promptitudinemque suscipiendi omnia, quæ pro eius emendatione necessaria confessarius iudicabit, quo tempore remedia huiusmodi pœnitenti proponet, quæ magis opportuna, magisque necessaria apparebunt: verbi gratia, præscribit ei, ne solus vnquam cum sola versetur, vt orationes

augeat, corporis macerationem iubeat aliquã, quodque precipuum est, vt frequenter confiteatur, aliaque similia, quæ si pœnitens recipiat in se, poterit absolui.

Contra verò si ab illa diligentia, quam vel ille, vel alius Confessarius iamdiu adhibuit, non se emendauerit, non absoluatur, donec impedimentum sustulerit, vel nisi quid aliud à nobis acceperit, quod conuenire videatur, ad quos in tali negotio recurret, vt factum nobiscum expendat, ita tamen, vt nulla fiat mentio peccantis.

Occasiones particulares quorundam peccatorum.

Alterius generis occasiones, quæ videlicet ex conditione peccantium sumuntur, ea facta sunt, quæ etiamsi per se licent, tamen probabiliter timetur, ne is qui confitetur, in eadem ipsa, quæ olim admisit, peccata relapsurus sit; si in eisdem operibus, in quibus antea versatus est, perseueret: tales ob mundi corruptelam plurimi solent in castris esse, mercaturam sequi, Magistratus obire, Aduocati, & Procuratoris officia exercere, aliaque id genus; quæ dum quis tractat, fit sæpè, vt vocibus blasphemis, furtis, iniustitia, calumnijs, odijs, fraudibus, periurijs, & alijs eiusdem farinæ sceleribus, quibus Deus offenditur, tantam sibi eorum consuetudinem asciuerit, vt coniectari liceat, si in eisdem officijs maneat, cum se rursus eædem illæ oblaturæ sint occasiones, quod fortiorem animum ad resistendum peccatis non opponet, quàm hactenus fecerit: quodque inde sequitur, in idem lutum ex integro

negro prolabetur: Omnes qui sunt huiusmodi, secundùm B. Augustinum, *cap. Consideret de pœnit. dist. 5. sumptum ex lib. de vera & falsa pœn. ca. 14. & 15. qui est inter opera Aug.* vel negotium ipsis periculosũ deponant, vel saltẽ absq; licentia & obedientia pij ac probati Sacerdotis nõ exerceant: qui quidẽ hominem eo modo constitutũ absoluere non debet, si existimat ad eadem peccata rediturum, quamdiu in antiqua occasione perseuerat: sed æquum est, vt vitæ emendatio, &quædam illius approbatio per tempòris interuallum expectetur. Atqui hic vigilandum est eò diligentius, quò manifestum est hac in parte Confessarios incuria sua maximam præbere causam, cur in omnibus fere opificijs, & exercitationibus publicis peccata grauissima inueniantur, & abusus intolerabiles, sine quibus multi hodie existimant, nec res etiam per se æquissimas rectè exerceri posse.

Exempli gratia, in Magistratu adeundo, & alijs officijs assumendis, multa iuramenta reperiuntur, quæ seruari debeant; quæ tamen postea non seruantur.

Inter Consiliarios, Aduocatos, Procuratores, clientum perniciei ac damnis incumbitur, contra id, quod propria conscientia dictat faciendũ.

Idem fit in bello, vbi duellis locus datur, vbi odijs, homicidijs, plena sunt omnia. Inter ludendum maledicta vigent, rapinæ, quæstus meretricij. Apud mercatores hæc regnant: vsuræ, mercium fraudes, cùm vel eas miscẽt, vel malas pro bonis in manum porrigunt; multoque pluris quàm pretium iustum est, eas distrahunt; nec

desunt

desunt peritia, mendacia, vectigalium fraudulenta auersio, aliaque eius ordinis permulta.

Plerique opifices festis æquè, ac profanis diebus ita occupantur, vt nunquam neq; cultui diuino vacent, neque conciones frequentent, nec se solum, sed ad similem modum totam distentam familiam habeant.

Quam ob rem magno numero inuenietConfessarius inter eos, qui talia exercent, omnem vitam ferè in peccatis mortalibus duxisse, qui quidem absolutionis capaces existimari non debent, nisi diligentia prius accedat, qua simul &ab inuolucris huiusmodi liberentur, & fortiores contra peccatum reddantur.

Plurimi nunquam vt oportet sunt confessi.

Quòd si Confessarius posuerit maiorem industriam in ijs examinandis, non dubium est, quin plures deprehendet, qui nunquam, vt oportuit Sacramento Pœnitentiæ peccata sua expiarint. quod cum fuerit ab eo animaduersum, ostendat eis præterquam, quod de emendatione maiorem probationem facere debebunt, vel opificij genus in quo sunt, deserere, etiam totius vitæ confessionem instituere, ac studio vehementi in salutem suam incumbere tenebuntur.

Officia qu relinquenda pœnitenti.

Multò magis Confessarius circa ea officiorum, actionumque discrimina extirpanda adlaborare debet, quæ nullam vel necessitatem Rei. pub. vel vtilitatem secum ferunt; quæ quamuis ex priori ordine rerum non sit (illæ enim per se ad peccatum mortale inducunt), ac propterea necessario à quouis homine quocumque in statu re-

tur relinqui debent) nihilominus tamen ad malè agendum inflectunt, ac facillimo negotio sæpissime ad diuersa peccata trahunt, vt choreis interesse, agere cum blasphemis, versari cum scurris, malorum se sodalitatibus hominum adiungere, tabernas frequentare, otio indulgere, similesq; actiones, in quibus vt plurimum peccare mortaliter homines solent, qui quidem ante non debent absolui, nisi animo abalienato penitus illa ipsa se deserturos esse polliceantur.

Et quidem si probabiliter sibi Confessarius persuadeat, posse se fidem primæ vel secundæ à pœnitente sibi promissionis factæ dare, quòd scilicet occasionem auferat, poterit eum promissionis intuitu absoluere, sin autem fidem semel atque iterum fregerit, ac tertiò iam idem polliceatur, absolutionem differat, vsque dum reipsa videat pœnitentem se omni peccato liberasse, in quo prius vixerat.

Contractus qui deserendi.

Eos præterea, qui contractis nostris Concilijs Prouincialibus nominatim prohibitos, vel per se aliàs illicitos exercent, non absoluat, nisi prius rescindantur, satisfactioque conueniens pro eis præstetur. Si contractus dubij sint, antequã absoluat, ad Pœnitentiarium maiorem rem totam reijciat, qui quidem illius explicationem ampliorem penes nos inueniet: sed hoc tempore si pœnitens sufficientem dederit cautionem, quòd futuræ definitioni sententiæque acquiescet, poterit eum absoluere, & ad communionem admittere.

Iubi-

Iubilæi tempore qui non absoluendi.

Sed ne quidem Iubilæi alicuius tempore, qui ea, qui ea, quæ ex edicto publico, monitoriove Papali, vel Archiepiscopali notificare tenebantur, subticuerint, nullo modo absoluantur, nisi denunciationem ritè prius fecerint, ac omnibus ad quæ ob damnum inde secutum obligati sunt, satisfecerint. Ceterum, ante restitutionem, debitamq; satisfactionem eos non absoluant, qui aliquatenus ad tale quid adstricti sunt, modo id facere possint: eos tamen excipimus, qui ex graui, periculosaque infirmitate decumbunt, quibus tamen præcipiat Confessarius, oneretque vt, quàm primùm poterint, satisfaciant.

Postquam Confessarius omnibus his præscriptis remedijs diligenter vsus fuerit, si impedimentum aliquod non videat, ob quod negare vel differre debeat absolutionem; dicat pœnitenti, vt de peccatis omnibus, confessus est, reliquisque in vniuersum, quæ verbo, cogitatione, opere, vel omissione commisit, quorum non reducatur, culpam humiliter suam dicat, confessionemque claudat.

Quod vbi factum est, Confessarius ei, maximè si talis est, qui rarius confiteri solet, peccatorum grauitatem ostendat, quibus eum nouerit magis inuolutum, ijsq; remedijs contra eadem armet & muniat, quæ conuenientissima esse iudicabit. Proderit autem hac in parte Methodum Confessariorum bene tenere, vel Directorium, atque eiusmodi argumenti libros sibi facere familiares.

Deinde si fuerit necessarium, iniunget ei, vt satis-

satisfaciat & restituat, rem, famam, vel honorem, quæ proximo abstulerit; tum vbi præscripserit salutarem pœnitentiam, quemadmodum infra dicetur, eum absoluet.

Absolutio excommunicationis quomodo concedenda.

Si fortè pœnitens aliquam censuram incurrerit, à qua eum absoluere possit, antequam conferat absolutionem à peccatis, eam debet, quæ à censuris datur, præmittere, multum autem iuuat ad cautelam, si semper eadem præmittatur, quatenus scilicet potestatem habet, ac pœnitentem indigere arbitratur. Similiter si pœnitens casu aliquo reseruato teneatur, nisi licentiam absoluendi habeat, eum non absoluat; alias enim in excommunicationem incideret à Syndodo nostra Diœcesana latam. Nec ipsi Regulares, quantumuis priuilegio, quòd *Mare magnum* vocant, vel alijs quibusuis indultis gaudeant, à prædictis casibus absque peculiari nostra licentia absoluere possunt: quemadmodum Gregorij XIII. Pont. Max. Sanctitas ex Cardinalium consilio, ad quos Concilij Tridentini interpretatio pertinet, declarauit.

Multo minus sese ingerent ad absoluendum à casibus in Bulla in Cœna Domini contentis, vel alijs Sedi Apostolicæ reseruatis.

Atqui vt omnes; qui in nostra versantur Diœcesi, vnam, eandemque absoluendi formam obseruent, hoc quo sequitur modo absolutionem proferent. Sed interim admonemus omnes seriò, ne verba ea omittant, in quibus tota absolutionis vis consistit, videlicet: *Ego te absol-*

absoluo. Hic itaque omnibus sit præfixus absoluendi modus.

Absolutionis formula.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam, Amen.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotenc & misericors Dominus, Amen.

Dominus noster IESVS *Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quod incurristi, quantum possum, & indiges.*

Deinde:

Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Passio Domini nostri IESV *Christi, merita B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.*

In satisfactionibus, vel pœnitentijs Confessarius circumspectus esse debet, ne adeò leues illæ sint, & faciles, vt potestas clauium in contemptum veniat, ipseque particeps fiat, & consors aliorum peccatorum, neque nimis graues, aut longæ iubeantur, vt vel recusent eas exequi, vel etiamsi acceptas habent, postea tamen plenè non perficiant.

Canones pœnitentiales ad vnguem Confessarius teneat.

Idcirco Confessarius Canones pœnitentiales ad vn-

ad vnguem sciat oportet: nam quamuis illi possint & debeant, secundùm prudentis, & morati Confessarij arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, personarum qualitas, diuersaque conditio, aliæque circumstantiæ ostendent, vtilissimum tamen est semper ipsos Canones præ oculis habere, adque eos tamquam ad amussim respicere, quantum conueniens erit: & quidem Confessarius, etsi pro modo antiquo Canonum pœnitentiam non habet sequi, tamen pœnitenti nonnunquam articulos in ijs explicatos tractabit, vt sic ad maiorem dolorem adducatur, pœnitentiamque leuiusculam, quam ipsi dedit, alacrius exequatur: & interim hæc quoque perspicietur vtilitas, quæ proficiscitur ex benignitate, quam hodie sancta mater Ecclesia cum pœnitentibus obseruat, quando disciplinæ Ecclesiasticæ rigorem eis tantopere moderatur.

Pœnitentiæ quomodo peccatis respondebunt.

Curet etiam, vt satisfactiones peccatis commissis respondeant. Itaque aduersum peccata carnis, vigilias, peregrinationes, cilicia, aliaque similia imponet, quæ macerare, ac castigare possunt carnem. Contra auaritiæ peccata, præter restitutiones, quę fieri debent, opponet opera misericordiæ pro facultate & modo cuiusque. Peccata superbiæ, quæ in spiritu hærent, oratio comprimet, quæ sub potenti manu Dei homini humiliato fortitudinem, animique constantiam acquiret. Præcipiet contra negligentiam in ijs ediscendis, quæ ad verum pertinent Christianum, conciones sacras, tum etiam, vt ad certum tempus Scholas, & Catechistas Christianæ religio-

gionis frequentent. Remissis hominibus, quiq; in rebus conscientiæ suæ salutiferis frigidè se gerunt, præcipiet, vt adeant templa, diuinisque officijs assistant, multasq; vsurpent orationes.

Blasphemis quales iniungendæ pœnitentiæ.

At verò blasphemis, & sacrilega lingua in Deum, & Sanctos petulanter maledicis, pœnitentias graues & difficiles iniungent, quæque culpæ grauitati respondeant, qua in re Canonibus sacris, Pontificijs Decretis, Concilio Lateranensi, ac nostrorum Conciliorum statutis sese conformabunt. Verùm hac in parte integro iudicio & personarum delectu vtentur: non enim omnibus omnia conueniunt: quare non mandent pauperibus, vt liberaliter tribuant eleemosynas, neque ijs, qui diurnis sudoribus victum sibi, suisque quæritant, ieiunia prolixa, ac simile iudicium in reliquis pœnitentijs vsurpabunt & sequentur. Videndum est etiam, vt qui publicis vel scandalis, vel sceleribus delinquunt, non absoluantur, priusquam satisfactionem item publicam, ac pœnitentiam peccato congruentem ijs iniunxerint, vt simul cum emendatione vitæ malefacta publica, benefactis resarciant; qua in causa Concilij Tridentini præscriptum obseruabunt, ac institutionem nostram super hac re in Primo, ac Tertio Prouinciali nostro latam, qui etiam pœnitentias publicas in alias secretas non commutabunt, nisi expressam à nobis huius rei habeant potestatem.

Sacerdos ab omni auaritiæ suspicione abesse debet.

Vt liberior sit Confessarius in exequendo officio,

ficio, quod illi cum pœnitente est, maioreque apud eundem in auctoritate habeatur, in decernendis ijs omnibus, quæ ad pœnitentis salutem referuntur, nõ solum fugiet studiosè auaritiam, sed etiam omnem eius, vel minimam suspicionem. Nominatim autem pecunias, vel aliquid huiusmodi pro confessionum audientia non petet, etiamsi occasio se præbeat: ac ne signum quidem, vel minimum eius ostendat: quin potius voce, & reipsa declaret animum se prorsus abhorrentem à talibus habere. Cùm pœnitenti iubebit, vt Missæ Sacrificium faciat vspiam peragi, nec rectè, nec obliquè significet, quasi velit ipse celebrare, vel in sua Ecclesia, aut Monasterio curare celebrari.

Idem faciat in satisfactionibus ijs, cum pœnitens, vel debita incerta reddere pauperibus, vel pro votorum commutatione aliquid soluere debebit.

Sed neque pecunias, aliave, quæ à pœnitente restituenda sunt, proprijs dominis in se prouinciam reddendi assumat: nisi necessitas id requirat, vt videlicet hoc modo pœnitens non prodatur: quòd cùm erit ab eo factum, curet, vt is cui rem restituit, chirographum suum in testimonium ei tribuat, vt illud pœnitenti consignet, ac planè eo modo procedat, vt omnem speciem, ac signum auaritiæ subterfugiat.

Confessionis secretum quomodo seruandum.

Præ omnibus autem Confessarius caueat, ne verbis, vel signis, vel quocunque alio modo, peccatorem, vel peccatum ipsum, vel aliquam circum-

circumstantiam personæ, cum qua peccatum est, prodat; denique verbum nullum ex ore eius excidat, ex quo aliquo modo in peccati quantumuis leuissimi, quod in confessione dictum sit; notitiam veniri possit.

Cumque pro rei alicuius controuersia, quæ in confessionem incidit, clariore definitione consilium ab aliquo petendum erit, summa ad id prudentia adhibeatur, necesse est: tractetur igitur, vel cum ijs hominibus, ac modo tali, vt is, qui peccatum commisit, nullo modo deprehendi possit. Ideoq; consultum videtur, vt nullam planè apud alios mentionē faciat vllo tempore peccatorum, quæ in confessione audiuerit: quod si postea necessitate coactus, cum ipsomet pœnitente de peccatis loqui contingat; id quod nisi præfata venia faciat, & ipsum colloquium obtinebit vim confessionis, quantum ad secreti silentium attinet. Si pœnitens à Confessario postulet testimonium sibi dari, quo se eius confessionem audiuisse fateatur, quòd illud dicat se velle Pastori suo ostendere, quod semper in confessione Paschali facere tenetur, eam secundam formam, quæ infra ponitur, scribat. Atqui eo quòd attestationum harum multa exemplaria impressa singulis dabuntur Confessarijs, curet Confessarius, vt suas præ manibus habeat, nullisque eas tradat, nisi quorum confessiones audiuerit. Attestationis formula hæc erit: *Anno, die, talis Mensis, Sacramentum pœnitentiæ administraui N. habitanti in parochia N.*

Scribat in primo albo diem quo pœnitens confessus fuerit, secundo mensem, tertio nomen

men & cognomen, quarto parochiam in qua pœnitens habitat. In calce Confessarius nomen & cognomen suum scribat cum titulo beneficij, vel officij Ecclesiastici, à quo cõmuniter denominari solet, veluti, Rector, Vicerector, Canonicus, vel Sacellanus Ecclesiæ N. vel si Regularis sit habitans in Monasterio N. Atqui quicquid in attestationum albis scribendum est, totum id ipsiusmet Confessarij manu scribatur, vel saltem dies, mensis, ac ipsius Confessarij subscriptio. Vtile præterea erat si Confessarij omnes in tabulis nomen & cognomen scribant eorum, quibus dictas attestationes subscriptas tradiderunt, seruentque eas tabulas penes se, vel post octauã Paschæ nobis, aut si in Diœcesi sint, Vicarijs nostris forensibus exhibeant, idque vt exactius animaduertere possimus, num fraus aliqua in dictis attestationibus à non confesso quodam facta sit.

Pro maiore Confessariorum instructione, atque in iuuandis eorum animabus, quibus Pœnitentiæ Sacramentum administrarunt, vt certa quadam forma vtantur, qua pœnitentes in gratia accepta perseuerare, ac progressum facere doceant, infra scriptas adiunximus admonitiones.

Confessarij erga pœnitentes quales esse debeant.

Confessarij omnes, quemadmodum Patres spirituales decet, circa pœnitentes suos summam prudentiam adhibeant, necesse est, vt instruantur, dirigantúrque paulatim ad virtutes Christiano homine dignas. Peculiariter autem

industriam & studium suum erga eos magis explicare debebunt, qui in Patres sibi Confessarios suos cooptant, vt ad eos in dubijs & controuersis suæ conscientiæ rebus quotidiè, tum pro consilio, tum pro expiandis peccatis possint accurrere. Qui quidem ad eum modum filios suos spirituales in bono proposito confirmare nitantur, vt constantissimè sibi proponant potius, quàm diuinam Maiestatem offendant mortaliter, non solum bona ac honores, sed etiam vitam profundere, viuumque præseferant, & salutare desiderium secundum sanctissimam Dei voluntatem totam vitam suam expendere.

Confessarij finem, ob quem sunt creati, suis pœnitentibus proponant.

Quare finem, ob quem creatus est homo, eis ob oculos crebro ponant; qui quidem est seruire & obedire in hac vita diuinæ Maiestati, & in altera in omnem æternitatem eadem frui, aliaque similia; ac proinde debere hominem excusitare animum, & vires sibi sumere, salutique suæ cooperari, atque eatenus rebus omnibus vti, vel abstinere, quatenus ad hunc finem consequendum adminiculo, vel impedimento esse possint; ad extremum, huc se totos actionesque suas, atque vniuersa quæ in hac vita possident destinare, ita vt in victu, vestitu, consuetudine vitæ, negotijs, omnibusque alijs exercitationibus ita sese gerant, vt omnia quasi quædam adiumenta eis esse possint ad vltimum finem, cui conditi sunt, consequendum. Cæterum, ipsi pœnitentes paratos sese exhibeant,

beant, non solum in earum rerum vsu prudentiæ, ac salutari consilio Confessarij libenter acquiescere, verùm etiam si ille omnia planè vel aliqua ex ijs quæ habent deferenda esse iudicet, causa salutis eorum semper ei obediant. Confessarius tamen iuxta vniuscuiusque conditionem ac statum ad finem supradictũ eos diriget.

Proponat eis etiam modum orandi, vt feret singulorum capacitas, & pro religiosa consuetudine omnes nitantur bis saltem in die facere preces ad Dominum, manè videlicet cùm surgunt, ac vesperi dum cubitum concedunt.

Deinde exhortabitur eos, vt singulis diebus sacrum audiant, & diebus Dominicis diuina officia frequentent.

Particulatim verò modum eis præscribet orationes mentales faciendi, siue viri, siue mulieres sint, modò tamen capaces sint: rudioribus autem ostendet quomodo Rosarium siue Corona, officium Beatæ Virginis, septem Psalmi pœnitentiales, aut similes aliæ orationes legi debeant.

Quod amplius est, omnes suæ fidei concreditos eo inducet, vt examen conscientiæ quotidiè faciant: tempus autem huic rei accommodatum erit, dum vesperi signo publico campanæ simul cum tota familia ad preces inuitatur. Admoneat quoque eos de frequenti confessione & communione, paulatim eos secundùm B. Augustini consilium in sanctam eam consuetudinem adducat, vt diebus Dominicis communicent. (*August. epist. 119. ad Ianuar. & in lib. de Eccles. dog. c. 53 & de consec. dist. 2. cap. quotidiè.*)

Quando autem aliquem nacti erunt, quem ad hoc præstandum esse videant inidoneum, conabũtur eum paulatim, ac veluti per gradus quosdam eò euehere. Primò hortabuntur, vt quando omnes debent percipere venerabile Sacramentum, etiam festis toto anno celebrioribus, præter ipsum diem solennem Paschæ, quo debent omnes communicare, scil. festo Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, Omnium Sanctorum, Natalis Domini, deinde etiam Dominica in capite Quadragesimæ, pro indulgentijs acquirendis, ac præparatione ad sanctum Quadragesimale ieiunium: paulò post superaddat aliquot dies: postea hortetur, vt singulis mensibus semel id præstet. Quod si fiat, facilè ad communionem octiduanam erit progredi.

Quomodo dies festos impendere docere debeat Confessarius.

Speciali cura eos admonebit Confessarius, vt dies festos in honorem, seruitiumque Diuinum impendant, quod vt commodius fiat, auctor eis erit, vt alicui Societati sese associent, quæ ex instituto proprio dies festos in orationibus, pijsq; operibus expendit: veluti est ea, quam *Scholam vitæ Christianæ dicunt*. In vniuersum autem patres, matresve familias admoneat, vt familiam suam ad Dei honorem instituant, ac liberorum suorum curam eximiam habeant, qui interim dabunt operam, vt visitent scholas, vbi doctrina Christiana docetur, modo ducant vna secum eos festis diebus ad conciones, ad Vespertinas preces, ad prælectiones sacras, modo ad frequentem confessionem & communionem eos

accom-

accommodent. Si qui ex filijs vxorem duxerint, curabunt parentes, vt opera maritorum etiam illæ sacramenta frequentent: vel si vxores sint, cum maritis similiter agant: qua in re in memoriam eis reducant quod S. Paulus ait: 1. Cor. 7. *Maritus bonus* (inquiens) *sapè vxorem Christo lucratur, & similiter virum.* Eis qui literas norint, suadebunt, vt libros aliquos pios & sanctè scriptos emant (si modò facultas suppetat) quos & ipsi legant, ac faciant legi à tota familia circa vesperam, præcipuè diebus festis: tales sunt, Vitæ Sanctorum Patrum, Gerson de imitatione Christi, Opera F. Ludouici Granatensis Exercitia Vitæ Spiritualis; & Rosarium Gasparis Loartis, Practica Orationis Spiritualis P. Matthię Cappucini, Introductio ad vitam deuotam Francis. de Sales, Androtij & P. Gaudier Soc. Iesv, Thom. à Kempis, P. Arias & Iul. Fatius Soc. Iesv, Lanspergij & Hier. Drexelij Soc. Iesv opuscula, & alij similes.

Diuites quomodo admonendi.

Sæpiùs diuitibus in mentem redigant, eos dispensatores esse diuitiarū quas possident, quibus ordinem ac statum suum sustentare & alere possint, verùm id Christianè, modestęq; faciendum esse, vt non solùm in vsu diuitiarum nō supra quam eorum vires ferunt, sed potius infra aliquid expendere cernantur, quod etiam Gentiles olim non solum verbis, sed etiam domesticis exemplis ostenderunt. Porrò in eleemosynis liberaliter faciendis studeant excellere, ad hoc enim obligantur: ac ne fortè aberrent à modo conuenienti, hominū religiosè pieque sentientium consilium in his sequantur. Po-

Postremò secundùm vniuscuiusque modum & conditionem, omnibus & singulis ea præscribant adiumenta, quæ maximè necessaria, vtiliaque esse iudicabunt, vt in via mandatorum Dei sui ambulent ac proficiant.

INSTRVCTIO PRO CONFESSARIIS.

REVERENDIS PASTORIBVS & Confessarijs pacem & dilectionem in Domino, apprecatur FRANCISCVS DE SALES, Episcopus Geneuensis.

Dilectissimi in Christo Fratres, officium, quod exercetis, cum primis excellens est, quod à Deo ad animas iudicandas constituti sitis, idq; eo maiore cum auctoritate, quod, quas rectè profertis in terra, sententia rata in cœlo habeantur. Ora vestra canales & tubi sunt, per quos è cœlo in terram super homines bonæ voluntatis pax defluit: voces vestræ magni IESV *sunt tubæ, à quibus iniquitatis, quæ mystica Iericho est, muri ad terram concidunt & deijciuntur. Magna certè & incomparabilis hominum excellentia est, quod ad hanc dignitatem euehantur, ad quam ne Angeli quidem vocantur & assumuntur. Cui enim Ordini & Choro Angelorum dictum est aliquando:* Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittentur eis? *Hoc tamen dictum est Apostolis, & in ipsorum persona omnibus, qui per legitimam successionem eamdem authoritatem & potestatem accipient. Cum ergo ad admirabile & exi-*

eximium hoc officium assumpti sitis, noctes & dies eidem intendere, & ipsum curare debetis, & ego non modicam muneris mei partem ei curando applicare. Vnde cum abhinc aliquot mensibus non paucas obseruationes & considerationes, quas vobis, ad hoc exercitium bene & prout oportet obeundum perutiles, & commodas fore arbitrar, collegissem: visum mihi fuit ex ijs nonnullas vobis hic obiter proponere, quod non modicum hinc vos speremfructum collecturos.

CAPVT I.

De Confessarij dispositione.

SIngularem conscientiæ puritatem & munditiem habete, quòd aliorum emundare & purgare conscientias studeatis; ne vetus illud Prouerbium vos comprehendat, & in vos quadret: *Medice cura teipsum.* & illud Apostoli: *In quo alios dijudicas, teipsum condemnas.* Ergo vocati ad aliorum confessiones excipiendas, si in peccati mortalis statu agatis (quod Deus auertat) prius ipsi vestrum confiteri peccatum debetis, & ab eo absolui, aut si fortè præ Confessarij defectu, commodè id facere non possitis; sanctam saltem in animo vestro contritionem excitare debetis.

Ardens animarum iuuandarum desiderium & zelum habetote, & illarum præsertim, quæ resipiscere volunt, & pœnitentiam vitæ prioris agere, Deumque rogate, vt illarum conuersioni & profectui spirituali cooperari dignetur & promouere.

Memineritis, ipsos pœnitentes, cum primùm

confiteri incipiunt, vos Patres nominare, ac proinde paternum erga eos animum & affectum vos habere debere, summo cum amore eos excipiendo, eorum stupiditatem, ignorantiam, imbecillitatem, tergiuersationem, & alias imperfectiones patienter & æquo animo supportando, & nunquam ab ipsis iuuandis instruendisque præ defatigatione cessando, quamdiu aliqua emendationis spes in illis apparet; iuxta illud S. Bernardi dicentis: Onus Pastorum non circa animas fortes & valentes, sed debiles versari: fortes enim satis per se sine vllius subsidio incedunt, at imbecilliores oues ferendæ sunt. Sic, tametsi filius prodigus nudus plane, sordidus & fœtidus iam inde ab hara porcorum rediret, benignus tamen pater eum complectitur, amanter exosculatur, & super collum eius ruens lacrymatur, quod illius esset pater, & cor paternum erga filios teneriori soleat affectu commoueri.

Habetote præterea prudentiam medicorum (nam & peccata morbi sunt & plagæ spirituales) & pœnitentis vestri dispositionem & statum accuratè dispicite, vt pro illius necessitate & qualitate remedium ei adhibeatis. Si ergo, verbi gratia, pudore & verecundia eum laborare perspiciatis, animum illi & fiduciam addite, dicendo & ostendendo, non magis, quam illum, vos Angelum esse: minimè videri vobis mirum homines peccare: confessionem & pœnitentiam infinito maiorem homini honorem adferre, quam peccatum attulerat confusionem: Deum primò, ac dein Confessarios, non æsti-

mare

mare homines iuxta id quod olim fuere, sed iuxta id quod sunt modò: peccata deniq; in confessione declarata apud Deum & Confessarium, velut sepulta esse, adeò vt nulla ipsorum memoria supersit.

Si pœnitentem impudentẽ & omnis apprehensionis expertem videatis, declarate & ostendite, ipsum coram Deo ipso hic sese prosternere & versari; hac in actione & opere de æterna illius salute controuerti; de nulla re in mortis hora tam exactam eum rationem redditurum quã de confessionibus malè institutis: denique in absolutione, mortis ac passionis Dominicæ pretium ac meritum pœnitentibus applicari & impendi.

Si illum timidum, deiectum, & de peccatorũ suorum venia aliquo modo desperantem videatis, iacentem erigite, & corroborate, dicendo, quam Deo sit gratum & volupe, magnos peccatores pœnitentiam agentes videre: deinde, quo nostra miseria & iniquitas maior est, eo id in maiorẽ diuinæ misericordiæ gloriam tendere: Dominum Iesvm in crucem actum, Deum Patrem pro sui crucifixoribus orasse, vt hac ratione nos edoceret, tametsi illum proprijs manibus cruci affixissemus, ipsum hanc nobis noxam nihilominus libentissime condonaturum. Deum tanti pœnitentiam facere, vt etiam minima, dummodo vera sit, omnia peccatorum genera illum faciat obliuisci, adeò vt, si damnati & cacodæmones illam habere possent, vniuersa illorum peccata condonarentur: illustrissimos item, sanctos, insignes & notabiles fuisse peccatores,

puto S. Petrum, Matthæum, Magdalenam, Dauidem, & alios innumeros. Postremò maiorem diuinæ bonitati, & Domini nostri IESV Christi morti & passioni, iniuriam fieri non posse, quam si quis de venia peccatorum suorum consequenda desperet, ad hæc iuxta quemdam fidei articulum teneri nos credere, esse in Ecclesia remissionem peccatorum, vt certi simus, ac minimè dubitemus, illam tunc nos consecuturos, cum ad Sacramentum illud confugimus, quod hac de causa in Ecclesia sua Dominus instituit.

Si denique peccatorem perplexum & anxium esse deprehendatis, quod aut peccata sua plenè planéque declarare nequeat, aut conscientiam suam bene examinare non potuerit, opem vestram illi offerte, eumque certum reddite, vos, mediante Dei gratia, effecturos, vt nihilominus bonam sanctamq; Confessionem instituat. Ante omnia vero, erga quoslibet peccatores, benignos, beneuolos & discretos exhibete, & in primis erga mulieres, vt in peccatis infamibus aperiendis & confitendis ipsis auxilio sitis. Nam

Primò, si seipsi sponte accusent & culpent, quascumque demum inhonestates proferant, nullo modo eas vobis molestas accidere, aut miras vobis insolentesve videri ostendite, quoadusque confessio absoluta sit: nam tum demum placidè amicabiliterque eos edocete, qua honestiori phrasi & verbis, id genus materias posthac possint exprimere.

Secundò, si in his peccatis inhonestis exponendis suam accusationem varijs excusationibus, prætextibus & exemplis colorent & implicent,

cent, patienter illos ferte, non turbate vsq; dum omnia exposuerint, tum demum eos quoad hoc peccatum interrogare incipite, quò posthac perfectiùs & distinctiùs peccata sua declarent, benignè eis ostendendo & aperiendo, quasnam sese excusando commiserint superfluitates, impertinentias & imperfectiones, dum accusationem suam palliabant & colorabant: ita tamen, vt nullatenus eos reprehendatis aut obiurgetis.

Tertiò, si quam eos difficultatem sentire videatis in peccatis illis inhonestis per se aperiendis, vos illos circa leuiora interrogare incipite, vti sunt, an voluptatem aliquam è rerum inhonestarum auditu perceperint, inhonestas cogitationes habuerint: itaque paulatim ex vno ad aliud gradu facto, ex auditu inquam ad cogitationes, à cogitationibus ad desideria, voluntates, opera ipsa, prout quidem ipsi sese patefacient, descendendo, animabis & adhortaberis eos ad semper vlterius procedendum, his aut alijs id genus verbis eos subinde compellando: quàm tu felix es, quod benè riteque confitearis! credas velim, Deum magnam tibi gratiam facere; vides Spiritum sanctum mentem tibi propius tangere, vt bonam confessionem instituere te faciat; animosè fili, intrepidè & liberè peccata tua aperi, noli propterea tristis esse aut distorqueri; non multò post ingens gaudium senties, quod sic ritè confessus sis, nec ob vllam omninò rem voles, quin conscientiam tuam liquidè & sincerè aperuisses, in mortis hora magnæ tibi consolationi erit, quod humilem hanc confessionem feceris. Benedicat Dominus cor

tuum, quod ad sese accusandum tam bene dispositum est. itaque paulatim & suauiter animas eorum compelletis ad perfectè peccata sua detegenda.

Quartò, si quando in eos pœnitentes incidetis, qui ob enormia, quæ admisere peccata, vti sunt, incantationes, veneficia, concubitus cum diabolo, bestialitates, homicidia sanguinaria, & aliæ huiusmodi abominationes, mirum in modum suis in conscientijs percelluntur, agitantur, & consternantur; omni modo eos releuare & consolari debetis, magnam Dei misericordiam apud eos deprædicando, vtpote quæ ad ipsis ignoscendum infinities maior est, quam vniuersa mundi peccata ad illos damnandos, opemque vestram & auxilium illis addicite, quacunque in re & quoties illa opus habebunt ad animæ suæ salutem operandam.

CAPVT II.

De dispositione exteriore.

SI quod sit Sacramentum, in cuius administratione proferenda sit ab administrante grauitas & maiestas, certè ipsum Pœnitentiæ summam exigit, cùm in eo à parte Dei Iudices deputati & constituti simus. Hoc ergo administrabitis induti & togam & superpelliceum, stolam habentes in collo, & pileum in capite, in apparenti & conspicuo Ecclesiæ loco considentes, facie amicabili simul & graui, quam per nullos nouos gestus aut signa exteriora, quæ aliquam auersionem, indignationem aut demon-

monstrationem animi indicent, vnquam debetis imitare, ne quam ijs qui eos videbunt, occasionem detis suspicandi, pœnitentem aliquid displicens aut execrabile vobis referre.

Dabitis operam, vt pœnitens faciem suam ita conuertat, vt vestram ad latus habeat; ita vt nec vos videat, nec vobis rectà in aurem, sed ad latus illius, loquatur.

CAPVT III.

De Interrogationibus, quæ pœnitenti proponendæ ante, quàm sese accuset.

POEnitens ergo vbi accesserit, ante omnia rogandus est, cuius sit status & conditionis, videlicet an coniugatus sit, necne, Ecclesiasticus, an non, Religiosus aut sæcularis, aduocatus an causidicus, opifex mechanicus an operarius mercenarius; nam pro diuersitate status diuersimodè cum eo procedendum erit.

Sciendum præterea, num intentionem habeat hanc benè se & ritè de omnibus peccatis suis accusandi, nihil eorum vt studio & volenter celet; item, peccatum penitus deserendi ex animo & detestandi, denique faciendi quod sibi salutis suæ procurandæ causa iniungetur. Quod si illam intentionem & voluntatem non habeat, in hoc manendum est, & eam vt habeat, si quo modo fieri potest, allaborandum; si verò eam habere nolit, dimittendus est, prius illi declarato, quam periculoso & misero in statu agat.

CAPVT IV.

Quarum se rerum pœnitens accusare debeat.

INtolerabilis certè abusus est, peccatores nullum omnino peccatum in confessione per se declarare, nisi in quantum à Confessarijs interrogantur. Docendi ergo sunt, vt seipsi primò accusent in ijs in quibus poterunt, ac deinde per interrogationes & scisitationes adiuuandi vlterius erunt.

Non satis est, pœnitentem peccati sui genus tantum aperire, dicendo, verbi gratia, quod homicidium, luxuriæ peccatum aut furtum commiserit; sed necesse præterea, vt illius speciem explicet, exempli causa; an patrem, aut matrem interfecerit, & hoc dicitur parricidium, an in templo aliquem necarit, hoc namque sacrilegium est, an Ecclesiasticum aliquem de medio sustulerit, hoc namque parricidium spirituale est, & quisquis hoc commisit, ipso facto est excommunicatus. Idem & in peccato fornicationis locum habet: si enim virginem quis defloraverit, stuprum est; si coniugatam aliquam cognouerit, adulterium est; & ita de reliquis peccatis.

Nec solum ipsa peccati species inquirenda, verum etiam quoties peccatum ipsum commissum sit, vt nimirum pœnitens se accuset, dicendo quoties tale aut tale peccatum admiserit, aut quoties plus minus, quàm poterit proximè, prout illius recordabitur, aut saltem dicendo, quamdiu in peccatis suis hæserit & perseuerauerit,

uerit, & quàm valdè ei deditus & addictus sit. Etenim multum interest inter eum qui nonnisi semel blasphemare solet. Examinandus præterea pœnitens est circa varios peccati alicuius gradus: exempli gratia, magna certè differentia est inter irasci & calumnias proferre, pugnos infringere, baculo ferire, aut gladio, quæ varij peccati iracundiæ sunt gradus. Magnum quoque discrimen est inter carnalem intuitum & inhonestum contactum, & copulam carnalem, quamquam necesse non sit, eum qui aliquod opus malum absolutum confessus est, confiteri & alia, quæ ad prius illud faciendum necessaria requiruntur, & præuia sunt. vnde qui sese accusauit, quod puellam semel violauit, non tenetur aperire facta & actus, quos interea dum alterum illud opus fieret, aut disponeretur, intermiscuit: satis ea quippe intelliguntur & præsupponuntur, etiamsi non exprimantur, & illarum rerum accusatio in actionis finalis & vltimata peccati confessione continetur.

Idem dico de peccatis, quorum malitia in vna & eadem actione duplicari & multiplicari potest, v. g. qui aureum furatur, peccatum vnum facit, qui duos, etiam nonnisi vnum facit, & quidem eiusdem speciei: tamen secundi huius peccati malitia duplex est, respectu prioris. Pari modo fieri potest, vt prauo quod datur exemplo vnus duntaxat scandalizetur, & alio malo exemplo eiusdē speciei triginta aut quadraginta scandalizentur, cùm tamen nulla sit inter vtrumque peccatum proportio. Quapropter, quàm fieri proximè potest, facti quantitas parti-

particulariter est exprimenda, item quàm multi vna sola actione scandalizati sint, & ita consequenter de alijs peccatis, quorum malitia crescit aut minuitur pro obiecti aut materiæ quantitate.

Quin etiam profundius penetrandum, & pœnitens examinandus circa desideria & voluntates purè interiores, qualia, v. g. forent desiderium & voluntas vindictæ alicuius libidinis, & similium operum committendorum, etenim mali hi affectus peccatum sunt.

Etiam longius progrediendum, & excutiendæ inquirendæque ipsæ malæ cogitationes, esto nulla desideria nec voluntas peccandi post eas secuta sint. Exempli causa, qui intra semetipsum de aduersarij & inimici sui morte, ruina & infortunio cogitare gaudet, & inde voluptatem aliquam haurit, esto huiusmodi ei de facto contingere nolit, si tamen voluntariè & datâ operâ aliquam ex huiusmodi imaginationibus & cogitationibus delectationem & voluptatem capit contra charitatem deliquit, & illius se rei debet accusare. Idem iudicium est de eo qui voluntariè, vtque aliquo modo sese recreet, in cogitationibus & imaginationibus circa voluptates carnales diutius sese detinet, ijsque oblectatur: internè namque contra castitatem peccat, cuius peccati se reum fateri debet, & ipsum confiteri nam esto corpus peccato applicare noluerit, cor tamen & animam ei applicuit; porrò peccatum magis in cordis applicatione, quàm corporis consistit, ac nullo modo licitum est studio sese in peccato oblectare,

care, tam per actiones corporis, quam cordis. Dixi studio & datâ operâ, eò quod malæ cogitationes, quæ nobis inuitis, illubentibus, & non totaliter aduertentibus & reflectentibus adueniunt, nequaquam sunt peccatum, aut saltem non sunt mortale.

Denique requiritur quoque, vt pœnitens alienorum se peccatorum accuset, idq; ad exemplum Dauidis: si enim malo suo exemplo, aut aliter, quem piam ad peccandū pellexerit, culpa reus est, & hoc ipsum proprie appellatur scandalum, attamen econtrà pœnitens inhibendus & impediendus est, ne suos in peccato complices, socios & cooperatores nominet aut detegat, quantum quidem fieri potest.

CAPVT V.

Confessarius sollicitè aduertat, ne quem absoluat qui gratiæ Dei sit incapax.

VIdeat deinde Confessarius, num pœnitens absolutionis accipiendæ sit capax; nam hæc certis quibusdam hominibus impertienda non est, quorum hic aliquot vobis genera recensebo, è quibus reliqua, quæ eiusdem notæ sunt, facili negotio colligetis. Tales sunt:

Primò, qui excommunicatione maiore & reseruata innodati sunt: quos sine auctoritate superioris Confessario illicitum est absoluere; nisi fortè illa huic reseruata non esset.

Secundò, qui aliquod habent peccatum Pontifici aut Episcopo reseruatum, sine illorum nequeunt auctoritate absolui: remittendi ergo sunt ad eos, qui absoluendi potestatem habent, aut

aut exspectare iubendi, quoadusque (si facilè fieri id potest) ea fit impetrata.

Tertiò, falsarij, falsi testes, fures, vsurarij, bonorum, titulorum, iurium, & honorum alienorum vsurpatores ac detentores; detentores item legatorum piorum, eleemosynarum, primitiarum, decimarum, litium falsarum patroni aut intentatores, iniqui calumniatores, detractores, & in genere, quotquot in proximum noxij & iniurij sunt, absolui nequeunt, nisi quam fieri potest optimè, iniuriam & noxiam reparent, aut saltē reipsa se reparaturos promittant.

Quartò, coniugati, qui ob dissensionem aliquam à se inuicem disiuncti viuunt, aut coniugij debitum reddere detrectant absolui nequeunt, quamdiu in maligna adhuc voluntate & intentione perseuerant.

Quintò, Ecclesiastici qui malis artibus aut vijs sua beneficia adepti sunt, aut qui plura incompatibilia sacerdotia sine dispensatione legitima possident, aut qui sine sufficienti & legitima causa in Ecclesia sua non residēt, aut quibus solenne est Horas Canonicas non recitare, nec Sacerdotum ritu vestiri, absolui prorsus non debent, nisi remedium se adhibituros, & omnes hos defectus emendaturos promittant.

Sextò, concubinarij, adulteri, ebriosi absolui non debent, nisi summum concipiant & faciant propositum, non solùm peccata sua relinquendi, verùm etiam occasiones eorumdem: concubinarij quidem ac adulteri suas focarias & pellices, quas à se remouere & ablegare debent; ebriosi verò cauponas; blasphemi lusum; quod intel-

intellige de ijs qui quandam horum peccatorum admittendorum vsum ac consuetudinem iam assumpsere: itaque sæpiùs in illa recidunt.

Septimò denique, dissidentes ab inuicem inimici, qui aliquo odio, raucore, inimicitia æmulum prosequuntur, absolutionis non sunt capaces, nisi ex sua parte velint ignoscere, & cum inimicis suis in gratiam redire.

CAPVT VI.

Quomodo restitutio & reparatio bonorum & honoris alieni pœnitentibus persoluenda sit.

VBi ergo Confessarius conscientiæ pœnitentis sui statum probè perspectum habuerit, id constituere ac disponere ipse à parte sua debet, quod ad illum gratiæ diuinæ capacem reddendum requiri, ac necessarium esse videt, tam circa ea quæ ad honorum alienorum restitutionem, & grauaminum, damnorum & iniuriarum, quæ commisit, reparationem spectant, quam ea quæ ad vitæ eius emendationem & peccandi occasionum fugam ablegationemque requiruntur.

Quod autem ad reparationes & restitutiones proximo faciendas spectat, inquirenda ratio est (siquidem fieri potest) vt illæ ita clanculò & secretò fiant, vt pœnitens nullam inde infamiam contrahat. Vnde, si res sit furto sublata, ipsa est aut propria restituenda, aut aliud ei æquiualens, idque per aliquem discretum virum, qui restituentem nec nominet, nec aliquo modo indicet, si falsi sit criminis accusatio aut simulatio, magna dexteritate procurandum est, vt

est, vt pœnitens, quasi aliud agens, & commoda quæsita opportunitate, eos apud quos de proximo malè locutus fuerat, ad aliter de eo sentiendum inducat, dicens contrarium eius quod ante dixerat, nulla superioris sermonis mentione facta, vel eum simulando.

Sed quod ad vsuras, iniquas lites, & alia id genus intricatiora conscientiæ grauamina pertinet, singulari & magna quadam opus est prudentia, ad illorum restitutionem procurandam aut pœnitenti suadendam. Vndè si hanc Confessarius prudentiam non habeat, magna cum suauitate pœnitentem roget, vt aliquod sibi tempus ad maturius & per otium de ea re cogitandum concedat, atque interim ipse alios doctiores consulat, vti sunt territorij cuiusque Commissarij, qui, si quidem res requirat & promereatur, nos aut Vicarium nostrum Generalem super ea re consulent. Verum super omnia conandum, ne qui consuluntur, aliquo modo aut ex indagine, aut certis signis & verbis cognoscant vel conijciant quis ille sit de quo agitur, nisi ipse expressam Confessario ad hoc facultatem aut copiam prius fecerit, imò, ne tum quidem, videlicet illo consentiente, id faciendum est, nisi summa necessitate exigente, & pœnitente extra & post confessionem id Confessario requirente.

CAPVT

CAPVT VII.

De Casibus reseruatis, deq; Confessione eorum, qui in euidenti mortis periculo & articulo versantur.

PORro casus Pontifici summo reseruati satis multi sunt; at horum plerique sunt huiusmodi, vt trans montes, & Alpes nisi quam rarissimè, aut ferè nunquam, adueniant; qui autem hic contingere & habere locum possunt, non adeò multi sunt. Sunt enim tantùm quinque, præter eos qui in Bulla cœnæ Domini continentur.

Primus est, Ecclesiasticum & Clericum è malitia ac voluntariè occidere, aut grauiter etiam percutere. Dixi, *grauiter:* nam cum læsio aut percussio leuis est, & iniuria non tanti momenti, ab Episcopo percutiens poterit absolui, nisi percussio, tametsi in se leuis, valdè scandalosa fuerit, quando v. g. percussus est Sacerdos celebrans, aut in loco & conuentu hominum honorabili, frequenti, & admodum conspicuo.

Secundus est, simonia & condescentia realis.

Tertius peccatum duelli, quo tenentur tam ad ipsum prouocantes, inuitantes, quam ipsi duellantes & certantes.

Quartus, claustri monasteriorum Religiosarum reclusarum effractio & violatio, quando mala intentione & fine hæc violatio fit.

Quintus, violatio immunitatum Ecclesiæ, qui casus quintus cùm ad discernendum & distinguendum difficilis sit, & non sæpius contingat, & nonnisi per actiones publicas, vix in confessione pri-

ne priuata deciditur, quin prius extra illam ab Episcopis eorumve Vicarijs sit decisus.

Casus Bullæ Cœnæ Domini, qui trans Alpes habere locum possunt, sunt etiam pauciſſimi.

Primus est hæresis, schisma, librorum hæreticorum lectio, Bullarum & litterarum Apostolicarum falsatio.

Secundus, libertatum, immunitatum & priuilegiorum Ecclesiæ, bonorum & hominum Ecclesiasticorum, & Clericorum, quæ voluntariè fit, violatio; bonorum Ecclesiasticorum, in quantum talia sunt, iniqua vsurpatio.

Casus, quos nobis priuatim reseruauimus, sunt item numero pauci.

Primò, quod ad primum Decalogi præceptũ spectat, reseruauimus nobis magiam, veneficia, incantationes, ligularum (vt vocant) constrictiones, quę ad matrimonij effectum impediendum fieri solent.

Secundò, quod ad quartum, reseruauimus nobis parricidium, quod fit, dum aut pater, aut mater, aut socer, aut socrus occiditur aut percutitur.

Tertiò, quod ad quintum, reseruauimus nobis homicidium voluntariè & deliberatè commissum.

Quartò, quod ad sextum, reseruauimus nobis bestialitatem, Sodomiam, incestum in primo & secundo gradu, sacrilegium quod cum Monialibus & Religiosis Virginibus rem habendo committitur, filiarum ac feminarum raptum & violationem.

Quintò, & quantum ad septimum præceptum spectat

spectat, reseruauimus nobis voluntariam domuum alienarum incensionem, ac rerum sacrarum direptionem, expilationem ac furtum.

Porrò in casibus reseruatis, duas vos regulas obseruare oportet,

Prima est, pœnitentes qui eosdem commiserint, consolari, nec illos ad desperationem adigere. Sed modestè ad eos quibus potestatem à reseruatis absoluendi dedimus, quales per omnes diœceseos partes & loca satis frequentes constituimus, remittere. nam tametsi à Casibus Papæ Romano reseruatis absoluere hi nequeant, semper tamen modum & rationem ipsis suggerent, qua absolutionem ab ijsdem consequi valeant.

Secunda est, in casu extremæ necessitatis, & articulo mortis, omnes & quilibet Sacerdotes, esto ad audiendas confessiones admissi non sint, cuiuscumque demum generis aut qualitatis sint, ab omnibus omninò peccatis, qualiacunque ea sint absoluere & possunt, & debent. Imò qui in sua ægritudine Confessarium euocari iussit, si dein paulò post lequendi facultate priuetur, nullum doloris aut cõtritionis dare signum potest; ob simplex hoc confitendi desiderium quod habuit, absoluendus est. Imò, quod amplius est, absolutione item donandus is est, qui tametsi Sacerdotem euocari non iusserit, eum tamen aut videns, aut audiens, aliquod quo se absolutionem obtinere velle ostendat, indicium signumve dat.

CAPVT

CAPVT VIII.

Quomodo pœnitentiæ Confitentibus sint imponendæ, & qualia pœnitentibus consilia danda sint.

CONfessarius lenibus, placidis & consolatorijs verbis pœnitenti pœnitentiam imponat oportet, & tum maximè, cum eum contritum & de commissis extremè dolentem conspicit; semper quoque eum interroget, num eam libenter sit executurus. Etenim si illum ab ea auersiorem, & idcircò nonnihil turbatum videat, satius longè foret aliam faciliorem ei imponere: cum plerumque multò sit melius ac consultius pœnitentes placidè ac leniter (ita tamen vt peccatis ipsorum Confessarius non aduletur) quàm durè & asperè habere. Nihilominus pœnitenti Confessarius indicare non omittat, ipsum pro peccatorum & scelerum suorum grauitate, longè grauiorem quidem pœnitentiam promereri, sed eam mitigatam, vt, quæ illi iam iniungitur, eo maiore cum humilitate & deuotione exequatur.

Pœnitentiæ non sint intricatæ, id est, è varijs precum & orationum generibus compositæ & conflatæ, v.g. non iniungentur tria *Pater noster*, Hymnus vnus, variæ Orationes & Collectæ, Antiphona, & Psalmi: nec per varias debent actiones & opera diffundi, verbi gratia, non iniungantur tres dies quibus eleemosyna erogetur, vt tribus ferijs sextis ieiunetur, sacrum vnum celebrari iubeatur, quinquies flagellis in corpus animaduertatur. Duo namque ex hac ope-

operum & orationum diuersitate sequuntur incommoda; primum, quod pœnitens eorumdem obliuiscatur, vnde ei postea scrupuli subnascuntur. alterum, quod magis attendat aut cogitet, ad quidnam dicere aut facere debeat, quam ad id quod dicit aut facit: & interim, dum in memoria recogitat & inuestigat quidnam sibi faciendum sit, aut in Officio suo quærit, quidnam recitandum, deuotio omnis refrigescit. Satius ergò & melius est, iniungere orationes, quæ omnes eiusdem generis sunt, verbi gratia, omnes sint *Pater noster*, aut omnes Psalmi, & quidem se mutuo consequentes, quos hinc inde sparsos conquirere vnum post alium non oportet.

Adhæc non inutile erit, pœnitenti aliqua ex his quæ sequuntur in pœnitentiam præscribere; verbi causa, vt hunc vel illum librum legat, quē ad pœnitentem iuuandum Cōfessarius maximè expedire iudicauerit; vt anno vno durante singulis mensibus confessionem instituat, vt in aliquam Sodalitatem se faciat inscribi: & huiusmodi opera non modò ad præteritorum peccatorum punitionem ac castigationem faciunt, verùm etiam præseruant, ne post hac in similia aliaue incidat.

Hæc autem sunt consilia quæ Confessarius in genere præscribere & iniungere debet: inter quæ hæc existimo præ alijs vtiliora magisq; proficua, vt videlicet sæpissime Confessionis & sacratissimæ Eucharistiæ Sacramenta vsurpet, bonum probatumque sibi Confessarium ordi-

narium deligat; concionibus & verbi diuini prædicationis frequens interſit, libros pios & ſpirituales habeat ac legat (atque inter ceteros eos quos Ludouicus Granatenſis compoſuit) malorum improborumque fugiat conſortia, bonorum vero conſectetur, Deum ſæpe per orationem alloquatur, veſperi cum cubitum concedit, examen conſcientiæ faciat, ſæpe quoque de morte, extremo iudicio, cæleſti gloria, & inferni ſupplicijs cogitet, ſanctas imagines (vti Domini in crucem fixi, & alias) & habeat, & ſæpiſſime exoſculetur.

CAPVT IX.

Quomodo danda ſit Abſolutio.

HOc in facto, antequam pœnitenti ſanctam abſolutionem conferatis, eum rogabitis, num humiliter poſtulet peccata ſibi ſua remitti, & quum gratiam hanc à merito mortis & paſſionis Domini noſtri IESV Chriſti exſpectet, num etiam voluntatem habeat & propoſuerit poſthac in timore & ex obedientia Dei ſui viuere. Deinde ei ſignificare poteritis, abſolutionis ſuæ ſententiam, quam hic in terra ſuper eum pronunciabitis, in cœlo approbandam & pro rata habendam. Angelos & vniuerſos cœli ciues eructatutos & iubilaturos, dum eum in gratiam Dei reſtitutum videbunt: proinde aliter poſthac vitam inſtituere procuret, vt in mortis ſuæ hora confeſſionis huius fructum recolligere valeat, cumque conſcientiam ſuam

suam iam in sanguine Agni immaculati IESV Christi lauerit, operam det, ne eam posthac amplius vllo flagitio commaculet.

His aut alijs eius generis verbis consolatorijs prolatis, pileo sublato caput aperietis, ad preces quæ Absolutioni præmittuntur, recitandas. Quamquam (vt doctè prudenterque aduertit Doctor Emmanuel Sà) in confessionibus eorum qui confessionem sæpius instituunt, omnes quæ absolutionem præcurrunt aut subsequuntur, orationes deprecationesque licitè possint omitti, & simpliciter sufficiat dicendo: *Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Idem quoque obseruandum erit, quando multi sunt audiendi. Tunc quippe prudenter absolutio abbreuiabitur, dicendo solum: *Dominus noster* IESVS *Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, absoluo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Pari modo cum magna pœnitentium qui sæpius confessiones faciunt, adest multitudo, moneri possunt, vt, suum *Confiteor* separatim & sibi dicant, antequam se Confessario sistant, vt immediatè cum ad Confessarium venerint, & signum crucis efformarint, statim à sui accusatione incipiant. Hac quippe ratione nihil omittitur essentiale, & magnum sit temporis compendium.

R. P. Valerius Reginaldus Societ. IESV, SS. Theol. in Dolano Collegio Professor, iam recenter euulgauit librum *de Prudentia Confessariorum,*

fariorum, qui non contemnendam legentibus vtilitatem pariet.

Hos viginti quinque articulos dignos censui, Fratres, quos, quia alijs pluribus occupationibus impeditus fui, melius componere atque explicare non potui, vti nec reliqua quæ huc faciunt, scripto committere. Interim animam meam diuinæ misericordiæ commendate, quemadmodum ipse à parte mea sanctam illius vobis benedictionem ex corde exopto.

Fel. rec. Vrbani 8. Constitutio 29. Bullarij tom. 4.

VRBANVS PAPA VIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

CVM, sicut accepimus, aliquibus Religiosis quorundam Ordinum, seu Congregationum à Sede Apostolica indultum fuerit, vt sacramentales personarum secularium Confessiones audire valeant, etiamsi ab Episcopis Diœcesanis ad id examinati, & approbati non fuerint; nec desint, qui temerè asseuerent, hoc ipsum Priuilegium cęteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere, ex amplissimis Priuilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apostolica obtinuerunt, & hinc saluberrimum Sacri Concilij Tridentini Decre-

cretum, desuper sancitum penitus euertatur; Nos huic malo opportunè prouidere volentes, De Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotijs regularium prępositorum consilio, omnia, & singula indulta huiusmodi, audiendi sæcularium Confessiones absque Ordinarij examine & approbatione, quibusuis Collegijs, Capitulis, Religionibus, Societatibus, etiam Societati Iesv, Congregationibus, & Ordinibns, tàm mendicantium, quàm non mendicantium, necnon Monachorum quorumcunque etiam S. Benedicti, Cistercienſis, & Carthusiensis, ac etiam quibusuis Militijs, etiam Hospitalis S. Io. Hierosolymitani, ac quibuscunque Ecclesijs etiam Patriarchalibus & Metropolitanis, Monasterijs, cæterisque locis pijs, siue eorum & earum respectiuè Abbatibus, Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus, vel Prouincialibus, Capellanis, Confessarijs aut alijs quocunque nomine nuncupatis Superioribus, & personis quibuscunq; etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectis cuiuscunque dignitatis, præeminentiæ, & conditionis existentibus, & quouis priuilegio munitis, & tam ad supplicationem partium, quàm Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hactenus quandocunque & qualitercunque ex quauis, etiam de necessitate exprimenda causa, & alias quomodolibet concessa, Apostolica auctoritate, tenore præsentium reuocamus, cassa-

mus, tollimus, abrogamus, & annullamus, viribusque & effectu euacuamus, ac reuocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque & effectu vacua esse, & fore, nec Religionibus, Societatibus, etiam Societ. IESV, Congregationibus, Ordinibus, ac Militijs, & Ecclesijs, Monasterijsq; prædictis, eorũq; Superioribus, & personis quibuscunque in posterum vllo modo suffragari, minusque illos, & illas, etiam si de ijs specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, indultis huiusmodi vti posse, præsentes verò literas, & in eis contenta quæcunque etiam ex eo quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in ius, vel controuersiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduersus illas quodcunque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque per quoscunque Iudices Ordinarios & delegatos, etia causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, de-

cerni-

cernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, Priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Abbatibus, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & alijs Superioribus, Capellanis, alijsque prædictis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumq; totis tenoribus specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus vbiq; fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ: Quodque

eædem præsentes literę, seu illarum exempla ad valuas Basilicarum S. Io. Lateranensis, ac Principis Apostolorū de Vrbe, & in Acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimata fuissent. Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris. Die XII. Sept. M.DC.XXVIII. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

Anno M. DC. XXIX. Indictione duodecima Pontificatus autem Sanctissimi D.N. Papæ Domini Vrbani diuina prouidentia Papæ Octaui Anno eius Sexto, Die verò lunæ Octaua Ianuarij. Retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Franciscum Pignoccatum, & Pompeium Giranum eiusdem Sanctissimi D. N. Papæ Cursores.

Brandimartes Latinus pro Mag. DD. Curs.

Regu-

Regulares non possunt pœnitentes suos à Casibus Sedi Apostolicæ & Ordinario Diœcesano reseruatis absoluere sine speciali licentia.

VEruntamen ne Regulares cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam Archiepiscopali nostra auctoritate Ordianariâ approbati potestatis suæ limites transcendant, quæ Sacra Congregatio Cardinalium, qui Episcoporum & Regularium negocijs & consultationibus præsunt, circa facultatem absoluendi à casibus Sedi Apostolicæ, & Ordinario reseruatis declarauit, ex ipsiusmet Congregationis subiectis hic verbis quisque cognoscere potest.

DECLARATIO

Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, circa facultatem absoluendi à Casibus Sedi Apostolicæ, & Ordinario reseruatis.

SAcra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit, per Confirmationes Priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apost. post Sacr. Conc. Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixisse Priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absoluendi à casibus Ordinario loci reseruatis; Quemadmodum nec indulta absol-

absoluendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consueuit, vtpotè sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisiuisse ex subsequentibus Priuilegiorum Confirmationibus: Ac proinde Regulares cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam necessariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim Priuilegiorum, aut Confirmationum eiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœnę, aut Ordinario loci reseruatis: Ac si secùs egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore: Ab alijs verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, si quidem Regulares habeant à Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse ijsdem Sacr. Congregationis Decretis hac de re editis iussu san. me. Clementis VIII.

Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua ad se relatam approbauit, mandauitq; ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obseruari. Romæ 17. Nouemb. 1628.

F. A. Card. S. Honufr.

P. Fagnanus Secr.

Collegij Soc. Jesu Padua. 1660

POSSEVINI
Praxis
Pastoralis.

C. S. I. P.

Th
2387

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN